Jan. 15 18[illegible]

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
37
45 D
9
FONDO ... ORIENTALE
PAL. 1145.

Digitized by Google

KALENDARII
CONSTANTINOPOLITANI
VOLVMEN SECVNDVM

Digitized by Google

Digitized by Google

ΜΗΝΟΛΟΓΙΟΝ
ΤΩΝ ΕΥΑΓΓΕΛΙΩΝ ΕΟΡΤΑΣΤΙΚΟΝ
SIVE
KALENDARIVM
ECCLESIAE CONSTANTINOPOLITANAE

CIↃ· ANNORVM VETVSTATE INSIGNE

primitus e Bibliotheca Romana Albanorum in lucem editum

et veterum monumentorum comparatione diurnisque commentariis illustratum


CVRA

STEPH· ANTONII MORCELLI

ACCEDVNT QVATVOR EVANGELIORVM

lectiones in codice variantes

VOLVMEN II·



ROMAE PERMISSV PRAESIDVM ANNO M· DCC· LXXXVIII·

EX OFF· GIVNCH· MAI· SVMPTIB· VENANTII MONALDINI ET PAVLLI GIVNCHI

Digitized by Google

COMMENTARIORVM DIVRNORVM

LIBER V·

AD MENSEM IANVARIVM

OCto, qui supersunt, anni Graeci menses hoc alterum volumen efficient, quod a primo Latinorum mense exordimur, ipsis kal· Ianuariis anni MDCCLXXXVII· scribere aggressi: quem annum Ecclesiae Dei et Orbi Christiano universo faustum felicemque maxime optamus.

Dies festos octodecim statos habet hic mensis: quibus modo unus, modo et alter addebatur, sabbatum scilicet diesque post Epiphaniam Dominicus, uti annus ferebat. varia vero hic quoque disputandi materia, et argumenta quaedam intacta occurrunt. controversia etiam vetus de sancti Athanasii festo primum dirimitur.

AD DIEM I·

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΙΑΝΟΥΑΡΙΩ Α ΕΙϹ ΤΗΝ ΠΕΡΙΤΟΜΗΝ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ
ΗΜΩΝ ΙΗϹΟΥ ΧΡΙϹΤΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Δ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΥΠΕϹΤΡΕΨΑΝ ΟΙ ΠΟΙΜΕΝΕϹ
ΔΟΞΑΖΟΝΤΕϹ ΚΑΙ ΑΙΝΟΥΝΤΕϹ ΤΟΝ ΘΕΟΝ ΕΠΙ
ΠΑϹΙΝ ΟΙϹ ΗΚΟΥϹΑΝ ΚΑΙ ΙΔΟΝ κ. τ. λ.

I· Vetus diei hujus appellatio fuisse videtur apud Latinos *Octava Domini*, quam in Adone et Martyrologiis plerisque legimus.

Digitized by Google

mus. tituli ejusdem antiquitatem comprobat ellogium Almachii Martyris Adonianum, quod ab aliis quoque receptum est: *Romae Natalis sancti Almachii Martyris, qui jubente Alippio Vrbis Praefecto, quum diceret*, Hodie Octavae Dominici diei sunt, cessate a superstitionibus idolorum et sacrificiis pollutis, *a gladiatoribus hac de caussa occisus est*: nec minus certam rem facit notus ille Vrbis Praefectus Alypius, quem in albo Corsiniano reperias ad annum CCCLXXXXI. ubi *Faltonius Probus Alypius* dicitur.

Iam Graeci ne priores, an Latini Festum Circumcisionis Dominicae celebrare instituerint, in ambiguo adhuc est. canon XVII. Concilii Turonensis II. qui est de jejuniis Monachorum, diem hunc festum agnoscere videtur: ait enim, (1) *Et quia inter Natale Domini et Epiphania omni die festivitates sunt, itemque prandebunt.* at subinde diem eundem esurialem facit; nam haec addit: *Excipitur triduum illud, quo ad calcandam Gentilium consuetudinem patres nostri statuerunt privatas in kalendis Ianuarii fieri litanias, ut in Ecclesiis psallatur, et hora octava in ipsis kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur.* atque idem jejunium servabant Hispani, quod aperte ostendit canon XI. Concilii Toletani IIII. (2) sed tamen suspicari licet, tridui illius finem fuisse horam octavam hujus diei, diemque reliquum sollemnem festumque habitum esse. namque, ut vides, sacrum de Circumcisione celebrabatur. illud vero extra controversiam est, sollemnitatem hanc in Hispaniis notam receptamque fuisse ante annum DCXXXVI. quo Isidorus Hispalensis decessit. hanc quippe ipse Isidorus memorat in *Regula Monachorum*, (3) hanc agnoscit Codex Vuisigothorum. (4) quare hoc saltem statuere possumus, vel ante annum DLXVII. quo Concilium illud Turonense coactum est, memoriam hujus Festi in Ecclesia obtinuisse; saeculo autem septimo passim religioso cultu et sollemni esse celebratam, ut Sacramentarium Gregorianum indicat, et Florentinii Martyrologium confirmat.

At de hujus sollemnitatis antiquitate apud Graecos pauca quidem testimonia, sed vetustiora feruntur; quae utinam certae auctoritatis essent, plura nemo jure requireret. Chrysostomi orationem recenset Fabricius (5) *in Circumcisionem et Simeonem*, cujus tamen

(1) Hard. Conc. T. III. p. 360.
(2) Ibid. p. 583.
(3) c. 12. apud Holst. Cod. Reg.
(4) T. 1. l. 2. L. 11.
(5) Bibl. Gr. T. VIIII. p. 86.

men titulus est εις Υπαπαντην : tum eam Montfauconius plane a Chrysostomo abjudicat. (6) alteram idem ciet tamquam opus Amphilochii, cui et tribuit Combefisius : (7) quam Surius tamen a Metaphraste esse duxerat. quod si haec a Cave inter Amphilochii opera numeratur, non ideo calculum ille suum adjecisse putandus est : ante enim de scriptis, quae Amphilochii nomine edita sunt, sic pronunciarat : *Scripsit plura ; verum an ea, quae nunc exstant, sint genuina, haud satis liquet : de quibus eo difficilius est certi aliquid pronunciare ; quod nulla indubitatae fidei scripta supersint, ex quibus de aliis judicare liceat.*

Nec vero obscurum est aut dubium, Chrysostomi aetate apud Antiochenses nulla festi hodierni vestigia fuisse. nam homiliam de Lazaro, quam illic habuit, sic est exorsus : (8) Την χθες ἡμεραν ἑορτην ουσαν Σατανικην, εποιησατε ὑμεις ἑορτην πνευματικην. hesternus autem dies erat primus Ianuarii ; nam homilia dicitur in titulo Μετα τας καλανδας τη εξης εν Αντιοχεια λεχθεις λογος.. ipsa porro homilia in Kalendas, hoc die ab eodem pronunciata, de Circumcisione verbum habet nullum : (9) quod omnino praeter morem Chrysostomi factum esset, siquidem tum Ecclesia illa sollemnitatem hanc usu jam receptam celebrare quotannis consuevisset. quare indicio etiam haec sunt, eandem ne apud Latinos quidem ea tempestate cognitam fuisse : nam si Latini usurpassent, profecto Antiochenses, qui diem Natalem Christi paullo ante Romano more VIII. kal. Ianuar. agere coeperant, (10) diem quoque hunc festum ac prope illius geminum recepissent.

Multo igitur veri ego similius putaverim, sollemnitatem hanc a Latinis ortam, serius a Graecis frequentatam esse : nec melius Graecam consuetudinem, quam Kalendarii nostri testimonio comprobari. caussam autem aliam, quare maturius ea coepta non sit, indicare vix possis, quam profanam illam Kalendarum celebritatem, omnibus Orbis Romani regionibus communem, et Christianae pietati maxime adversariam : de qua in primis Libanium legisse juverit apud Allatium in *Excerptis* Εκφρ. Z. at vide item, si vacat, quae habet Hospinianus in commentario de origine Festorum cap. VIII. qui etiam, ut hoc die veteres ab omni acerbitate

(6) In monit. T. II. p. 812.
(7) In Amphil. p. 10.
(8) Oper. T. I. p. 707. *Hesternum diem, quum esset festum Satanae, fecistis festum Spiritus.*
(9) ibid. p. 697.
(10) v. comment. ad diem XXV. Dec. n. I.

te atque inclementia alienissimos fuisse ostenderet, ex Hieronymo adnotavit, nullum esse toto anno, praeter Kalendas Ianuarias diem, quo non afflicti supplicio e Christianis quingenti Martyres numerentur: quem tamen locum in Hieronymo frustra ego quaesivi. ceterum urbana magis laetitia actus alicubi hic dies videtur, quam licentia illa Satanica. certe Romanum illum Kalendarum morem, et munerum, quae eo die invicem mittebantur, consuetudinem prope comprobasse videtur Gregorius Nyssenus in epistola, quam Zacagnius (11) ad Libanium illum ipsum scriptam putavit. Εορτην, inquit, αγειν συνηθες τοις Ρωμαιοις περι την χειμεριον τροπην, κατα τι πατριον, οτε τȣ ηλιȣ προς την ανω χωραν αναποδιζοντος, πλεοναζειν αρχεται το ημερησιον μετρον. ιερα δε νενομιςη τȣ μηνος η αρχη, ϗ δια ταυτης της ημερας το παν ετος οιωνιζομενοι, δεξιας τινας συντυχιας ϗ ευφροσυνας ϗ πορȣς επιτηδευȣσι. τι βȣλομενος εντευθεν τȣ γραμματος αρχομαι; οτι ϗ αυτος διηγαγον την εορτην ταυτην, παραπλησιως εκεινοις χρυσοφορησας, epistola scilicet accepta, quam magni faciebat.

II· Sollemnia hujus diei in templo Sophiano peracta esse, pro certo credas. illud enim et Christo Domino dicatum erat, et ceteris omnibus magitudine ac dignitate praestabat: aliaque illic festa Domini nostri Iesu celebrari solita ostendimus. (12) in eo Patriarchae thronus, (13) in eo erat aula Augustae, οθεν, ut ait Evagrius, (14) ϗ η βασιλις παρȣσα ταις εορταις τη ιερȣργια των μυςηριων εφιςαται: in eo sedes Augusto destinata, sive, ut canit Paullus Silentiarius, (15) insigne solium.

Auso-

(11) Ep· xI· p· 379· Collect· mon· Vet· *Festum agere more quodam patrio consuetum est Romanis circa solstitium hibernum, quum sol superiores caeli portes repetens, diurni spatii incrementum incohat· sacrum autem esse putant mensis initium, et ex hac die omen totius anni capientes, felicibus eventis, prosperitatibus et bonorum omnium offluentiae auspicandae vacent· quorsum hoc epistolae exordium? quoniam et ipse, aeque ac illi, aureum donum adeptus, festum hunc diem egi·* Graeca porro attuli, ut se in codice scripta reperisse adnotavit, non ut emendanda atque edenda censuit idem Zacagnius, qui scribendum duxit περι την χειμεριον ωραν, τροπην κατα τινα πατριον· nempe quid τροπη esset, non meminit, qua de re Petavium consulere potest de Doctr· Temp· l· I· c· xv· Agathias de Imp· Iustin· l· 5· p· 145· D· Κρυος μεν ηδη υπηρχεν, οποιον ειναι εικος τȣ ηλιȣ επι τας τροπας ελαυνοντος τας χειμερινας, ϗ προς τον αιγοκερωτα φερομενȣ· *frigus erat, quale par est esse sole ad brumales conversiones et ad capricornum vergente·*

(12) v· comment· ad diem XIIII· Sept· n· 2· ad diem XXV· et XXVI· Dec·

(13) Marcell· Com· in Chr· an· 404·

(14) Hist· Eccles· l· IIII· c· 31· *Et hoc etiam loco Augusta diebus festis sacrorum mysteriorum sollemnitati interesse solet·*

(15) in Descript. templ· Soph· P· II· v·166·
Festa ubi regali redeunt insignia serto,
Sceptriger Ausoniae hic solio, de more locatus,
Rex sedet, et veterum bibit aure oracula vatum·

Αυσονιων βασιλῆι θεοςεπτοις εν ἑορταις,
Ενθα δ᾽εμος σκηπτȣχος εφημενος ηθαδι θωκῳ
Μυςιπολοις βιβλοισιν ἑην επετασσεν ακȣην.

quare, quum hujus diei festum ἑορτων θεοςεπτων non ultimum censeri debeat, ibidem, ut cetera ejusmodi, actum esse, optimo jure contendimus.

AD DIEM V.

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Ε ΕΙC ΤΗΝ ΠΑΡΑΜΟΝΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΘΕΟΦΑΝΙΩΝ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Ϛ
ΕΝ ΕΤΗ ΠΕΝΤΕ ΚΑΙ ΔΕΚΑΤΩ ΤΗC ΗΓΕΜΟΝΙΑC ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΑΙCΑΡΟC, ΗΓΕΜΟΝΕΥΟΝΤΟC ΠΟΝΤΙΟΥ ΠΙΛΑΤΟΥ ΤΗC ΙΟΥΔΑΙΑC κ. τ. λ.

I. Vigiliarum sacrarum non unum apud Graecos nomen est: nam et Παραμονη et Αγρυπνια et Παννυχις vocari solent. at Αγρυπνιαν Kalendarium nostrum non memorat, Παραμονην ciet ante Natalem et Epiphaniam; ante Evangelismum, Dormitionem sanctae Mariae et festum primarium Chrysostomi Παννυχιδα. at re ne ipsa, an nomine tantum haec discrepabant? equidem Παραμονην appellationem fuisse jam crediderim stationis diurnae, contra Παννυχιδα vigiliarum nocturnarum. certe Chrysostomus post vigilias Martyrum in Antiochiae suburbano celebratas, quum populum hortaretur, ne ad cauponas diverteret, sic quemque adloquutus est: (1) Παραμενε τῳ ταφῳ τȣ Μαρτυρος, εκχεε πηγας δακρυων εκει, et quae deinceps: tamquam si Παραμονην eos Παννυχιδι addere cuperet, quum in templo consistere eos mallet, quam vagari. quare a *manendo* diem hunc *Expectationis* nominari posse duxi. sic et Constantinopoli milites aulae Palatinae Παραμονας appellabant. (2)

Illud utique planum habeas, Παννυχιδα nocte advigilantium propriam fuisse, ut vox sonat. itaque Chrysostomus in eadam illa ho-

(1) Oper. T. II. p. 669. *Adside sepulcro Martyris, lacrimarum illic fontes effunde.*

(2) v. Glossar. Meurs.

homilia in Martyres dixit: (3) Εποιησατε την νυκτα ἡμεραν δια των παννυχιδων των ἱερων. tum quae in ea nocte peracta essent, sic recenset: (4) Εννοησον, ἡλικος γελως, μετα τοιαυτην συνοδον, μετα παννυχιδας, μετα γραφων ἁγιων ακροασιν, μετα μυστηριων θειων κοινωνιαν κ. μετα πνευματικην χορηγιαν, ανδρα η γυναικα εν καπηλειῳ φαινεσθαι διημερευοντας. eodem vero pertinet Αγρυπνια, quam in vita Euthymii ex Cyrillo Scythopolitano Metaphrastes explicat, de templi dedicatione scribens, quae in Eliae coenobio a Martyrio Archiepiscopo facta fuerat: (5) Κατελθων εκεινος μετα πολλης κ. δαψιλειας προς το κοινοβιον, λαμπραν μεν αγει συναξιν κ. την Αγρυπνιαν ὑπο πολλαις λαμπασι κ. θυμιαμασι, φιλοτιμον δε κ. πολυτελη τον εγκαινισμον ποιει.

Porro Αγρυπνιας sive Παννυχιδας ante Natalem quoque et Epiphaniam Constantinopoli etiam diu actas puto, quemadmodum apud Latinos frequentabantur: (6) sed paullatim factum esse, ut sollemnitas earum minueretur: itaque Παραμονας fere apud Constantinopolitanos esse coepisse, quod apud nos hodie *Stationes et Vigiliae sunt*.

(3) ibid. pag. 668. *Noctem convertistis in diem per sacras istas vigilias.*

(4) ibid. pag. 669. *Perpende, quam ridiculum sit, post ejusmodi conventum, post vigilias, post sacrarum auditionem Scripturarum, post divinorum participationem mysteriorum, et post spiritualem largitionem, virum aut mulierem in popinis diem transigentes videri.*

(5) apud Cotel. mon. Eccl. Gr. T. II. p. 305. n. 122. *Descendens ille cum multa rerum adfluentia ad coenobium, praeclaram agit Synaxin et Vigiliam cum multis lampadibus et suffitibus, ac splendidam magnificamque facit dedicationem.*

(6) v. Baron. In Martyr. ad hunc diem.

AD DIEM VI.
MENSIS IANVARII

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ Ϛ ΕΙΣ ΤΗΝ ΗΜΕΡΑΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΘΕΟΦΑΝΙΩΝ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΙΓ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΠΑΡΑΓΙΝΕΤΑΙ Ο ΙΗΣΟΥΣ ΑΠΟ ΤΗΣ ΓΑΛΙΛΑΙΑΣ ΕΠΙ ΤΟ ΙΟΡΔΑΝΗΝ κ. τ. λ.

I. Antiqua omnino diei hujus sollemnitas in Ecclesia universa jure habetur; quam non modo in Polemei Silvii Kalendario, sed etiam in Carthaginiensi consignatam accepimus. sed non omnia Graeci hodie, quae Latini, spectabant. horum quippe festum erat

erat triplex, quod Polemeus sic extulit: VIII. *idus Epiphania, quo die interpositis temporibus stella Magis Dominum natum nunciabat, et aqua vinum facta, vel in amne Iordanis Salvator baptizatus est.* at Graeci Magorum adorationem die ipso Christi natali recolebant: itaque ad eum diem titulus Menologii Basiliani est, Τῃ αυτῃ ἡμερᾳ ἡ των Μαγων προσκυνησις; hodie vero, ἡ Βαπτισις του κυριου ἡμων Ιησου Χριστου. atque id unum complectitur Gregorii Naziazeni oratio εις τα ἁγια Φωτα των Επιφανιων, (1) de quo die sic in exordio, ut alias indicavimus, praefatus est: Η γαρ ἁγια των Φωτων ἡμερα, εις ἡν αφιγμεθα, ϗ ἡν ἑορταζειν ηξιωμεθα σημερον, αρχην μεν το εμου Χριστου Βαπτισμα λαμβανει, του αληθινου φωτος, του φωτιζοντος παντα ανθρωπον ερχομενον εις τον κοσμον. sic et Chrysostomus explicat in homilia de baptismo Christi, quam hoc die habitam Antiochiae censet Montfauconius: (2) Τινος ουν ενεκεν, inquit, αὑτη Επιφανεια λεγεται; επειδη ουχ, ὁτε ετεχθη, τοτε πασιν εγενετο καταδηλος, αλλ᾽ὁτε εβαπτισατο.

Nomen autem sollemnitatis, commune Graecis et Latinis, *Epiphania*, quod hoc die se Deus hominibus manifestum praebuerit: nec minus quandoque *Theophania* fuit; nam id in Gelasii etiam Sacramentario legimus. (3) illa vero Graecorum propria appellatio est, τα Φωτα, cujus duplicem interpretationem tradit Allatius: (4) *Luminum*, inquit, *dicitur a cereis et lampadibus, quibus accensis universus ille ritus aquarum baptizandarum absolvitur.* quo spectant Chrysostomi verba: (5) Δια τοι τουτο ϗ μεσονυκτιῳ κατα την ἑορτην ταυτην ἁπαντες ὑδρευσαμενοι, οικαδε τα ναματα αποτιθενται, ϗ εις ενιαυτον ολοκληρον φυλαττουσιν, ἁτε δη σημερον ἁγιασθεντων των ὑδατων. noctu scilicet sacri fontis aqua, templo facibus collucente, rite expiari solebat, ac tum nova Ecclesiae proles divino baptismate abluebatur, et plerique e populo ex aqua illa laguncula hydriasque religioso quodam studio domum in morborum remedium asportabant. sed haec in Oriente quidem hodie usurpata, addam

 etiam

(1) Orat. 39. T. 1. p. 624. *Etenim Sanctus Luminum dies, ad quem pervenimus, quemque hodie divino beneficio celebravimus, pro principio quidem Christi mei, hoc est verae, lucis omnem hominem in mundum venientem illuminantis Baptismum habet.*

(2) Oper. T. II. p. 369. n. 2. *Quamnam igitur ob caussam haec Epiphania appellatur? quia nimirum non omnibus manifestus est redditus, quum partu est editus, sed quum est baptizatus.*

(3) Murat. Liturg. vet. T. 1. p. 513.

(4) de Dom. et Hebd. Gr. n. 32.

(5) ibid. pag. 369. n. 2. *Idcirco etiam in hac sollemnitate sub mediam noctem omnes, quum aquati fuerint, domum latices referunt ac recondunt, et per integrum annum conservant, ut pote quod hodierna die santificatae sint aquae.*

etiam in Africa, ut Victoris Vitensis historia testatur: (6) at non Romae aut per Occidentem. Siricius certe ad Himerium Tarraconensem, (7) Leo magnus ad Episcopos Siculos (8) scribens, baptismatis celebritatem hujus diei propriam non esse censuit, et Paschatis ac Pentecostes consuetudinem retinendam. idcirco apud Latinos ejusmodi *Luminum* appellationi locus non erat.

Pergit vero Allatius, et *Alii*, inquit, *a Baptismo ipso Christi*, quod Graeci Φοτισμον, Illuminationem *vocant*, *dictum hunc diem autumant*. *quod enim Latini* baptismo ablui *dicunt*, *id Graecis* φοτιζεσθαι *est*, illuminari. quam in rem exempla affert, quibus nec opus est. porro haec etiam interpretatio minus Latinis conveniebat, qui hoc die Magorum adventum potissimum recolebant: et quibus vox illa, de Baptismo Christi, qui Φως ipse erat, durior videri debuit. at Graeci et appellationem των Φωτων et ritum ac sollemnitatem eandem servant adhuc, (9) cui et dies tres, quos Προεορτια των Φωτων appellant, celebritatis augendae caussa praeire voluerunt.

II. Quod reliquum est, sollemnia των ἁγιων Θεοφανιων in templo Sophiano peracta esse, ostendit titulus Acclamationum, quae illic usurpabantur in magnis hujusmodi conventibus, quas in codice Bibliothecae regiae Parisiensis Goarius reperit. est enim hujusmodi: (10) Οπως πολυχρονιζωσι τους Βασιλεις ϗ τον Πατριαρχην εν τῃ μεγαλῃ Εκκλησιᾳ κατα την ἑορτην της Χριστου Γεννησεως ϗ των Φωτων, ϗ τῃ μεγαλῃ Παρασκευῃ.

Valet quoque aliquid Codini auctoritas, quamquam sero scripsit: nam Graeci semper antiquitatis studiosi fuere, nec facile novos ritus intulerunt. is vero hujus diei festum inter sollemnitates templi Sophiani recenset, (11) et ritum etiam, quo aqua hodie expiari ac didi solebat, attingit: quae caeremonia ita Patriarchae propria habebatur, ut si Constantinopolitanus deesset, eam alter praestaret, quicumque de ceteris tribus casu in urbem regiam venisset. Ο δε, inquit, μετα την λειτουργιαν ἁγιασμος, ει Πατριαρ-

χης

(6) Pers. Vandal. l. II. n. 17.

(7) Epist. n. 2. apud Hard. T. I. Conc. p. 847.

(8) Ep. 15. ed. Quesn.

(9) Papebr. Eph. Gr. die 4. et 6. Ian.

(10) in adnot. ad Codin. de offic. p. 84. *Quibus acclamationibus multos annos Augustis et Patriarchae precari mos sit in magna Ecclesia die natali Christi, die Luminum, et feria magna Parasceve.*

(11) de Fest. Epiph. c. 8. p. 96. *Ipsa autem Sanctificatio peragitur post Liturgiam ab Oecumenico Patriarcha, si adest: sin minus, ab altero aliquo Patriarcharum sive Alexandriae, sive Antiochiae, sive Hierosolymorum, qui forte in urbe sit.*

χης ευρισκεται ὁ οικϐμενικος, γινεται παρ'αυτϐ. ει δε μη, παρα τινος των ἑτερων Πατριαρχων, η τϐ Αλεξανδρειας, η τϐ Αντιοχειας, η τϐ Ιεροσολυμων, εαν επιδημων τυχη. preces porro et caeremonias Graeci castus in Euchologio (12) reperies.

(12) Goar. p. 453.

AD DIEM VII.

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Ζ ΕΙC ΤΗΝ CΥΝΑΧΙΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΒΑΠΤΙCΤΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΙΓ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΒΛΕΠΗ Ο ΙΩΑΝΝΗC ΤΟΝ ΙΗCΟΥΝ ΕΡΧΟΜΕΝΟΝ ΠΡΟC ΑΥΤΟΝ, ΚΑΙ ΛΕΓΕΙ ✠ κ. τ. λ.

ΤΩ CΑΒΒΑΤΩ ΜΕΤΑ ΤΑ ΦΩΤΑ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΙΕ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΑΝΗΧΘΗ Ο ΙΗCΟΥC ΕΙC ΤΗΝ ΕΡΗΜΟΝ ΥΠΟ ΤΟΥ ΠΝΕΥΜΑΤΟC ΠΕΙΡΑCΘΗΝΑΙ κ. τ. λ.

ΤΗ ΚΥΡ. ΜΕΤΑ ΤΑ ΦΩΤΑ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΙΗ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΑΚΟΥCΑC Ο ΙΗCΟΥC, ΟΤΙ ΙΩΑΝΝΗC ΠΑΡΕΔΟΘΗ, ΑΝΕΧΩΡΙCΕΝ ΕΙC ΤΗΝ ΓΑΛΙΛΑΙΑΝ ✠ κ. τ. λ.

I. In Menologio Basiliano post ellogium Ioannis Baptistae haec hodie adscripta legas: (*) Δια ταυτα τιμωσα την Βαπτιςην ἡ Εκκλησια τϐ Θεϐ, επιτελει κατα καιρον ἑορτην, ϗ ονομαζει αυτην Συναξιν· διοτι συναγεται ὁ λαος εν αυτη δοξολογων τον Θεον ϗ τον αυτϐ προδρομον· enimvero *Notandus*, inquit ad hunc diem Papebrochius, (1) *hic Graecorum ritus, quo post singula majora Christi Domini aut Deiparae festa subjungunt memoriam eorum Sanctorum, qui propius ad mysterium concurrerunt. ita post festum Hypapantes secunda Februarii, sequitur memoria justi senis Simeonis, qui suis ulnis Christum excepit: et sic de ceteris.* ceterum hujus consuetu-

(*) *Quamobrem Baptistam Ecclesia Dei honorans, festum hunc et statutum diem celebrat, quem Synaxim appellat, quod populus in ipsa convenit ad laudes Deo ejusque Praecursori dicendas.*

(1) ad Ephem. Gr. hoc die.

tudinis bina tantum in Kalendario nostro exempla habes: quorum primum est memoria Ioachimi et Annae post Natalem sanctae Mariae, alterum hodierna sancti Praecursoris Synaxis. neque haec fortasse antiquissima: nam in ea oratione, quam hodie habuit Gregorius Nazianzenus, (2) nulla Ioannis fit mentio, et is est orationis titulus, εις το ἅγιον Βαπτισμα: tum in exordio diserte hesternum et hodiernum designat diem: Χθες τῃ λαμπρα των Φωτων ἡμερᾳ πανηγυρισαντες . . . . . σημερον περι τȣ Βαπτισματος βραχεα διαλεξομεθα. exstat quidem et homilia, quae olim Chrysostomi nomen praesetulit, hoc initio: (3) Ιωαννȣ τȣ Βαπτιςȣ πανηγυριν αγωμεν: sed eam ante Montfauconium Savilius jam et Ducaeus repudiaverant, nec sane tanto auctore dignam invenias.

De hodierni autem Festi titulo quaesivit olim Paciaudus, (4) quo pertineret, quidve esset, quod Συναξις appellaretur. caussam enim ejus appellationis, quam modo ex Menologio attulimus, rejiciebat, negabatque de sacro conventu accipi posse, quum is omnium celebritatum indiscriminatim proprius esset. quare eo titulo praescribi hodie arbitrabatur, ut memoria recoleretur confluentium quondam ad Ioannem populorum, quos congregatos erudire et baptismo abluere solebat: quam quidem opinionem confirmare ille poterat Menologii ejusdem verbis, quae superius ad diem VIII. Novembris reperies, ubi Συναξις de Archangelorum consensu usurpata est. mihi tamen ea sententia non tam solida, quam splendida videtur. *Synaxes* nimirum nonnullas celebritates dictas esse puto, quod nec de Natali cujuspiam nec de Martyrio agebatur, itaque potior appellatio desideraretur, qua sollemnia illa extraordinaria enunciarentur. Graecos autem hodie de concursu isto Iudaeorum ad Ioannem ne cogitasse quidem, lectio ipsa praescripta declarat: quae ex Evangelio Ioannis est, ubi Praecursor sanctissimus Iesum agnoscens ad se venientem, illa testatus dicitur, Ιδε ὁ αμνος τȣ Θεȣ, et quae sequuntur.

II. Quum aedes XV. sancto Ioanni Baptistae sacras Constantinopolis habuisse feratur, quarum pleraeque vetustissimae erant, (5) in qua potissimum Kalendarii nostri aevo, Synaxis acta sit, definire non audeo. Synaxaria vetera memorant in primis sancti Ioan-

(2) Orat. 40. T. 1. p. 637. *Heri splendidum Luminum diem celebravimus . . . . . hodie de Baptismo breviter disseremus.*

(3) Oper. T. II. p. 805.

(4) de cult. s. I. B. p. 91.

(5) v. Caug. CP. Chr. l. IIII. a p. 100. num. 4.

annis Προφητειον εν τοις Σφορακιου, sive apud domum Sphoracii viri clarissimi, qui consulatum cum Fl. Herculano gessit anno ccccLI. Marciani Aug. temporibus, et a Storacio Praefecto urbis Romae distinguendus omnino est, qui aliquot annis antiquior apud nos inclaruit, ut Theodosii et Valentiniani lex Novella xxxxvIII. ostendit, et Zirardinus in commentario suo scite admonuit. (6) Τελειται δε η αυτου Συναξις εν τοις Σφωρακιου. verum ea sollemnitas fortasse recentior est, in eaque aede festum non ante agitari coepit, quam illuc sacra Praecursoris Manus inferretur; quae saeculo x. Constantini et Romani Augg. principatu a Iobo Diacono Antiocheno adlata dicitur: et Theodori Daphnopatae Laudatione (7) celebrata est. de templo, quod Studius Cos. deque eo, quod Theodosius senior sancto Praecursori dicarunt, honorifica alio loco incidet mentio.

III. Adnectitur huic diei Sabbatum diesque Dominicus μετα τα Φωτα, quod neutri scilicet propter hebdomadum vices certus et immobilis in mense dies esset. Sabbato autem, ut monui, (8) non minus quam diei Dominico sua semper lectio ex Evangelio adsignata erat. at de Octava nullum hic vestigium est, quam nec omnia Latina Martyrologia referunt. eam tamen Graecis omnibus ignotam putare non possum. nam Ογδοην των αγιων Θεοφανιων ημεραν bis memorat in Euthymii vita ex Cyrillo Scythopolitano Metaphrastes. (9) ceterum quod scripsit Baronius de Theodosio magno, (10) sic hujus diei celebritatem coli jussisse, ut septem diebus, qui praecedunt, ac totidem, qui subsequuntur, judicialis strepitus conticesceret, παροραμα est docti viri ad majora properantis. nam lege illa de Feriis (11) non Epiphaniae sed Paschae dies *qui septeno vel praecedunt numero vel sequuntur, in eadem observatione* se numerare ait Augustus; auctor vero subjectae Interpretationis ipsum tantum Natalem, et diem sollemnem Epiphaniae inter ferias recenset. verum de his jam superiori volumine actum est. (12)

AD

(6) ad Novell. Cod. Ottobon. p. 349.

(7) Bibl. Gr. T. xIIII. p. 101. Paciaud. Ibid. Diss. vII. c. 9. et 10.

(8) v. comm. ad diem xxII. Dec. n. 3.

(9) apud Cotel. Mon. Eccl. T. II. n. 68. et 103.

(10) in Martyr. ad diem vI. Ian.

(11) lib. 2. Cod. Theod. Tit. 8. L. de feriis.

(12) ad diem xxvI. Dec. *a pag.* 285.

AD DIEM VIII.

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΟ Θ ΑΘΛΗϹΙϹ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΟΛΥΕΥΚΤΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΛΗ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙϹ, ΤΑΥΓΑ ΕΝΤΕΛΛΟΜΑΙ ΥΜΙΝ, ΙΝΑ ΑΓΑΠΑΤΕ ΑΛΛΗΛΟΥϹ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ϹΑΒΒΑΤΩ ΤΗϹ Γ ΕΒΔΟΜΑΔ. ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Martyrium fecit Polyeuctus Melitenae ad Euphratem in Armenia minore: sub Decio ne, an sub Valeriano, ignoramus; quod Acta ejus utrumque perperam jungunt, quemadmodum in aliorum quoque Martyrum Actis iidem Augusti nullo temporum discrimine copulantur. (1) totam martyrii historiam commentario illustravit Henschenius, (2) et post hunc Tillemontius. (3) Martyris corpus in eadem urbe conditum dicitur, ibique templum ei dicatum. Cyrillus Scythopolitanus et Metaphrastes in vita Euthymii testantur, (4) ad quod parentes hujus itabant, nec minus ipse Euthymius jam natu grandis.

Polyeucti memoriam Latini quoque colunt, sed idibus Februariis, vel XVI. Kal. Martias, ut legitur in Hieronymiano Florentinii, in quo item VI. idus Ianuar. occurrit. at vero apud Graecos jam ab anno DCCCLXXV. diem hunc illi sacrum fuisse, adnotavit Tillemontius: (5) cui sollemnitati centum praeterea annos Kalendarii nostri auctoritate tribuere nunc possumus. verum si Acta sequimur, dies martyrii fuit decimus Ianuarii, quo die quatuor Vsuardini Codices celebrant a Solliero collati.

II. Insignem Constantinopoli aedem habuit Polyeuctus, multoque auro splendidam, cujus Latini quoque meminere: (7) in quam item vetus epigramma est, quod Salmasius memorat. (8) hanc a Iuliana Valentiniani magni filia conditam esse, auctor est Codinus. (9) *Τον ἅγιον Πολυευκτον Ιȣλιανη, ἡ θυγατηρ Ουαλεντινιανȣ*

(1) v. Tillem. Mem. Eccl. T. III. p. 325. et Baron. ad diem X. Aug.
(2) in Act. SS. T. II. Febr. p. 650.
(3) ibid. p. 424.
(4) n. 2. et 9. apud Cotel. Mon. Eccl. Gr. T. II.
(5) ibid. p. 426.
(6) in Vsuard. ad diem X. Ian.
(7) Greg. Tur. l. 1. de mirac. c. 103.
(8) in Solin. p. 1213. C.
(9) de aedif. urb. CP. p. 46. *Sanctum Polyeuctum Iuliana Valentiniani filia, ejus, qui aquae ductum fecit, intra annos quatuor et dimidium aedificavit, artificibus Roma accitis. erat autem haec Theodosii magni uxoris soror.*

Digitized by Google

νιανϐ τϐ κτιςορος τϐ αγωγϐ , εκτισεν επι χρονϐς τεσσαρας ϗ ἡμισυ, των τεχνιτων απο Ρωμης ελθοντων. γυναικαδελφη δε ην ἡ τοιαυτη τϐ μεγαλϐ Θεοδοσιϐ. atque hunc quidem Codini locum cupide amplexus est Lambecius, (10) et gratiam illi habendam maximam duxit, quod unus nos de Iuliana illa Valentiniani I. filia, Gallae Theodosii uxoris sorore, docuerit, de qua nihil veteres, nihil novi scriptores tradiderunt. atqui nimium mihi videtur honorem habere recenti scriptori, qui saepe falsus est, et hoc ipso in loco plane errat, conditorem aquaeductus, sive *κτιςορα τϐ αγωγϐ* appellans Valentinianum, quum illum a Valente exstructum esse constet, eversis Chalcedonis muris, et inde lapidibus Constantinopolim comportatis: (11) etsi quidam e recentioribus *Aquaeductum Valentinianum* appellarunt, qui *Valentinus* cum Ammiano dicendus erat. ansam praeterea suspicandi praebet, et Codini auctoritatem elevat Iuliana illa altera Anicia, quae, ut Gregorius Turonensis refert, (12) Iustiniani I. aevo *Cameram sancti Polyeucti*, qui Constantinopoli magno cultu honorabatur, quod perjuris praesentem ultorem agnoscerent, auro puro vestivit, quo avaritiam Principis deluderet. fieri enim potuit, ut Codinus ob *αντςορησιαν* Iulianam hanc ad Valentiniani I. tempora referendam putaret. fuit autem Iuliana Flavii Anicii Olybrii Aug. et Placidiae Valentiniani III. filiae filia, quam et Theophanes memorat. (13) quin et ejus imaginem nobis servavit celeberrimus ille Dioscoridis codex, qui Constantinopoli ante annos amplius ducentos in Bibliothecam Augustam Vindobonensem pervenit. (14) eidem igitur jure tribuas, quae ex Codino protulimus.

Aedem porro hanc prope domum Iulianae fuisse, scribit Turonensis, quam vix aliam crediderim, quam *Placidianam*, ubi Vigilius Pontifex maximus aliquandiu hospitatus est. (15) fuit enim Iuliana quoque Pontificum Romanorum studiosissima, ut litterae ejus ad Hormisdam ostendunt, a Baronio editae. (16)

(10) Bibl. Caes. l. II. c. 6.
(11) Ammian. l. XXXI. c. 1. Socrat. l. IIII. c. 8.
(12) ibid.
(13) In Chronogr. ad an. 505.
(14) v. Montfauc. Palaeogr. Gr. l. III. c. 2. p. 203.
(15) Vigil. in Epist. Encycl. apud Hard. T. III. Conc. p. 3.
(16) in Annal. ad an. 519.

AD DIEM X.

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Ι ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΝΥCCΗC

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΚΓ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΗΚΟΛΟΥΘΗCΑΝ ΤΩ ΙΗCΟΥ ΟΧΛΟΙ ΠΟΛΛΟΙ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΟΚΤΟΒΡΙΩ Γ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Diem hunc Gregorii nostri emortualem fuisse, indicat versus Ephemeridum metricarum Papebrochii: (*)

Γρηγοριον δεκατη θανατε τελος αμφεκαλυψεν·

sed Latini ab antiquis temporibus memoriam ejus colunt VII· idus Martias, sive is suscepti ab eo pontificatus dies fuerit, sive eum hoc die Ecclesia Nyssena ab exilio reducem receperit: de cujus reditu agi videtur in epistola ejus, quam edidit Zacagnius. (1)

Patria Gregorio Caesarea Cappadociae metropolis; sedes vero honoris Nyssa, urbs ejusdem provinciae non ignobilis, sed a Gregorii pontificatu clarissima: ut quantum Basilii fratris laude Ecclesia Caesariensis crevit, tantum hujus virtute Nyssena nobilitata sit. pontificatum autem suscepit anno CCCLXXII· gessitque annos minimum viginti duos.

Acta Gregorii post Papebrochium digessit exornavitque Tillemontius, (2) qui et veterum Patrum praeclara de eo judicia retulit. inter quae commemoranda omnino est appellatio, qua in Concilio Nicaeno II· designatus est, (3) his scilicet verbis: Γρηγοριος ὁ της Νυσσαιων πολεως προεδρος, ὁ πατηρ πατερων παρα παντων ονομαζομενος. eundem Tillemontius (4) dignum censet, qui ob vexationem et exsilium pro Catholica professione toleratum *Confessor* appelletur.

II· Aedem honori Gregorii Nysseni dicatam habuisse Constantinopolis non videtur, quamquam is non semel in ea urbe ver-

(*) *Gregorium decima extinctum lux funere mersit*·

(1) Coll· Mon· vet· Eccl· p· 362·

(2) Mem· Eccl· T· VIIII· p· 561·

(3) Act· VI· apud Hard· T· IIII· Conc· pag· 392· *Gregorius Nyssensium civitatis antistes, pater patrum ab omnibus nominatus*·

(4) ibid· pag· 569·

versatus, multa ibidem virtutis suae exempla, magnum doctrinae specimen dederat. sed tamen monumentum illius aliquod et sacrarium fuisse, non modo Kalendarii nostri auctoritate, sed etiam Menaeorum testimonio confirmare licet. nam in his post Domitiani Melitenae Episcopi memoriam subjectum leges: Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ Σύναξις, καὶ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου Νύσσης ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ Ἐκκλησίᾳ, id est, ut saepe animadvertere licuit, in aede Sophiana; hoc quippe nomine illa vel ante Iustinianum significabatur: (5) nunc quidem lugubre teterrimae ac spurcissimae gentis delubrum, at olim regiae urbis lumen ac Romani Imperii decus; quam et *Matrem suae pietatis* Zeno Aug. (6) et τὴν τῆς ἡμετέρας βασιλείας μητέρα deinde Iustinianus nominavit. (7)

(5) Socrat. l. II. c. 16. &c.
(6) L. XVI. Cod. de sacros. Eccl.
(7) Novell. III. in praef.

AD DIEM XIIII.

MENSIS IANVARII.

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΔ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΑΒΑΔΩΝ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΝΑ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC, ΜΗ ΦΟΒΟΥ ΤΟ ΜΙΚΡΟΝ ΠΟΙΜΝΙΟΝ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ CΑΒΒΑΤΩ ΙΑ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Qui fuerint hi Patres, quorum hodie memoria Constantinopoli colebatur, ex Menologio Basiliano cognoscere licet: nisi quod res prope in ambiguo manere videtur, quia eodem die tria veluti agmina sanctorum Monachorum cientur, quibus barbari diversis temporibus necem intulerunt.

Primum enim locum habet (*) Ἄθλησις τῶν ὁσίων Πατέρων ἡμῶν τῶν ἐν τῷ Σινᾷ ὄρει τελειωθέντων, quorum caedes saeculo V. contigit, Theodosio iuniore Augusto, aut non multo post. (1) huic additur τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ Μνήμη τῶν ἁγίων Πατέρων τῶν ἐν τῷ αὐτῷ ὄρει σφαγέντων ὑπὸ τῶν Βλεμμύων, ἐπὶ Διοκλητιανοῦ βασιλέως. ac fur-

(*) *Certamen sanctorum Patrum nostrorum qui in monte Sinai caesi sunt. Commemoratio eodem die sanctorum Patrum, qui in eodem Sinai a Blemyis Diocletiano Imperatore occisi sunt. Eodem die Commemoratio sanctorum* XXXIII. *Patrum, qui in Raitho occisi sunt a Blemyis, qui ibi habitabant, ubi erant duodecim fontes et septuaginta palmae.*

(1) v. Allat. de Nilis n. III. apud Fabr. Bibl. Gr. T. V. p. 10.

rursus τη αυτη ἡμερᾳ Μνημη των ΛΓ Πατερων των εν τη Ραϊθω σφαγεντων ὑπο Βλεμυων των κατοικουντων, ὁπου εισιν αἱ IB πηγαι ϗ τα O δενδρα φοινικων. qui quidem omnes ante primos illos occisi sunt, verum non Diocletiani, sed Valentis Aug. quemadmodum Tillemontius ostendit, (2) temporibus, post annum ccclxxI· atque horum historiam Aegyptia lingua scripsit Ammonius Monachus, Canopi incola, auctor accuratissimus, Graece vertit Ioannes Presbyter, qualem a Combefisio editam habemus. (3)

Iamvero, quia Kalendarium nostrum vix alios commemorare solet, quam eos, qui ad urbem regiam aliqua ratione pertinebant, non tam de hisce postremis memoriam hodie coli puto, quam primorum illorum festum enunciari, qui sub Theodosio juniore vitam profuderunt: quippe quos Constantinopolis non una de caussa tamquam suos venerabatur.

II· Nimirum inter Sinaïtas illos Monachos, quos Blemyes accolae Erythraei irruptione facta interemerunt, sanctus Nilus Constantiuopolitanus, praefectura urbis functus, secesserat, ανηρ σοφος ϗ ευλαβης, ut est in Menologio Basiliano, (*) qui ϗ αυτος δια τον Χριστον αφηκε την δοξαν ϗ τον πλουτον, ϗ εγενετο εἱς των πτωχων μοναχων. atque is est, qui tum de barbarorum manibus elapsus, historiam conscripsit εις την αναιρεσιν των εν τῳ ορει Σινᾳ Μοναχων, ϗ εις την αιχμαλωσιαν του υἱου αυτου Θεοδουλου, quam ex codice Monchaliano edidit Possinus (4) integram et potiori interpretatione auctam, quam quae exstabat. quare cum sanctis illis Monachis civem suum Constantinopolitani hodie honorabant, quem quidam et Episcopum, alii etiam Martyrem appellarunt. (5)

At Iustino II· Augusto, praeclari illi athletae civitate quodammodo donati sunt, Nili, Theoduli et ceterorum Patrum Reliquiis in urbem translatis, quas Iustinus in templo, quod ipse Petro et Paullo Apostolis dicaverat (6) επι τῳ βαθρῳ της ἱερας τραπεζης collocavit. itaque in Menaeis ad diem xII· Novembris, quo Nili memoria celebratur, legimus: (*) Κειται δε, ὡς φασιν, αυτος

ϗ ὁ

(2) Mem· Eccl· T· vII· p· 782·
(3) in Act·Graec· sive lect· Triumph· p·88.
(*) *Vir sapiens et pius, qui abdicata propter Christum gloria et opulentia, pauperibus monachis socium se adjunxit·*
(4) Parisiis an· 1639· *De caede monachorum, quae in monte Sinai facta est, et de captivitate Theoduli Nili filii·*
(5) v· Allat· apud· Fabr· ibid· p· 43·
(6) Niceph. Call· l· xIII· c· 54· *In basi sacrae mensae·*
(*) *Iacent autem, ut fertur, ipse et filius ejus Theodulus cum ceteris Ascetis in venerabili templo sanctorum Apostolorum ad Orphanotrophium, infra altare a Iustiniana Aug· collocati . . . Agitur autem horum sanctorum Patrum Synaxis simul in sacra aede sancti Apostoli Paulli ad Orphanotrophium·*

ϗ ὁ ὑιος αυτȣ Θεοδȣλος μεθ᾽ ἑτερων Ασκητων, εν τῳ σεβασμιῳ ναῳ των ἁγιων Αποϛολων εν τῳ Ορφανοτροφειῳ ὑπο κατω τȣ θυσιαϛηριȣ ὑπο Ιȣϛινȣ τȣ Βασιλεως κατατεθεντες. tum ad hunc diem scriptum est: Τελειται δε των τοιȣτων ἁγιων Πατερων ἡ Συναξις ἁμα εν τῳ σεπτῳ Αποϛολειῳ τȣ ἁγιȣ Αποϛολȣ Παυλȣ τȣ εν τῳ Ορφανοτροφειῳ. nec dubium est, utroque loco idem templum designari; quamquam primo utrique Apostolo, secundo uni Paullo tribuitur, quod in aliis quoque deprehendit Cangius, (7) recentioribus tamen, quibus anteponendus est Theophanes ad annum VII. Iustini sic scribens: (*) Τȣτῳ τῳ ετει ηρξατο κτιζειν ὁ Ιȣϛινος την Εκκλησιαν των ἁγιων Αποϛολων Πετρȣ ϗ Παυλȣ εν Ορφανοτροφειῳ.

(7) CP. Chr. l. IIII. p. 114. n. 21.

(*) *Hoc anno aedificare coepit Iustinus aedem sanctorum Apostolorum Petri et Paulli ad Orphanotrophium.*

AD DIEM XVI.

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙϚ ΕΙC ΠΡΟCΚΥΝΗCΙΝ ΤΩΝ ΑΛΥCΕΩΝ
ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΕΤΡΟΥ ΤΟΥ ΑΠΟCΤΟΛΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΩΝ CΚϚ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕΦΑΝΕΡΩCΕΝ ΕΑΥΤΟΝ Ο ΙΗCΟΥC ΤΟΙC ΜΑΘΗΤΑΙC ΑΥΤΟΥ ΕΓΕΡΘΕΙC ΕΚ ΝΕΚΡΩΝ, ΚΑΙ ΛΕΓΕΙ ΤΩ CΙΜΩΝΙ ΠΕΤΡΩ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ CΑ. ΤΗC Ν, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Sanctum Principem Apostolorum Petrum, quum Hierosolymis in carcerem conjectus est, catenis duabus vinctum fuisse, testatur in Actis sanctus Lucas: (1) Ην ὁ Πετρος κοιμωμενος μεταξυ δυο ϛρατιωτων, δεδεμενος αλυσεσι δυσι. de hisce autem haec in Menologio Basiliano traduntur. Τινες δε των πιϛων τας Αλυσεις ἑυροντες ϗ τιμωντες αυτας δια τον ἁγιον, κατα διαδοχην διεφυλαξαν. ϗ ὑϛερον παρα των ευσεβων βασιλεων εις Κωνϛαντινȣπολιν εισηχθησαν. (*) nihil, ut vides, scriptor Menologii inaudierat de Eudocia Augusta Theodosii junioris uxore, ad quam Baronius (2) Catenam utramque delatam

(1) cap. XII. n. 6. *Erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duobus.*

(*) *Catenae vero a fidelibus quibus inventae, et propter sanctum Petrum in honore habitae, per manus ad posteros servatae sunt, ac postremo Constantinopolim a religiosis Imperatoribus adlatae.*

(2) in Martyr. ad diem 1. Aug.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

latam scribit, quum Hierosolymis esset, cujusque dono alteram Constantinopoli servatam ait, alteram Romam ad Eudoxiam filiam missam esse. quin tempora recentiora aperte indicare videtur; addit enim: *Και κατετεθησαν εν τῳ ναῳ τȣ ἁγιȣ Πετρȣ τῳ πλησιον οντι της ἁγιας Σοφιας*: (*) templum nempe hoc Iustinianus aedificavit in viduae fundo, quem emerat, ut solum aedis Sophianae ampliare posset, in quo et *Σκευοφυλακιον* construxit. nec sane sub initia imperii Iustinianei sacras illas Catenas Constantinopolis habuisse putanda est, quum ex *Suggestione* Legatorum Hormisdae, quam apud Labbeum invenies, (4) manifestum sit, rogatos eos esse a Iustiniano, ut Catenarum, quae Romae erant, fragmentum aliquod sibi ab Hormisda impetrarent: sic enim illi de Iustiniano ad Pontificem maximum scripserunt: *Petit et de Catenis sanctorum Apostolorum, si possibile est, et de craticula beati Laurentii Martyris*. ac ne id quidem impetrasse illi videntur, quum rescribens ad Iustinianum Hormisdas de *Sanctuariis* tantum, quae item petierant, mentionem faciat: (5) *Beatissimorum vero Apostolorum Petri et Paulli Sanctuaria, sicut religiosissimo quaesistis affectu, per harum portitorem sub omni veneratione transmisimus*.

His animadversis, nemo, opinor, facile historiae illi de Eudocia Thodosii uxore fidem habeat, quam quidem multi receperunt, ut apud Monsacratum recognoscere potes, sed tamen recentiores: (6) praesertim quum et Nicephorus Callistus, qui, ut admonet Papebrochius, (7) iter Eudociae Hierosolymitanum, et Reliquias inde ab ea delatas memoravit, nullum de Catenis verbum habeat; neque in sermone illo de Catenis, quem Baronius Proclo aut Germano tribuebat, Tillemontius ignoti auctoris esse contendit, (8) mentio ulla de Eudocia fiat.

Sed tamen, inquies, Catenae illae Herodianae saeculo ipso Iustinianeo Romae erant, et eodem in templo, ubi Romanae Petri Catenae adservabantur. id enim ex Aratoris carminibus liquet, quae ille Vigilii Pontificis maximi, cui dicaverat, jussu, in eo ipso templo, atque in maximo procerum conventu pronunciavit. (9) hi quippe sunt postremi versus libri I. quos Arator narrato Petri e carcere educti prodigio, tamquam epiphonema subnectit: (10)

...*ma-*

(3) v. Cang. CP. Chr. lib. IIII. p. 115. num. 27.
(4) Conc. T. IIII. p. 1515. E.
(5) ibid. p. 1518. c.
(6) de Cat. s. Petri §. III. p. 23.
(7) in Analect. de ss. Petro et Paullo T. v. Iun. p. 449. n. 103.
(8) Mem. Eccl. T. I. p. 537.
(9) Labb. de Script. Eccl. in *Arat.* Monsacr. ibid. pag. 7.
(10) in Bibl. PP. T. x. ed. Lugd. p. 132.

. . . . *manet omne per aevum*
Pignoris hujus apex, et sideris obtinet instar,
Corpore quod Petrus sacravit et Angelus ore.
His solidata fides, his est tibi, Roma, Catenis
Perpetuata salus. etc.

haec nimirum de vinculis, quibus Apostolus Petrus Romae vinctus fuerat, explicari non possunt. nec dissentiunt, quae antiqua illa et a multis edita Inscriptio refert, eodem olim in templo insculpta, quam iterum ex Marinii lectione vulgamus.

HOC DOMINI TEMPLVM PETRO FVIT ANTE DICATVM
TERTIVS ANTISTES SIXTVS SACRAVERAT OLIM
CIVILI BELLO DESTRVCTVM POST FVIT IPSVM.
EVDOXIA QVIDEM TOTVM RENOVAVIT IBIDEM.
PELAGIVS RVRSVS SACRAVIT PAPA BEATVS
CORPORA SANCTORVM CONDENS IBI MACHABAEORVM.
APPOSVIT PETRI PRETIOSA LIGAMINA FERRI
ILLVSTRIS MVLIER QVAE DETVLIT AB HIERVSALEM
ET QVIBVS EST PETRVS NERONIS TEMPORE VINCTVS
AVGVSTI MENSIS CELEBRANTVR FESTA CALENDIS
HVC ACCEDENTI PVRGANTVR CRIMINA CVNCTA

Enimvero nihil planius afferri potest, ut post Pelagii sive primi sive alterius tempora communem hanc fuisse opinionem intelligamus, Herodianas Catenas in templo illo *ad Vincula* esse reconditas. Sed auctor Inscriptionis, ejusque aetas ignota: eamque historiam perstringi videmus, quam admitti non posse ostendimus. Arator vero magis urget: sed nodum solvi quis putet, si eum, qui Romae prope hospes erat, Mediolani enim et in Liguria perdiu vixerat, falsum esse dixerit: quodque argumento, in quo versabatur, optime quadrabat, pro Herodianis Catenis eas habuisse, quae jamdiu in eo templo servabantur, non Hierosolymis adlatae, sed Romae inventae. nihil certe Arator distinguit, et Herodianas tantum agnoscere videtur, quas tamen Romae ambas fuisse, ne in historia quidem illa conficta traditum est.

II. Quae

II. Quae quum ita sint, Kalendarium nostrum sequuti; sacras illas Catenas serius receptas, et utramque primum Constantinopolim perlatam arbitramur, sub Iustiniano fortasse ipso aut post eum: inde alteram denique e duabus huc ad nos missam, et in templo *ad Vincula* esse collocatam, ubi jamdiu Romanae Petri Catenae conditae fuerant: quod ante saeculi x. finem contigisse fatendum est. rem autem paucis expediam.

In Kalendario nostro diserte, ut vides, scriptum est εις προσκυνησιν ΤΩΝ ΑΛΥΓΕΩΝ. at in Menologio Basiliano, quod saeculo x. vertente confectum docuimus, titulus occurrit hujusmodi, Η προσκυνησις ΤΗϹ ΑΓΙΑϹ ΑΛΥϹΕΩϹ. atque pictura ipsa titulo congruit, unam tantum Catenam repraesentans in mensa positam, quam sacerdos adorat: tum in omnibus Menaeorum, Synaxariorum, hymnorum scriptoribus, qui Menologii Basiliani auctorem consequuti sunt, perpetuo animadvertere licet, non amplius ab iis duas, sed unam tantum Catenam commemorari, quae Constantinopoli servaretur. titulus Menologii Sirletini est: *Apud urbem Constantinopolim veneratio preciosae illius Catenae, qua beatus Apostolus Petrus Christi caussa, Herodis jussu vinctus est*. mitto alia exempla, quae cuique in promptu sunt. id me discrimen in eam opinionem prope rapit: et quia Iustinianus ab Hormisda, ut superius dixi, ne fragmentum quidem de sacris Catenis Romanis impetrare potuerat; hunc ipsum postea Hierosolymis Herodianas sibi comparasse crediderim, et in templo a se condito posuisse: quarum deinde alteram Irene Aug. aut quis alius eorum, qui post hanc ad saeculum usque x. imperitarunt, Romam ad Pontificem maximum mittendam curaverit. quamquam haec nullo scriptoris testimonio nituntur, nec a me plus aliquid, quam veri similia esse judicantur.

III. Templum sancti Petri, in quo hujus diei sollemnia agebantur, in Menaeis velut pars aedis Sophianae describitur: collocatam enim Catenam dicunt εν τω ναω του άγιου Πετρου τω οντι ενδον της μεγαλης Εκκλησιας, ενθα και ἡ Συναξις αυτου τελειται. (*) legebant autem ex Evangelio Ioannis, ubi a D. N. Iesu dictum est Petro, Οταν δε γηρασης, εκτενεις τας χειρας σου, και αλλος σε ζωσει, και οισει, ὁπου ου θελεις. (11)

AD

(*) *In templo sancti Petri, quod est in magna Ecclesia, ubi et Synaxis ejus peragitur.*

(11) Ioan. c. XXI. n. 18. *Quum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis.*

Digitized by Google

A D   D I E M   x v i I·

M E N S I S   I A N V A R I I

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΖ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΝ-ΤΩΝΙΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΜΕ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕCΤΗ Ο ΙΗCΟΥC ΕΠΙ ΤΟΠΟΥ ΠΕΔΙΝΟΥ ✠ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΟΚΤΩΒΡΙΩ ΚΑ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Diem hunc ab ipsis Euthymii Abbatis temporibus (1) quem natum constat anno ccclxxviI· Antonio magno sacrum fuisse, Metaphrastes ex Cyrillo Scythopolitano testatur: (2) qui de consuetudine Euthymii loquutus, qui in deserta secedere quotannis solebat post ογδοην μετα Φωτα ἡμεραν, sive post diem xiiI· mensis Ianuarii, eundem, quo anno mortuus est, subsedisse scribit; tum addit, Τριτῃ γȣν το μετα ταυτα ἡμερᾳ, ϗ της Αντωνιȣ ηδη τȣ θειȣ Εορτης επιςατης, αγρυπνιαν δια πασης της νυκτος εν τῳ ναῳ παραγγελλει. atque hunc diem non Aegyptii modo, sed Graeci quoque et Latini adhuc retinent, et mortis ejus diem esse anniversarium merito arbitrantur.

Decessit autem Antonius anno ccclvI· (3) et egregium laudum suarum praeconem a morte invenit magnum Athanasium, cujus commentarius Latine non multo post ab Evagrio Antiocheno redditus, (4) famam Antonii per Occidentem quoque auxit, multisque ad virtutem maximo incitamento fuit. (5) quamquam fuere, qui et Hieronymum ejus commentarii interpretem facerent: quos ipsius Hieronymi locus in epistola ad Pammachium (6) decepit, verba ex Evagrii praefatione referentis, quae illi Hieronymo perperam tribuerunt.

iI· Sacrum Antonii Corpus, ubi ipse jusserat, a discipulis humatum esse, scribit Athanasius, additque, ignotum cuique, praeter binos extremi illius officii ministros, tum fuisse, quo lo-

(1) in vit. Euth· n· 3· apud Cotel· Mon· Eccl· Gr· T· iI·

(2) ibid· num· 106· *Itaque tertio post haec die, jam adventante divini Antonii Festo, praecepit, ut per totam noctem vigilarent in templo.*

(3) v· Tillem· Mem· Eccl· T· viI· p·131·

(4) Hier· de Vir· Illust· c· 125·

(5) August· Confess· l· viiI· c· 6·

(6) Epist· 57· olim 101·

co esset conditum. (7) *ϗ ȣδεις οιδε τεως, πȣ κεκρυπται, πλην μονων αυτων των δυο ἱκετων.* verum ducentis prope annis post Athanasium, divino admonitu repertum esse, et Alexandriam in templum sancto Ioanni Baptistae sacrum magna pompa translatum fuisse, Victoris Tunnonensis, qui tum prope Alexandriam exsulabat, testimonio (8) et Isidori Hispalensis aliorumque relatione didicimus. inde saeculo septimo, quum Saracenorum armis Aegyptus premeretur, asportatum Constantinopolim ab ipsis Alexandrinis barbarorum metu solum vertentibus, tradit Bollandus, (9) auctoritatem sequutus Aimari Falconis, qui historiam de ea re scripsit: et sacrum illud pignus in templo Sophiae, aut in suburbano Constantinopolis repositum affirmat, quod de utroque loco aliquid memoriae mandatum invenerat. ceterum pro templo Sophiae Menaea stare videntur, in quibus legimus, *Τελειται δε ἡ αυτȣ Συναξις εν τη αγιωτατη μεγαλη Εκκλησια*: nisi quod Codinus templum etiam Antonii proprium commemorat. (10)

(7) In vita sub fin. *Nec quisquam interea praeter duos illos ministros novit, ubinam conditum esset.*

(8) in Chron. P. II. n. 2.

(9) T. II. Ian. p. 149.

(10) p. 12.

AD DIEM XVIII.

MENSIS DECEMBRIS

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΗ ΕΙϹ ΤΗΝ ΕΠΑΝΩΔΟΝ ΤΗϹ ΕΞΟΡΙΑϹ
ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΘΑΝΑϹΙΟΥ. ΚΑΙ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ
ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΚΥΡΙΛΛΟΥ ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΛΒ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙϹ,
ΥΜΕΙϹ ΕϹΤΕ ΤΟ ΦΩϹ ΤΟΥ ΚΟϹΜΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ
ΜΗΝΗ ϹΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Β, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Ecce tibi hodie Kalendarium nostrum suppeditat, unde veterem illam quaestionem solvas, cur hoc die Athanasii memoria in Graecorum Fastis colatur. multi hactenus putarunt, ſestum id esse institutum, quod hoc die pontificatum Alexandrinum suscepisset: alii, quod hoc die mortuus esset: quidam, quod Corpus ejus alio translatum hoc die fuisset. Tillemontius vero, (1) quem Asse-

(1) Mem. Eccl. T. III. p. 722.

Digitized by Google

Assemanus (2) sequutus est, diem hunc ad arbitrium esse delectum censuit, quo studium suum Graeci erga sanctissimum Archiepiscopum impensius declararent. sed jam omnium sententias refellit titulus Kalendarii nostri, εις την Επανοδον της εξοριας, et memoriam hoc die celebratam discimus Reditus Athanasii ad Ecclesiam Alexandrinam.

At quum *Magister* ille *fidelissimus et Confessor eminentissimus*, ut a Vincentio Lirinensi in secundo Commonitorio appellatur, non semel Alexandria exsulare coactus sit, nec unus reditus ejus in patriam fuerit; quaerendum hic, cujus potissimum instituta celebratio videatur. primum enim ab ipso Constantino magno, quum eum ab Eusebianorum insidiis servare vellet, anno CCCXXXVI. Treviros ablegatus est. unde biennio post Constantinus junior in honoris sui sedem reductum Alexandrinis percupientibus reddidit. rursum, annis duobus a reditu primo elapsis, Alexandria discedendum fuit, ut Romam peteret, concilioque adesset, quod Iulius Pontifex maximus indixerat. ibi dum accusatores suos expectat, calumniis absens appetitus, in conciliabulo Antiocheno damnatur, et pontificatu abrogato, in ejus locum Gregorius Cappadox inducitur. nec ille Alexandriam tum revisit, nisi post annos octo, Sardicensis Concilii decreto restitutus, et Constantii Aug. litteris revocatus anno CCCL. aut proximo superiore. vix quinquennium in Ecclesia sua exegerat, quum adversus eum tertio conjuratum est, eique fuga capessenda fuit, quo tempore apud solitarios Ascetas vixit, vel Alexandriae latuit, Georgio Cappadoce in locum ejus supposito, qui annos quinque Alexandriae dominatus, tandem anno CCCLXI. Ethnicorum armis, quos aeque ac Christianos in se concitarat, interemptus est, sedemque Athanasio vacuam reliquit, quam tertio recepit. sed Iuliano Apostata, qui jam imperium adeptus fuerat, adversante, quarto se abdere, et publico carere coactus est usque ad Ioviani tempora, quocum et ipse et Ecclesia Alexandrina recreata revixit. nec tamen hic periculorum ejus et latebrarum finis. Iovianum excepit Valens Arianarum partium fautor: itaque ne tum quidem Athanasio secura pax fuit, Alexandria nihilominus excessisse non creditur, sed clam occulteque munere suo ad mortem usque perfunctus esse, quam anno CCCLXXI. qui pontificatus ejus quadragesimus sextus fuit, contigisse, auctor est Socrates. (3)

 Habes

(2) Kal. Eccl. univ. T. VI. p. 91.

(3) Hist. Eccl. l. III. c. 16.

Habes seriem exsiliorum et restitutionum Athanasii, quam apud Papebrochium, Montfauconium, Sollierum, si operae tibi sit, recognoscere potes. enimvero si petis, cujus ego reditus memoriam hodie coli existimem, ejus omnino arbitror, qui secundus fuit, quum, Gregorio Cappadoce mortuo, post octavum exsilii annum, Constantio Aug. adnuente restitutus est. duo nempe in hanc sententiam me adducunt, tempus et ipsa reditus celebritas. nam Gregorium illum, quem in pontificatum ejus invasisse diximus, mense Ianuario decessisse scimus, eodem Athanasio teste, qui *μετα μηνας πȣ δεκα* mortuum eum scribit, (4) post Pascha anni CCCXXXXVIII. quod III. nonas Apriles fuit: idque quamprimum rescire potuit Constantius, qui tum Antiochiae versabatur: (5) ut hoc ipso die decretum de Athanasii reditu ab eo promulgatum putare possis. nam litteras jam a Constante fratre acceperat, quibus gravissime admonebatur, ut Athanasium revocaret: tum eum detectae adversariorum fraudes molliverant, et Athanasio dudum conciliaverant, ut oblatam rei perficiundae occasionem statim adripuisse dicendus sit.

Iam vero ille Athanasii reditus omnium celeberrimus fuit. redibat enim, ut Apologia ejus secunda nos edocet, splendidissimis Conciliorum Romani et Sardicensis decretis honestatus, redibat tribus Constantii Aug. epistolis invitatus, redibat Iulii Pontificis maximi litteris honorificentissimis Ecclesiae Alexandrinae commendatus: tanta vero orbis Christiani laetitia, ut quadringenti prope Episcopi numerarentur, qui literas ad eum gratulationis caussa misissent; multi praeterea, quos adversarios habuerat, erroris sui veniam peterent, et cum eo in gratiam redirent. quare sic tum ille Aegyptum et Alexandriam suam ingressus est, ut eum provinciae universae prope humeris suis reportare viderentur. haec mihi omnia tanti sunt, ut secundi hujus Reditus memoriam in Fastis hisce nostris consignatam esse, pro certo habeam.

II. Quod reliquum est, de honoribus Athanasii apud Constantinopolitanos, dicemus ad diem II. mensis Maji. nunc investigandum est, quinam sint, qui eodem hoc die in Kalendario post Athanasium memorantur, Cyrillus & Alexander. enimvero haud defore arbitror, qui proxima Athanasii commemoratione admoniti, Alexandriae Patriarchas eos esse putent, quorum alter Athanasium suc-

(4) in Epist. ad solit. T. I. p. 823. (5) Tillem. Mem. Eccl. T. VIII. p. 122.

successorem habuit, alter quartus ab hoc fuit, nec vero, quamquam inversus temporum ordo est, sine aliqua caussa id statuent; quum Graeci sequiores hoc die Cyrillum saltem cum Athanasio conjungant, et Menologium Basilianum hunc hodie praeferat titulum, *Μνημη των ἁγιων πατερων ἡμων Αθανασιȣ και Κυριλλȣ*. verum re perpensa, non illi mihi in Aegypto, sed domi, in ipsa nempe regia urbe quaerendi esse videntur. quum enim hic nullo apposito distinguantur, & Athanasii quidem certa sollemnitas, ceterorum nulla designetur propria, quorum etiam Natalem alio die apud Aegyptios et Graecos celebrari constet; eos ego potius *ἁπλως* cieri crediderim, quod domi noti essent, et ad Constantinopolim spectarent. utrumque autem ad saeculum v. pertinuisse censeo, e quibus Alexander auctor et parens Monachorum Acoemetorum fuit, Cyrillus Hegumenus eorundem: quorum monasteria Menae Patriarchae aevo insignia erant, ut Synodus ab eo coacta demonstrat. opinionem hanc meam confirmat memoria sancti Marcelli Abbatis, de quo egi ad diem XXVIII. Decembris. nam si Constantinopolis Marcellum venerabatur, cur negligere Alexandrum debebat, quo ille magistro tantum profecerat, quique in ejusdem vita, ut a Bollando animadversum est, (6) vir sanctus et summis virtutibus praeditus fuisse dicitur. (7) nec mirandum est, si Cyrillus Alexandro praeponatur: nam, si quid video, hoc factum est, quod Cyrilli corpus Constantinopoli erat, Alexandri in monasterio Irenaeo prope littus urbi oppositum in Bithynia: itaque minus hic, quam ille ad Constantinopolitanos pertinebat. sed tamen de Alexandro, qui antiquior fuit, primum dicam.

III. Alexandri illustris memoria est, quamquam is superiori aetate Tillemontium virtutis suae parum aequum censorem invenit. (8) vita enim ejus a Monacho Acoemeto nitide accurateque perscripta ad nos usque pervenit, quam Bollandus Latine edidit, et commentario excoluit. hanc, quia, diem ejus natalem nullis in fastis consignatum reperisset, in diem XV. hujus mensis retulit; ut cum discipulo ejus Ioanne Calybita celebraretur: in quo, ut vides, a die natali ipsius sive festo parum aberravit. de patria nihil certi traditum, nisi quod in Asia natum apparet, in qua item multis rebus gestis inclaruit. sed Constantinopoli etiam diu vixit, et apud Menae Martyris aedem monasterio praefuit trecentorum Mo-

(6) Ian. T. I. p. 1018. n. I.
(7) apud Sur. die 29. Dec. §. 7.
(8) Mem. Eccl. T. XII. p. 490.

Monachorum, quorum bona pars ex aliis coenobiis ad eum confluxerat. at quum plurimos in urbe regia adversarios nactus, male audiret, et in judicium quoque vocatus, quotidie traduceretur, in Bithyniam ad Gomon cum suis Monachis sibi concedendum duxit: ubi maxime constitutam a se familiam ordinavit, et *ακοιμητον δοξολογιαν* instituit, ut Monachi in decurias divisi psalmodiae sic operam darent, ut alii aliis succedentes perpetuam facerent, nulla diei vel noctis parte a divinis laudibus vacua: cujusmodi exemplum ante aliquot annos Romae prope vicum Merulanas in religiosissimo virginum Helvetiarum collegio revixerat. atque illic Alexander vita etiam functus est, anno ccccxxx. aut non multo serius maturiusve, quemadmodum Tillemontius (9) ostendit: corpus ejus, quum ibidem conditum esset, translatum deinde est ad monasterium Irenaeum, quo Philothei cujusdam hortatu Ioannes Abbas Alexandri successor Monachos traduxit, eoque in loco sepulcrum ejus prodigiis quotidianis celeberrimum fuisse traditur; ipsumque monasterium diu maxima in laude fuit.

III. Nunc de Cyrillo, cujus tamen vitam, si quis litteris eam mandavit, vel nondum invenimus, vel jamdiu amisimus. Abbas erat Cyrillus Monachorum Acoemetorum Constantinopoli anno ccccLXXXIII. (10) et Studii; opinor, monasterium regebat, Leonis magni anno VI. constitutum, de quo Theophanes: (11) Τῳ δ'αυτῳ ετει ϗ Στȣδιος, (qui consul fuerat anno ccccLIII.) *τον ναον εκτισεν τȣ Προδρομȣ, ϗ Μοναχȣς εκ της μονης των Ακοιμητων εν αυτῳ κατεςησεν*, ex Irenaeo scilicet monasterio colonia deducta. Valesius tamen vel Bassiani vel Dii monasterium Cyrillo tribuit: quum Bassianeum mulierum fuisse constet, in quo sanctam Matronam vixisse alias ostendimus; (12) *Μονη* vero *τȣ ὁσιȣ Διȣ* Theodosio magno Aug. initium habuerit, (13) ante quam Alexander *ακοιμητον δοξολογιαν* instituisset. quanti Cyrillum faceret Felix III. Pontifex maximus, testes sunt ejus ad legatos suos litterae, quum Acacii caussa ageretur, quos inaudito Cyrillo nihil agere, nihil sine ejus consilio aggredi jussit. Και γραφει Φιληξ, inquit Evagrius, (14) *τοις*

(9) ibid. p. 494. et apud Boll. ibid. p. 1020. num. 11.

(10) ex Evagr. l. III. c. 19.

(11) in Chronogr. eo an. *Eodem anno et Studius templum Praecursoris, monachosque ex Acoemetorum monasterio illuc deduxit.*

(12) ad diem 8. Nov. n. 3.

(13) Men. Sirl. ad diem 19. Iul. et Codin. p. 61.

(14) lib. III. c. 19. *Deque Miseno Felix scribit, ne quid adgrederentur, ante quam Cyrillum convenirent, et ab eo, quid agendum esset, edíscerent.*

τοις περι Μισηνον , μηδεν πραξαι πριν τῳ Κυριλλῳ *συντυχοιεν , ϗ παρ᾽αυτȣ το πρακτεον μαθοιεν .* ex ipsius enim et litteris et legationibus, quarum meminit Evagrius, (15) noverat Felix, quanta ille fide Catholicam doctrinam servaret, et quanta constantia Petri Mongi haeresim, atque Acacii Patriarchae ac Zenonis Aug. novitates aversaretur. itaque de Vitaiis quoque et Miseni nefaria proditione ut certior est factus, litteras ad eundem contra legatos misit, de quibus nos edocet Nicolaus I. verba ipsius referens in epistola ad Clerum Constantinopolitanum: (16) *Quoniam factum est, sicut ipse Cyrillo Abbati Acymitensi scribit, ut eorum praevaricatione deciperetur populus Christianus.*

Ceterum haec mihi tantum de Cyrillo Abbate Acoemetorum comperta, quibus memoria ejus illustraretur. qui de Patriarchis Alexandrinis, non de hoc Monachorum pari in Kalendario nostro mentionem fieri contendent, illud sibi explicandum esse meminerint, cur deinde in Menologiis et Menaeis nomen Alexandri omissum sit, nec de Reditu Athanasii ullum in iis verbum legatur.

(15) ibid. c. 20. et 21.

(16) apud Hard. Conc. T. V. p. 202.

AD DIEM XX.

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Κ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΟCΙΟΥ ΠΑΤΡΟC ΗΜΩΝ ΕΥΘΥΜΙΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΙΑ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC ✠ ΠΑΝΤΑ ΜΟΙ ΠΑΡΕΔΩΘΗ ΥΠΟ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟC ΜΟΥ ✠ κ. τ. λ.

I. Memoriam sancti Euthymii hoc ipso die olim recolebat quotannis sanctus Sabas, teste Cyrillo Scythopolitano, qui in hujus vita haec habet: (1) *ϗ επετελει την τȣ μεγαλȣ* Ευθυμιȣ *μνημην την κατα την εικαδα τȣ* Ιαννȣαριȣ *μενος επιτελȣμενην .* atque hunc diem non Graeci modo omnes, sed etiam Latini jamdiu servant.

Vitam Euthymii accuratissime scriptam planeque germanam reliquit idem, qui et Sabam scriptis illustravit, Cyrillus Monachus;

(1) num. 22. apud Cotel. M. Eccl. Gr. T. III. p. 249. *Et celebrat magni Euthymii memoriam, quae die vicesimo Ianuarii mensis peragebatur.*

chus; qui non multo post illius mortem eodem in monasterio vixit, et cum sancti viri discipulis versatus est. at quam Latine Bollandus, et Graece etiam Cotelerius (2) edidit, a Metaphraste esse putatur, qui tamen Cyrillum adamussim fere sequutus sit: (3) Cyrilliana autem omnino esse videtur, quam non multo post in Analectis suis vulgavit Montfauconius, primum eorum opusculorum, quibus rem litterariam auxit.

Natus erat Euthymius anno CCCLXXVII· quem mors Valentis Aug. consequuta est. sud initium imperii Theodosii magni, quum annum ageret tertium, Deo consecratur, inquit Metaphrastes, (4) et gradus Ecclesiae omnes emensus, anno aetatis vicesimo nono Hierosolyma venit: annis vero sexaginta in solitudine exactis, *quum esset annorum nonaginta novem* excessit e vita anno XVI· imperii Leonis Aug. id est anno CCCCLXXIII· Dionysiano. mendum esse in numero annorum, quos Euthymius vixit, jam animadvertit post Bollandum Tillemontius, qui LXXXXVI· fuisse ostendit. (5) mirum autem in eo numero lapsum Metaphrastem, quum et inire rationem facile posset, et Cyrilli contextum ob oculos haberet, in quo diversa tradebantur. equidem vexatum potius illum Metaphrastae locum crediderim, quam ab eo in supputatione erratum esse. Cyrillus scripserat, *Ελθεν εις Ιεροσολυμα τῳ εικοστῳ εννατῳ ετει της ἑαυτου ἡλικιας· καὶ ποιησας εν τῳ ερημῳ ἑξηκοντα ετη καὶ ἑπτα, επι της πεμπτης Λεοντος του βασιλεως ὑπατειας, τῳ ἑξκαιδεκατῳ ετει της αυτου βασιλειας τελει του βιου εχρησατο*. (*) unde utique anno nonagesimo sexto Euthymium obiisse apparet: quum annos natus XXVIII· Hierosolyma accessisse, et ibidem septem et sexaginta annos versatus esse dicatur: in quo item numero apud Metaphrastem mendum est. de funere Euthymii, cui Anastasius Patriarcha Hierosolymorum, Clero secum et militibus ad custodiam deductis, interfuit, multa snbinde habet Metaphrastes, qui et de prodigiis post mortem ab Euthymio patratis prope solus disserit: Cyrilli enim codex integer ad nos non pervenit.

II· Etsi vero Euthymio patria fuit Melitene in Armenia minori, vitaque ab eo Hierosolymis traducta est; magno tamen in honore, cum alibi, tum etiam Constantinopoli fuit: cujus me-

mo-

(2) ibid· T· II· p· 200·
(3) ibid· in Not· p· 604·
(4) ibid· p· 293· n· 109·
(5) Mem· Eccl· T· XVI· p· 82·
(*) *Hierosolyma venit anno aetatis suae vicesimo nono: actisque in solitudine annis sexaginta septem, in consulatu quinto Leonis Aug· anno decimo sexto imperii ejus, vitae finem habuit·*

moriam hodie in templo Sophiano splendide celebrabant. (6) an et aedes illic aliqua dicata fuerit, minus liquet.

(6) Boll. T. II. Ian. p. 299. n. 6.

AD DIEM xxI.

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΒ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΠΟCΤΟΛΟΥ ΤΙΜΟΘΕΟΥ, ΚΑΙ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟC ΑΝΑCΤΑCΙΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΥΙΓ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC ✣ ΠΑC ΟCΤΙC ΟΜΟΛΟΓΙCΗ ΕΝ ΕΜΟΙ ΕΜΠΡΟCΘΕΝ ΤΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ κ. τ. λ.

I. Timotheum hoc die passim honorant Graeci: Latini inter se discrepant. nam Vsuardus quidem Graecos sequitur, Codices Hieronymiani tribuunt diem xxvII. Septembris, Beda, Ado, alii xxIII. Ianuarii, Vuandelbertus xvI. Maji: inde pronum est argumentari, Natalis ejus diem ignotum esse.

At virtus ejus Paulli Apostoli testimonio nobilitata est, cujus et discipulus idem fuit, et socius periculorum, et particeps curarum maximarum: quae tu singula apud Tillemontium (1) maxime recognoscere poteris. sunt et Acta martyrii ejus, quorum auctor Polycrates, at non is, qui Ephesinae Ecclesiae Episcopus fuit, Victoris Pontificis maximi aevo: neque enim quispiam veterum ejusmodi opusculum Polycrati adscripsit. sexto quintove saeculo ea litteris mandata, censuit Tillemontius: (2) quae a Photio quoque lecta, apparet, nec tamen cum Polycratis nomine. (3) Martyrem eum Ephesi occubuisse, omnes consentiunt, cujus item urbis primus Episcopus habetur. (4) ibidem sacrum Timothei corpus humatum esse, nec longe a Ioannis Apostoli sepulcro, Menaea tradunt.

II. Ceterum Constantii Aug. temporibus Reliquiae Timothei Constantinopolim translatae sunt, et in Apostolorum templo compositae. diem Translationis consignat Theodorus Lector (5) προ ὀκτω

Vol. II. E

(1) Mem. Eccl. T. II. p. 142.
(2) ibid. p. 147.
(3) Cod. 254. p. 1401.
(4) v. Quien. Or. Chr. T. I. p. 662.
(5) Hist. Eccl. l. II. n. 61.

οκτω καλανδων Ιυλιων: sed fasti Idatiani ipsas calendas Iunias, (6) quae in Chronico Alexandrino Iuliae sunt, sive μηνι Πανεμῳ A. de anno nulla controversia: ubique enim adscribitur consulatus Constantii Aug. VIII· et Iuliani Caes. id est annus CCCLVI· qui eum proxime antecessit, quo Reliquiarum Andreae et Lucae Translatio eandem in aedem peracta est.

Sed tamen Paullinus Nolanus Translationem utramque Constantino patri aperte tribuit: cujus versus, quia simul regiae urbis laudem continent, libens describam. sunt autem ex carmine XI· in sanctum Felicem, secundum Mingarellii editionem.

Nam Constantinus proprii quum conderet urbem
Nominis, & primus Romano in nomine regum
Christicolam gereret, divinum mente recepit
Consilium, quoniam Romanae moenibus urbis
Aemula magnificis strueret tunc moenia caeptis,
His quoque Romuleam sequeretur dotibus urbem,
Vt sua Apostolicis muniret moenia laetus
Corporibus: tunc Andream devexit Achivis
Timotheumque Asia: geminis ita turribus exstat
Constantinopolis magnae caput aemula Romae,
Verius hoc similis Romanis culmine muris,
Quod Petrum Paullumque pari Deus ambitione
Compensavit ei, meruit quia sumere Paulli
Discipulum cum fratre Petri.

nihil utique apertius dici potuit. at non tam id a Paullino scriptum duxerim, quod Translationum tempus auctoremve ignoraverit, quam quia sciret, rem illam a Constantino destinatam, ac templum sacris ejusmodi muneribus condendis paratum esse: ut quae filius perfecisset, patris consiliis adscribenda existimaret.

III· Anastasii memoriam hoc ipso die celebrant Latini, deque eo praeclarum ellogium habes in Martyrologio Romano, quod in Adone etiam et Vsuardo idem fere est. Acta exstant antiqua et germana, quorum meminere Patres Concilii Nicaeni II· (7) nonnulla ex illis delibantes. ea vero tam praeclare, inquit Sollierus, (8) a Bollando illustrata sunt, nihil ut desiderari posse videa-

(6) Sirm· Op· var· T· II· p· 261·

(7) Act· 4· Hard· Conc· T· IIII· p· 174·

(8) In Vsuard· ad hunc diem·

deatur. de hoc ipso Martyre Persa laudationem a Georgio Pisida conscriptam esse, Suidas auctor est, ut opinor, non dubius. repudiandam enim puto lectionem illam codicis Parisiensis *εις τον μεγαν Αθανασιον*, prae communi hac *εις τον Μαρτυρα Αναςασιον*, quum cetera, quae eidem tribuuntur, ad tempora Anastasii nostri spectent, qui martyrium fecit sub Chosroe illo juniore, quem Heraclius devicit. haec enim Suidae verba: (9) *Εις Ηρακλειον τον βασιλεα ϗ εις τον κατα Περσων πολεμον· ετι τε Αβαρικα καταλογαδην· Εγκωμιον εις τον Μαρτυρα Αναςασιον.*

De Translatione autem Imaginis ejus et sacri Capitis, quae adhuc Romae ad Aquas Salvias adservantur, testimonium in Concilio Nicaeno II. dixerunt legati Hadriani Pontificis maximi, simul atque perlecta fuit prodigii historia, quod Caesareae in Palaestina contigerat, Reliquiis Martyris e Perside illuc adlatis: *Αυτη*, inquiunt, (10) *ἡ εικων τȣ ἁγιȣ Αναςασιȣ ἑως της σημερον ἡμερας εν Ρωμῃ εςιν εις μοναςηριον συν τῃ τιμιᾳ αυτȣ κεφαλῃ*. atque hoc ipsum postea in Menologium quoque Basilianum ad hunc diem, quo item *Αναμνησις των τιμιων λειψανων* recolitur, diserte relatum est.

IIII. Verum ad Constantinopolitanos etiam et Martyris famam, et sacri cineris ejus pignora pervenerunt: quemadmodum ad diem xxv. Octobris Menaea indicant; quibus quoque sancte colendis aedes viduae opibus exstructa dicitur, quae subinde gemina fuit, altera scilicet Irenae Aug., & Constantini filii impensis condita. (11) tum et saerarium eidem in sancti Philemonis templo dicatum, monuimus ad diem XIII. Decembris n. II. totidem autem templa eidem Martyri sacra in urbe sunt: habuit et Neapolis sua, de quibus meminit Mazochius: (12) quae item, ut haec nostra, Vincentio Diacono simul dicata erant, Hispano Martyri celeberrimo, quem tamen Graeci serius receperunt.

 AD

(9) v. Γεωργιος *De Heraclio Imperatore et bello Persico: ad haec Abarica oratione soluta, et Encomium Anastasii Martyris.*

(10) apud Hard. ibid. p. 177. *Haec imago sancti Anastasii usque in hodiernum diem est Romae in monasterio ipsius cum pretioso ejus capite.*

(11) Codin. p. 39.

(12) Kal. univ. T. 1. p. 21.

AD DIEM XXIII.

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΓ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΚΛΗΜΕΝΤΟC

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΛΗ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC, ΤΑΥΤΑ ΕΝΤΕΛΛΟΜΑΙ ΥΜΙΝ, ΙΝΑ ΑΓΑΠΑΤΕ ΑΛΛΗΛΟΥC (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ CΑ. ΤΗC Γ ΕΒΔΟΜΑΔ. ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

ΑΛΛΟ ΤΗ ΑΥΤΗ ΗΜΕΡΑ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΙΔ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕΠΟΡΕΥΘΗ Ο ΙΗCΟΥC ΤΟΙC CΑΒΒΑCΙΝ ΔΙΑ ΤΩΝ CΠΟΡΙΜΩΝ ✠ ΟΙ ΔΕ ΜΑΘΗΤΑΙ ΑΥΤΟΥ ΕΠΕΙΝΑCΑΝ κ. τ. λ.

I. Fasti Latinorum veteres Clementem non memorant, quamquam in Kalendario Neapolitano nomen ejus quodammodo latere putat Mazochius, (1) quod socius ejus Agathangelus memoretur: quippe in eo perpetuum hoc esse ait, *ut quoties duorum pluriumve Sanctorum uno communi festo cultorum collegium occurrit, primus tantum (pro omnibus tacite intelligendis) proponatur*.

De illo Papebrochius ad Ephemerides Graecas: *Episcopus*, inquit, *Ancyrae in Galatia Clemens cum tribus Diaconis Agathangelo, Christophoro ac Charitone et pluribus pueris, sub Diocletiano et Maximiano martyrium subiit: cujus duplicia Acta Latina dedimus*, (2) *Graeca reservamus. Clementem et Agathangelum Romano hodierno Baronius quoque adscripsit*: quos nempe Molanus antea receperat. ea tamen Acta Tillemontio non probantur, (3) tam quae a Metaphraste sunt, in quibus Baronius ipse multa culpabat, (4) quam quae Bollandus emisit primus, et Metaphrasteis potiora habuit. displicent enim in iis Tillemontio orationes plus aequo longae, et quae insunt historiae veritati contraria, non ita pauca. unde planum fit, serius omnino scripta esse, quam opus erat, ne perversa illa Graecorum consuetudine, quae maxime a saeculo VIII. obtinere coepit, fabulis adspergerentur. inde porro ea

(1) Kal. Neap. T. I. p. 22.
(2) Ian. T. II. p. 460.
(3) Mem. Eccl. T. V. p. 162.
(4) in Martyr. ad hunc diem.

ea etiam hausta videntur, quae Menologium Basilianum perstringit.

Clementem Quienus Ancyranae Ecclesiae praefuisse censet post Theodorum, ac bene martyrium ejus ante annum cccxiiI. contigisse statuit, (5) quo anno Marcellus Ecclesiam illam jam administrabat, ut Ancyrani Concilii subscriptiones declarant. (6)

iI. Synaxin Clementis et Agathangeli celebratam quotannis extra urbem regiam hoc die, testantur Menaea, ac locum sic designant, *εν τῳ ἁγιωτατῳ αυτων Μαρτυριῳ τῳ οντι περαν εν τοις Ευδοξιȣ, επεκεινα Αναπλȣ*. (*) num ibidem sacrum Clementis Caput jam adservaretur, ignoramus: sed collocatum postea fuisse in sacrario sive *Ευκτηριῳ*, quod Basilius Macedo in regia honori Martyris dicavit, Porphyrogennetes memoriae prodidit, (7) seque de Ancyrano Clemente loqui, satis significavit.

Ceterum de Martyrum honoribus et de eorum monumentis, quae magnis sumptibus eximioque cultu olim exstruebantur, vix quidquam hactenus commentati sumus: ut hic tandem nonnulla nobis uberius exponenda videantur. sunt enim aetate nostra ex eruditulis quidam inepti homines, qui veterum Christianorum parsimoniam modumque laudant, et novo exemplo templa et sacraria nunc aedificari clamant impensis provinciarum et Imperii Romani viribus, quae antea, inquiunt, levi sumptu et mole exigua, sine ornatu, sine luxu fiebant. adversus quos neque ex urbe Roma neque ex Constantinopoli exempla petemus: ubi omnia opera publica, et e privatis etiam pleraque magnifica erant, admonebantque, ne Dei templa minore studio magisve rara munificentia conderentur ab iis, qui opes suas in profanis aedificiis strenue profudissent. magis quadrat exemplum e vico sumptum, quod mihi Gregorius Nyssenus suppeditat. (8) sepulcrum is describens sancti Mar-

(5) Or. Chr. T. I. p. 457.

(6) Hard. Conc. T. I. p. 279.

(*) *In sanctissimo eorum templo trans fretum in fundo Eudoxiano ultra Anaplum.*

(7) In vit. Basil. c. 56.

(8) T. II. orat. de s. Theod. pag. 1011. ed. Paris. Morell. *Quod si (quis) venerit ad aliquem locum similem huic, ubi hodie noster conventus habetur, ubi memoria justi sanctaeque Reliquiae sunt; primum quidem earum rerum magnificentia, quas videt, oblectatur, dum aedem, ut templum Dei, et magnitudine structurae et adjecti ornatus decore splendide elaboratam intuetur: ubi et faber in animalium figuram lignum formavit, et latomus ad argenti levitatem crustas lapideas expolivit: induxit autem etiam pictor flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris, repugnantias, efferatas et immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeam illam fornacem, beatissimam consummationem Athletae, certaminum praesidis Christi humanae formae effigiem, omnia nobis tamquam in libro quodam vocali, coloribus artificiose depingens, cer-*

Digitized by Google

Martyris Theodori Tironis, de quo egimus in Corollario voluminis I. num. V. idque parvo tunc in vico Euchaïtis situm, in finibus Amasenorum Ponti, sacrum illud monumentum sic ob oculos ponit: Ελθων δε (τις) εις τι χωριον ὁμοιον τουτῳ, ενθα σημερον ὁ ἡμετερος συλλογος, ὁπου μνημη δικαιου ϗ ἁγιου λειψανον· πρωτον μεν τῃ μεγαλοπρεπειᾳ των ὁρωμενων ψυχαγωγειται, οικον βλεπων ὡς Θεου ναον, εξησκημενον λαμπρως τῳ μεγεθει της οικοδομης ϗ τῳ της επικοσμησεως καλλει, ενθα ϗ τεκτων εις ζωων φαντασιαν το ξυλον εμορφωσεν, ϗ λιθοξοος εις αργυρου λειοτητα τας πλακας απεξεσεν. επεχρωσε δε ϗ ζωγραφος τα ανθη της τεχνης εν εικονι διαγραψαμενος τας αριστειας του Μαρτυρος, τας ενστασεις, τας αλγηδονας, τας θηριωδεις των τυραννων μορφας, τας επηρειας, την φλογοτροφον εκεινην καμινον, την μακαριωτατην τελειωσιν του αθλητου, του αγωνοθετου Χριστου της ανθρωπινης μορφης το εκτυπωμα, παντα ἡμιν ὡς εν βιβλιῳ τινι γλωττοφορῳ δια χρωματων τεχνουργησαμενος, σαφως διεγορευσε τους αγωνας του Μαρτυρος, ϗ ὡς λειμωνα λαμπρον τον νεων κατηγλαϊσεν. οιδεν γαρ ϗ γραφη σιωπωσα εν τοιχῳ λαλειν, ϗ τα μεγιστα ωφελειν. ϗ ὁ των ψηφιδων συνθετης ἱστοριας αξιον εποιησεν το πατουμενον εδαφος. si haec saeculo quarto vicanorum pietas jam effecerat, qualia in opulentis urbibus, postquam totae Christianae factae sunt, monumenta Martyrum exstructa dicemus? vel quis jam sine veteri exemplo esse affirmaverit, quae nunc aedes honori Martyrum exornentur, et quamvis splendide magnificeque excolantur?

certamina atque labores Martyris nobis expressit, ac tamquam pratum amoenum et floridum templum exornavit: solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse. lapillorum item concinnator historiae par opus in pavimento, quod pedibus calcatur, effecit.

AD DIEM XXV.

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΒ ΕΙΣ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΤΟΥ ΘΕΟΛΟΓΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΚΓ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕΚΟΛΟΥΘΗΣΑΝ ΤΩ ΙΗΣΟΥ ΟΧΛΟΙ ΠΟΛΛΟΙ ✠ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΟΚΤΩΒΡΙΩ Γ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Vnus hic in Kalendario nostro Gregorii Nazianzeni memoriae sacer dies, qui deinde triplex. nam Menaea tribuunt eidem

hoc

hoc uno in mense diem xvIII. xxv. et xxx. cum Basilio et Chrysostomo, quos tamen sera aetas designavit. Latini veteres hodiernum diu cum Graecis retinuerunt, quem praefert Kalendarium Neapolitanum, praeferunt Beda, Rabanus, Notkerus, Adonis praeterea quaedam et Vsuardi exemplaria: posteriores vero in diem VIIII. mensis Maji transtulerunt: etsi dies hodiernus mortis ejus anniversarius videtur, quum in Kalendario Neapolitano scriptum sit DEP. et ipsae Graecorum Ephemerides hoc die mortuum enuncient.

De aetate Gregorii scripsit Suidas, (1) Ελασας δε περι τα εννενηκοντα ετη και επεκεινα, Θεοδοσιου τριτον και δεκατον ετος αγοντος, καταλυει τον βιον. quae verba, mirum, quantam quaestionem de anno ejus natali excitarint. quum enim annos a Suida numeratos retinere vellet Papebrochius, (2) atque adeo natalem ejus in annum trecentesimum referret, mortem vero in annum trecentesimum nonagesimum primum, in magnas incidit difficultates, e quibus se expedisse Tillemontio (3) non videtur. atque is quidem natum Gregorium putat anno CCCXXVIIII. mortuum anno CCCLXXXVIIII. aut sequenti, quum ageret annum vitae suae LX. aut LXI. (4) nec de anno mortis multum discrepat Hieronymus; scripsit enim, (5) *Decessitque ante hoc ferme triennium sub Theodosio Principe*. nam si cum Vallarsio legas *Biennium*, ut quaedam exemplaria habent, cum Suida mortuus anno XIII. Theodosii dicendus erit; quum librum de Viris Illustribus aggressus fuerit Hieronymus anno XIIII. Theodosii, sive *biennio ferme* post Gregorii mortem; quam Suidas anno XIII. Theodosii conjungens, refert in annum Dionysianum CCCLXXXXI. verum de tam longa Gregorii vita nihil nos edocuit Hieronymus: & Tillemontii difficultates gravissimae sunt, quas ego iis dissolvendas relinquo, qui novam jamdiu Operum Gregorii editionem Parisiis urgent.

Res autem a Gregorio gestas, summas ejus virtutes, egregia scripta, magnorum denique virorum de eo praeconia, cum alii multi, tum Papebrochius in primis (6) et Tillemontius exhibuere. (7) mihi satis sit cognominis meminisse, quo hic ornatur, communem cum Apostolo Ioanne appellationem adeptus ob praecla-

(1) v. Γρηγοριος Ναζ. *Decessit anno decimo tertio Theodosii Imperatoris annos natus amplius nonaginta.*
(2) T. II. Maji die 9. §. II.
(3) Mem. Eccl. T. VIIII. p. 693.
(4) Ibid. p. 555. v. Stilt. in Act. ss. T. III. Sept. p. 1.
(5) de Vir. Ill. c. 117.
(6) ibid. a pag. 369.
(7) ibid. a pag. 305.

claras illas περι Θεολογιας quinque orationes, quibus, ut ait Baronius, (8) *exultantes et insultantes repressit hostes: qui diutius summa rerum potiti, nemine adversante, fastu tumido incedentes, magnam cum potentia ex perfidia et impietate sibi gloriam comparaverant*. viventi ne Gregorio haeserit id cognominis, an a morte additum sit, minus liquere puto. certe Hieronymus eam appellationem, quum maxime deberet, non usurpavit: sic enim in libro *de Viris Illustribus* c. cxvII. ellogium ejus incohat: *Gregorius primum Sasimorum deinde Nazianzenus Episcopus, vir eloquentissimus, praeceptor meus, quo Scripturas explanante, didici, etc.* ceteri vero scriptores qui Gregorium Θεολογον aut τον δευτερον Θεολογον vocant, aetatis, opinor, omnes recentioris sunt.

II. Quo tempore Kalendarium nostrum scriptum est, carebant etiamtum Constantinopolitani sacro Gregorii Corpore. Translatio enim ejus e Cappadocia pertinet ad annum DCCCCL. vel alium huic proximum, eaque celebrata est jussu Constantini Porphyrogennetae magna admodum pompa, atque in Fastos relata ad diem xvIII. hujus mensis. exstat de ea Graeci anonymi Laudatio, quam Latine edidit Papebrochius (9) ex còdice Bibliothecae regiae Taurinensis. (10)

Sed tamen vigebat ibidem memoria Gregorii, et eximio totius civitatis studio colebatur, duobus maxime in templis, Sophiae scilicet et Anastasiae, quibus tertium accessit templũm Apostolorum, postquam Reliquiae ejus inlatae fuere. nota haec e Menaeis, ac potissimum e Synaxario Sirmondi. (11) aedem autem ipsius nomini dicatam, ut Cangius putabat, nusquam in regia urbe fuisse, superius indicavimus: (12) et confirmare licet ex Menaeorum et Synaxarii silentio. neque enim id praetermissum esset, quum ea quoque templa recenserentur, in quibus sollemnia ejus agi mos erat. num vero subinde tanti Patris Reliquiae Venetias, an Romani perlatae fuerint, disputat Papebrochius, et post eum Tillemontius, (13) quos tibi adire licet. ea ad me controversia non pertinet.

AD

(8) ad an. 378. §. 62.
(9) Ibid. a pag. 448.
(10) Cod. 126. inter Graec. Pasin. p. 221.
(11) Papebr. ibid. p. 369.
(12) ad diem 17. Nov. n. 2.
(13) Mem. Eccl. T. vIII. p. 556.

AD DIEM XXVII.

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΖ ΕΙC ΤΗΝ ΕΠΑΝΩΔΟΝ ΤΟΥ ΛΥΨΑΝΟΥ ΤΟΥ ΧΡΥCOCΤΟΜΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠΘ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC, ΕΓΩ ΕΙΜΙ Η ΘΥΡΑ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ CΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Β, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Ecce rursum in Fastis magnus ille Ioannes, regiae urbis Patriarcha clarissimus, nec jam alio nomine designatus, quam quod sibi aurea oris eloquentia pepererat. quae quidem viri appellatio non est habenda recens: falsusque est Fabricius, qui multo serius cognomen illud Ioanni impositum existimavit, quod ei saeculo sexto jam tributum, in adnotationibus ad Gregorii Agrigentini vitam demonstravi.

Annum ac diem hujus Translationis proximus eorum temporum Socrates sic litteris consignavit: (1) *Και γεγονεν τῃ εξκαιδεκατῃ ὑπατειᾳ τȣ βασιλεως Θεοδοσιȣ, περι την ἑβδομην και εικαδα τȣ Ιανȣαριȣ μηνος*. consulatus autem XVI. Theodosii junioris notat annum Dionysianum CCCCXXXVIII. quo sacrae Chrysostomi Reliquiae in regiam urbem hoc die pervenerunt. nam Comanis quidem anno superiore elatae fuerant, ut adnotavit Stiltingus. (2)

Porro Socrates Translationis hujus Proclum facit auctorem: *Το σωμα*, inquit, *Ιωαννȣ εν Κομανοις τεθαμμενον, βασιλεα πεισας.... εις την Κωνςαντινȣ πολιν μετεκομισε*. contra Theodoretus Theodosio ipsi tribuit: (3) *Τȣτον δε εκεινῃ τῃ πολει τον θησαυρον ὁ νυν βασιλευων προσηνεγκεν*: quae tamen facile conciliari possunt, quum utriusque studio et praesentia peracta res fuerit. narrat hic idem de Theodosio, quum ad loculum accessisset, oculos et frontem eum admovisse, ac pro parentibus suis supplicasse, quando illi per imprudentiam peccarant, ut pacem eis veniamque daret.

Multa et mira de tota ea pompa complexus est Cosmas Βεςητωρ sive Vestitor oratione *εις την Επανοδον τȣ λειψανȣ τȣ εν ἁγιοις πα-*

(1) Hist. Eccl. l. VII. c. 45. *Id autem contigit sextodecimo Consulatu Imperatoris Theodosii, die vicesimo septimo mensis Ianuarii.*

(2) in Act. Chrys. n. 1461.

(3) Hist. Eccl. l. V. c. 36. *Hunc porro thesaurum regiae urbi donavit is, qui nunc imperium obtinet.*

πατρος ἡμων Ιωαννȣ τȣ Χρυσοςομȣ: sed quae non omnia recipit Stiltingus: scripsit enim ille, ut censet Oudinus, (4) saeculo decimo. at illud testatum reliquit Theodoretus, sub Reliquiarum adventum non aliter, ac tum contigerat, quum ab exsilio primo revocatus est, Bosporum obviam prodeuntium navigiis completum fuisse: (*) Και παλιν, inquit, ὁ πιςος ὁμιλος ὡς ηπειρῳ τῳ πελαγει δια των πορθμειων χρησαμενος, τȣ βοσπορȣ το προς τῃ Προποντιδι ςομα ταις λαμπασι κατεκρυψε. processum vero per urbem attigit Socrates, de Patriarcha Proclo scribens: (*) Και μετα πολλης τιμης δημοσιᾳ πομπευσας αυτο, εις τον επωνυμον των Αποςολων Εκκλησιαν απεθετο. sic in sedem suam restitutus sanctus Ioannes, τριακοςῳ πεμπτῳ ετει μετα την καθαιρεσιν, primam nempe, inquit Socrates idem: cui deinde Graeci veterem injuriam novis in dies honoribus compensarunt. nam praeter hunc diem ei dicatum, quem Latini etiam servant, ac praeter sollemnem ejus memoriam, quae die XIII· mensis Novembris celebratur, pontificatus quoque ab eo suscepti et exsiliorum ejus dies anniversarios instituerunt. (5)

II· Sollemnia hujus festi biduo continenti a Proclo acta esse, non obscure indicat Theodorus Lector, qui Reliquias conditas scribit die XXVII· (6) Και κατετεθη εν τοις ἁγιοις Αποςολοις προ πεντε καλανδων Φεβρȣαριων. atque id ipsum confirmat in Chronico suo Marcellinus Comes: (7) *Reliquiae beatiſſimi Ioannis, Auguſtae Vrbis quondam Epiſcopi, eidem redditae civitati, ibique ſepultae menſe Ianuario die* XXVII· quum autem ceteri Patriarchae in templi Apostolorum porticibus, uti alias monuimus, sepulcra cum Augustis communia haberent, is honor Chrysostomo habitus est, ut εντος τȣ θυσιαςηριȣ, (8) id est prope Andream et Timotheum et Lucam conderetur, qui sub ipso altari quiescebant.

AD

(4) de Script· Eccl· T· II· p· 400·

(*) *Atque iterum fidelis populus mari prae navigiorum multitudine instar continentis effecto, oſtium Boſpori ad Propontidem ſitum facibus obtexit·*

(*) *Idque ſollemni pompa per urbem traductum, ingenti cum honore in Eccleſia Apoſtolorum depoſuit · · · · anno poſt ejus abdicationem triceſimo quinto·*

(5) v· Mazoch· in Kal· Neap· ad hunc diem·

(6) Hist· Eccl· l· II· 64· *Et compoſitae ſunt ad ſanctos Apaſtolos quinto calendas Februarias·*

(7) ad annum 438·

(8) Zonar· p· 35· &c·

AD DIEM XXVIII.

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΗ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΟCΙΟΥ ΕΦΡΑΙΜ ΤΟΥ CΥΡΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΜΕ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕCΤΗ Ο ΙΗCΟΥC ΕΠΙ ΤΟΠΟΥ ΠΕΔΙΝΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΟΚΤΩΒΡΙΩ ΚΑ , ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Diem hunc sancti Patris Ephraemi memoriae sacrum habuere Graeci, Syrique omnes: at Latini jam ab Vsuardi aetate kalendis Februariis natalem ejus colere solent. neuter tamen mortis ejus dies est anniversarius, quemadmodum a Tillemontio probe ostenditur: (1) qui eum mense Septembri decessisse, Gratiano Aug. imperium auspicante, declarat, sive anno CCCLXXVIII. eundem vero non diu post mortem caelestium honoribus ab Ecclesia affectum esse, testis est Gregorius Nyssenus, qui in ejus Laudatione festum anniversarium sic designat: (2) *Εφραιμ δε νυν εις ευφημιαν περιηγαγε τρεχων ο χρονος*. nam illam Nysseni opus esse plane germanum, non diffitetur Tillemontius, (3) affirmat Caves.

Patria Ephraemi Nisibis fuit in Mesopotamia, (4) quamquam Syrus appellari solet, quod antiquitus totum illum Orientis tractum Syriam plerique nominarent. natus autem est sub Constantini magni principatu, (5) et ab adolescentia inter monachos vixit; grandis natu Edessam migravit, ubi Diaconus factus, doctrina et exemplo multis saluti fuit. scripta ejus extollit in primis Sozomenus, (6) quae e Syriaco in Graecum sermonem translata dicit vel eo superstite, nec minus placuisse, quam si Graece ab Ephraemo ipso dictata fluxissent; adeo succi plena erant, et singulari auctoris doctrina praestantia. de scriptorum etiam multitudine quae tum fama esset, addit, ac *Λεγεται*, inquit, *τας πασας αμφι τας τριακοσιας μυριαδας επων συγγραψαι*: ubi *επη* usurpat Sozomenus pro *ϛιχοις*, ut bene Valesius contra Christophorsonum

ani-

(1) Mem. Eccl. T. VIII. pag. 744.
(2) sub exordii fin. T. II. p. 1029. *Euphraemum nunc ipse anni circulus nobis celebrandum reduxit.*
(3) ibid. p. 725.
(4) Sozomen. l. III. c. 19.
(5) Tillem. ibid. p. 262.
(6) ibid. *Dicitur porro circiter tricies centena versuum millia in universum scripsisse.*

Digitized by Google

animadvertit; vetus quippe consuetudo erat, ut ad librorum calcem versuum numerum adscriberent, et in librorum censu *στιχομετριαν* etiam repraesentarent, quam nos ex librorum forma et paginarum numero agnoscimus. de tot vero Ephraemi operibus exstant adhuc non pauca, et Syriace quidem multa, Graece alia aut Latine, quae doctissimorum virorum Petri Benedicti, ac Iosephi Simonii Stephanique Evodii Assemanorum cura prodiere Romae, voluminibus sex comprehensa et utili commentario illustrata. (7)

II. Magnum ubique fuisse Ephraemi nomen, veteres Patres passim significant; eumque ad tantam venisse claritudinem, ait Hieronymus, (8) *ut post lectionem Scripturarum publice in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitarentur*. in Concilio autem Chalcedonensi Sabas quidam diaconus Syrorum doctissimus memoratur, *ὁ τα συνταγματα κατα τον τοπον τȣ μακαριȣ Εφραιμ λεγων*: (9) quae dictum Hieronymi confirmare videntur. itaque non est mirandum, si fama ejus, quem Oriens universus suscipiebat, mare quoque transmiserit, et in ipsa regia urbe in honore habitus sit. sacram ejus Imaginem in magnae Ecclesiae Vestiario cum aliis adservatam, docet nos Theodorus Studites in Testamento suo n. III. *εν τῃ θειᾳ Ενδυτῃ της μεγαλης Εκκλησιας*, unde illam hodie prolatam, atque in templo propositam credere licet.

Reliquias quoque ejus Constantinopolim demum perlatas esse, non immerito existimare quis possit. certe in Aquilinae Martyris templo memoriam ejus quotannis hoc die celebratam, Menaea testantur: *Τελειται δε ἡ αυτȣ Συναξις εν τῳ Μαρτυριῳ της ἁγιας Ακυλινης εν τῳ Φιλοξενῳ, πλησιον τȣ Φορȣ*, quod templum Iustiniani aevo jam stabat: ambustum enim incendio scimus in seditione Victoriatorum. (10) ejusdem tamen Augusti munificentia restitutum vix putem; esto, illa in sacris aedibus exstruendis reficiendisque plurimum ubique enituerit: nam Fasti nostri Aquilinam non referunt.

Ceterum saeculo X. minus vera de Ephraemo Constantinopoli ferebantur, qualia sunt, quae in Menologio Basiliano legimus, Presbyterum nempe a Basilio Caesariensi eum esse factum, & ab eo tempore Graece loqui coepisse, quum antea Syriace tantum sciret. sed de his jam a Tillemontio actum reperies.

A D

(7) Salvioni formis ab ann. 1732. ad ann. 1743.

(8) de Vir. Ill. c. 115.

(9) apud Hard. Conc. T. II. pag. 524. *Qui constituta beati Ephraemii per loca singula profert.*

(10) Chron. Alex. ad ann. V. Iustiniani.

AD DIEM XXVIIII.

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΘ ΕΙC ΕΠΑΝΟΔΟΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΓΝΑΤΙΟΥ ΤΟΥ ΘΕΟΦΟΡΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΡΚΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΥΙΔ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΗΛΘΕΝ Ο ΙΗϹΟΥϹ ΚΑΙ ΟΙ ΜΑΘΗΤΑΙ ΑΥΤΟΥ ΕΙϹ ΚΑΠΕΡΝΑΟΥΜ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΔΕΚΕΜΒΡΙΩ Κ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

ΑΛΛΟ ΤΗ ΑΥΤΗ ΗΜΕΡΑ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΑΗ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙϹ ΤΑΥΤΑ ΕΝΤΕΛΛΟΜΑΙ ΥΜΙΝ, ΙΝΑ ΑΓΑΠΑΤΕ ΑΛΛΗΛΟΥϹ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ϹΑ· ΤΗϹ Γ ΕΒΔΟΜΑΔ· ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Quamquam non una Reliquiarum Ignatii Translatio fuit; quum et Roma primum in Orientem perlatae fuerint, atque in Antiochiae coemeterio prope portam Daphniticam conditae; tum inde in ipsam urbem Antiochiam traductae, et in veteri fano collocatae; demum Antiochia Romam rursus advectae, et in Clementis templo compositae: titulus tamen Kalendarii nostri satis declarat, primae Translationis memoriam hoc die celebrari, quo die scilicet Antiochenses Ignatium suum, quem Romam ad martyrium abductum amiserant, reducem quadantenus acceperunt. nec sane difficile fuit, quum Ignatius martyrio defunctus esset die xx. mensis Decembris, ut ossa ejus die xxviiI· mensis Ianuarii, sive quadragesimo post die Antiochiam perferrentur: etsi nihil vetat, quominus Translationem vel in annum proximum, qui fuit cviiI. referamus. nam in Actis martyrii haec tantum de Ignatii Reliquiis adnotata sunt: (1) *Μονα γαρ τα τραχυτερα των ἁγιων αυτȣ λειψανων περιελειφθη, ἁτινα εις την Αντιοχειαν απεκομισθη, ϗ εν λινῳ κατετεθη, θησαυρος ατιμητος ὑπο της εν τῳ Μαρτυρι χαριτος τῃ ἁγιᾳ Εκκλησιᾳ καταλειφθεντα.* de loco autem, ubi primum positae Reliquiae sint, nos edocuit Hieronymus: (2) *Reliquiae*, inquit, *corporis*

(1) n· v· apud Grab· Spic· PP· T· II· pag· 21· *Solae enim duriores sanctarum ejus Reliquiarum partes relictae, eaeque Antiochiam delatae sunt, et in sudario depositae, loco thesauri inaestimabilis, ob eam, quae erat in Martyre, gratiam, sanctae Ecclesiae cesserunt·*

(2) de Vir· Ill· c· 16·

poris ejus Antiochiae jacent extra portam Daphniticam in coemeterio.

Ad hunc porro diem pertinere videtur homilia Chrysostomi in sanctum Ignatium. esto, illam habuerit, ut ipse in exordio testatur, (3) paullo post festum Pelagiae virginis Martyris: de die hujus sollemni nihil exploratum proferri potest, ut ex hoc mense eximendus videatur. (4) at contra titulus Laudationi Ignatii praepositus maxime huic sollemnitati convenit; tum in ipsa oratione multa Chrysostomus complectitur de Reliquiarum Translatione: & de Antiochensium felicitate praefatus, qui talem Martyrem tamque beneficum recepissent, Μη τοινυν, inquit, σημερον μονον, αλλα ϗ καθ᾽ἑκαςην ἡμεραν προς αυτον βαδιζωμεν, πνευματικȣς εξ αυτȣ δρεπομενοι καρπȣς. (5)

II. Post Chrysostomi aevum, Theodosio juniore imperium administrante, altera Antiochiae celebrata Translatio est, cujus potius, quam primae illius memoriam hodie apud Graecos recoli, non bene putabat Vsserius. (6) diserte enim ei opinioni adversatur Kalendarium nostrum: deinde festum illud secundae Translationis Antiochensium proprium, non Graecorum commune fuisse apparet. nam Evagrius, commemorata celebritate, qua Ignatii Reliquiae curru in urbem invectae sunt, et in eo templo reconditae, quod antea Τυχαιον aut Τυχαιον dicebatur, mox peracta expiatione, Ignatii fuit; haec demum subdidit: (7) Οθεν ϗ δημοτελης ἑορτη ϗ πανδημος ευφροσυνη μεχρις ἡμων τελειται, προς το μεγαλοπρεπεςερον τȣ ἱεραρχȣ Γρηγοριȣ ταυτην εξαραντος: quae sane urbis illius propria sollemnia demonstrant, quibus novum etiam splendorem postea addidisse Gregorius dicitur.

III. Tertiam Translationem, cujus Latini meminere ad diem XVII. mensis Decembris, Iustiniani aetate contigisse, suspicabatur Baronius. (8) at rem secus esse, evincit adlatus modo Evagrii locus. quippe Gregorius ille Patriarcha, qui sollemnia secundae Translationis augustiora fecisse dicitur, Evagrii aequalis fuit, ut idem affirmat, (9) et vixit uterque post Iustinianum ad ultima usque

(3) Oper. T. II. p. 592.
(4) v. Moutfauc. ibid. p. 584.
(5) Ibid. p. 600. E. *Ne igitur hodie solum, sed quotidie ad eum accedamus, spiritales inde fructus decerpturi.*
(6) in prolegom. ad Epist. Ign.
(7) Hist. Eccl. l. 1. c. 16. *Quam ob caussam publica sollemnitas quotannis ad nostra usque tempora communi totius populi laetitia celebratur, quam Gregorius ejusdem loci Episcopus longe adhuc magnificentiorem reddidit.*
(8) In Martyrol. ad diem 17. Dec.
(9) Hist. Eccl. l. VI. c. 7.

que Mauritii tempora. itaque satius erit, tertiam hanc in saeculum VII. rejicere, ac tum denique sacras Ignatii Reliquias Romam relatas credere, quum Saracenorum armis oppressa est Antiochia, id est post annum DCXXXVIII.

III. Ab hoc anno Constantinopolitanis, nisi jam sub Theodosio juniore potiti fuerant, de sacris Ignatii Reliquiis partem aliquam obtigisse putaverim; quum alias quoque in urbes particulas earum nonnullas perlatas esse, vetus fama sit. (10) sed aliam etiam cultus ejus et memoriae apud Graecos plerosque caussam afferre licet. Chrysostomus enim in prima illa Translatione urbes passim, qua sacrum illud pignus efferebatur, tamquam de reditu eximii Victoris laetatas esse tradit; (11) itaque Antiochenses suos adloquens, Εξεπεμψατε γαρ, ait, Επισκοπον, ϗ εδεξασθε Μαρτυρα· εξεπεμψατε μετ' ευχων, ϗ εδεξασθε μετα στεφανων. ϗ ουχ ὑμεις μονον, αλλα ϗ πασαι αἱ εν μεσῳ πολεις. πως γαρ αυτας οιεσθε διακεισθαι ορωσας επαγομενον το λειψανον; ποσην καρπουσθαι ἡδονην; ποσον αγαλλεσθαι; ποσαις ευφημιαις παντοθεν βαλλειν τον στεφανιτην; ducta mox ab invicto Athleta similitudine, quem honoris caussa populus magnos inter plausus sublatum humeris certatim reportare domum solebant, haec subnectit: Ουτω δε ϗ τον ἁγιον τοτε εκεινον απο της Ρωμης αἱ πολεις εξης διαδεχομεναι, ϗ επ' ωμων φερουσαι μεχρι της πολεως ταυτης παρεπεμπον εγκωμιαζουσαι τον στεφανιτην, ανυμνουσαι τον αγωνοθετην, καταγελωσαι του διαβολου. et quae deinceps. quare non est mirandum, si laetitiae illius memoria mansit, diuque iis etiam cara fuit, qui plurimum Antiochia distabant: praesertim quum ob singularem sanctitatem ac praeclarum martyrium clarissimus esset, idemque multas antea urbes praesens adiisset, multas sibi, epistolis ad eas missis, devinxisset.

AD

(10) v. Bolland. T. I. Febr. p. 36.

(11) Oper. T. II. p. 600. C. *Emisistis enim Episcopum, et Martyrem recepistis: emisistis cum precibus, et cum coronis suscepistis. nec vero vos soli, sed cunctae, quae interjectae sunt civitates. quomodo enim eas affectas existimatis, quum reportatas Reliquias cernerent? quem voluptatis fructum percipere? quanta laetitia gestire? quam faustis undique acclamationibus coronatum celebrare? .... sic utique et sanctum illum omnes ex ordine civitates ab Vrbe relatum suscipientes humerisque gestantes, Antiochiam usque sunt comitatae, Martyrem coronatum celebrantes, laudantes agonothetam, diabolum deridentes.*

AD DIEM XXXI·

MENSIS IANVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΛΑ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΑΒ-
ΒΑΚΥΡΟΥ ΚΑΙ ΙΩΑΝΝΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΟΘ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΠΡΟϹΚΑΛΕϹΑΜΕΝΟϹ Ο ΙΗ-
ϹΟΥϹ ΤΟΥϹ ΜΑΘΗΤΑϹ ΑΥΤΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ
ΝΟΕΜΒΡΙΩ Α, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Insignes hi Martyres Alexandriae Diocletiani aevo lauream adepti, magno in honore apud Graecos fuere, a quibus, ut Menologia testantur, *Θαυματȣργοι* et *Αναργυροι* appellati sunt; eaque de caussa convenire iis visa est lectio ex Evangelio Matthaei, quae rem utramque explicaret: nam illa hodie legebantur ex cap. x. *Ασθενȣντας θεραπευετε, λεπρȣς καθαριζετε, νεκρȣς εγειρετε, δαιμονια εκβαλλετε. δωρεαν ελαβετε, δωρεαν δοτε.* nec vero iidem apud Latinos ignoti, quum templum etiam prope urbem habuerint. (1) Acta eorum reperies apud Bollandianos, (2) a Sophronio Hierosolymitano scripta, e quibus loca quaedam in Concilio Nicaeno II· prolata fuere. (3)

Illud animadvertendum, primi Martyris nomen passim *Cyrum* esse, non *Abbacyrum*: nec tamen differre, quod το Αββα nil aliud sit, quam appositum monachi, qualis fuisse hic fertur Cyrus, qui nempe antea medicus Alexandriae versatus, mox clade Christianorum et Diocletiani edictis perterritus, ut est in Menologio Basiliano, *φευγει εις Αραβιαν, ϗ γινεται μοναχος.* enimvero, quod mirere, appellationem ejusmodi Latini alicubi retinuerunt, quam in Liturgicis aliquot codicibus reperit Mazochius (4) et apud Castellanum etiam indicatam agnovit: nos vero adhuc Romae legimus in aede Michaëlis Archangeli ad forum piscarium, antiqua nempe in tabula, quae ingredienti ad laevam occurrit, et sacrarum Reliquiarum censum continet. versus enim decimusoctavus hujusmodi est: SCI· ABBAQVIRI· SCI· IOHANNI· SCI· DOMITII· vocabulum Mazochius ab Aegyptiis fluxisse censet, unde erat Cyrus,

1) v· Baron· in Martyr· ad hunc diem et lib· Pont· in Gregor. IIII· n· 13·
2) T· II· Ian· p. 1081·
3) Act· IIII· Conc· Hard· T· IIII· p· 205·
4) Kal· Neap· T· I· p· 30·

rus, eaque de caussa in Coptico Kalendario vocari *Abbacher*, qui Graecis factus est *Abbacyrus*, et recentioribus *Cyrus*.

II. Erat Constantinopoli templum Cyro et Ioanni Martyribus sacrum, in quo festum eorum hoc die celebratum Menaea nos docent: Τελειται δε ἡ αυτων Συναξις εν τῳ Μαρτυριῳ αυτων τῳ οντι εν τοις Φωρακιȣ, vel Σφωρακιȣ potius, viri Patricii, qui Consulatum, ut jam monuimus, gessit anno ccccLII. is prope aedes suas alia quoque templa aedificasse dicitur, non longe a templo Sophiae: (5) ut hujus etiam auctor fuisse videatur. horum certe Martyrum corpora jam inventa fuerant, sub Arcadii scilicet principatu, ut Menologium Basilianum et Sirletinum testantur.

Fuit vero et Cyri monasterium εν τοις Ελεβιχȣ; sed hoc a Consule fortasse nomen habebat. ab eo certe habebat aedes sanctae Genetricis Dei, (6) quam τα Κυρȣ appellabant, qui in Fastis ad annum ccccxxxI. Flavius Cyrus Panopelites dicitur, et praetorii quoque praefecturam sub Theodosio juniore gessit. ea et Ναος Θεομητορος τȣ Κυρȣ nominata a Theophane, (7) ubi sancti Romani sepulcrum fuisse scripsimus. (8)

Similes porro templorum appellationes et Latina nobis et Graeca Ecclesiae historia suppeditat: ac monasteria in primis de Conditorum nominibus dicta numerare inferius non pauca liceat, quum album monasteriorum proponemus, (9) quae saeculo sexto in regia urbe stabant. procerum quippe et Consularium virorum ditissimus quisque pecuniam olim a se optime collocari putabat, si templa Deo, et monasteria familiis Deo devotis aedificaret. quorum quidem liberalitatem illustris quoque gloria subsequuta est, nomine eorum ab oblivione vindicantibus ipsis operibus, quae mansere, et tantae pietatis studium celebrantibus iis, qui beneficio accepto obstricti, memoriam grata recordatione recolebant. quamquam illi majora spectabant, et ad criminum expiationem profuturum sibi merito spondebant, quidquid Dei honori dedicassent. quo pertinet Theodori Studitae epigramma (10) sive Inscriptio εις ειςοδον μοναςηριȣ, quod Anna pro se et Leone conjuge ac Ioanne filio collegiatis Virginibus exstruendum sua impensa curaverat.

(5) v. Cang. CP. Chr. l. II. p. 179.
(6) Simocat. l. vIII. c. 8.
(7) in Chronogr. p. 242.
(8) ad diem I. Octobr. n. 3.
(9) ad diem xvIII. Aug. n. III.
(10) n. cxx. edit. Sirm.

Αννης απαρχη τῳ Θεῳ ϗ Δεσποτῃ
Η τηδε μανδρα ϗ μονη σεβασμια
Επωνυμουσα της παναγιου Παρθενου
Και παρθενους φερουσα νυμφιοκλεως,
Ασκητικως ζῃν, ενθεως διαπρεπειν·
Υπερ τε λυτρον των ὁλων ἁμαρταδων
Αυτης γε ταυτης ϗ Λεοντος συζυγου
Μεθ᾽ὡν Ιωαννου τε φιλτατου τεκνου.

quae a Sirmondo sic reddita accepimus totidem senariolis:

Deo atque Domino has Anna primitias dedit,
Mandram hanc, monasteriique venerandam domum,
Quae nacta nomen Virginis sanctissimae,
Titulisque sponsi virgines claras habet,
Caelestis illic studia quas vitae excolant:
Vtque redimantur munere hoc piacula
Cuncta ipsiusmet, ac Leonis conjugis,
Ioannis etiam filii carissimi.

COM-

COMMENTARIORVM DIVRNORVM

LIBER VI·

AD MENSEM FEBRVARIVM

TRimestre hinc diarium ordimur raris plane festis distinctum. Ecclesiæ enim praescripta, quorum nunc quoque vestigia manent, sic ferebant: nam canone LI· Concilii Laodiceni decretum fuerat, *Οτι ου δει εν τεσσαρακοστῃ Μαρτυρων γενεθλιον επιτελειν, αλλα των ἁγιων Μαρτυρων μνειαν ποιειν εν τοις σαββατοις ϰ κυριακαις*. (1) pertinet autem decretum hoc ad annum CCCLXXII· eique Latinos quoque, Ambrosianos in primis, paruisse apparet: nisi potius existimandum sit, consuetudinem ejusmodi apud Latinos ab ipsis Ecclesiae incunabulis servatam esse. Kalendarium Bucherianum omnium antiquissimum mense Februario nihil aliud exhibet, quam VIII· *Kal· Martii Natale Petri de Catedra*. mense Martio haec tantum, III· *non. Mart. Luci in Calisti*, et *non. Martii Perpetuae et Felicitatis, Africae*. Aprilis vero totus vacuus est. Kalendarium Carthaginiense Mabillonii sollemnia Martyrum incohat ante diem XIII· kal· Majas, nempe post Pascha, nec ultra diem XIII· kal· Martias excurrit. mitto alia exempla, quae recentiorum sunt temporum. inde satis liquet, quare tribus, qui sequuntur, mensibus tam paucas sanctorum Caelitum sollemnitates consignatas reperiamus.

Habet autem Februarius statos dies festos sex tantum: nec in

 iis

(1) apud Hard· Conc· T· 1· p· 790· *Quod non oporteat in Quadragesima Martyrum natalitia celebrari, sed eorum sancta commemoratio in diebus sabbatorum et dominicarum fieri conveniat*.

iis exponendis declarandisque diu immorabimur. longa enim indagatione vix opus est.

AD DIEM I.

MENSIS FEBRVARII

ΜΗΝῊ ΦΕΒΡΟΥΑΡΙΩ Α ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΤΡΥΦΩΝΟC

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΙΖ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC, ΙΔΟΥ ΔΙΔΩΜΙ ΥΜΙΝ ΤΗΝ ΕΞΟΥCΙΑΝ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ CA. I ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Tryphonem Latini colunt IIII. idus Novembres; at Graeci omnibus in Fastis hoc die: quos sequitur Kalendarium Neapolitanum. atque hunc esse Martyrii diem anniversarium, ex tormenti genere, quod subire coactus est, (1) optime argumentatur Tillemontius: (2) nec audiendus Mazochius, qui Kalendario illi suo plus tribuit, quam revera dandum sit. vult enim, quia in eo non *Passio*, sed *Natalis* s. Tryphonis scriptum est, idcirco diem hunc non esse θανάσιμον: (3) quum non uno loco diem *Natalem* appellari constet, quem omnino diem mortis fuisse scimus eorum, quibus ea nota adscripta est.

II. Martyrii socium habuit Trypho Respicium conterraneum suum: erantque ambo ab origine Phryges, sed uterque tamen in in Apameae Bithyniae finibus in vico Sansoduro nati: simul autem circa annum CCL. comprehensi, Nicaeamque adducti sunt, quo tempore provinciam illam administrabat Ti. Gracchus Claudius Aquilinus, imperium vero adeptus jam erat Decius: eaque in urbe post praeclaram confessionem durumque certamen, quam optarant palmam invicti tulerunt. Acta eorum, bonae utique frugis, quae Tillemontius etiam recepit, primus edidit Octavius Cajetanus (4) ex Bibliotheca Vallicelliana, ubi jam Baronius legerat. (5) haec vero Latina sunt: alia commemorat Graeca Fabricius, et Allatius. (6)

III. Ante

(1) Nam gelu quoque perusta Martyris membra.

(2) Mem. Eccl. T. III. p. 342.

(3) Kal. T. I. p. 32.

(4) In Vit. ss. Sic. T. I. in Animad. p. 122.

(5) v. Adnot. ad Martyr. die X. Nov.

(6) Fabr. Bibl. Gr. T. VIII. p. 151. Allat. de Simeon. p. 98. & 99.

III. Ante Iustinum I. Aug. fuisse Constantinopoli videtur aedes sancto Martyri Tryphoni dicata. in Synodo enim, quae anno I. Iustini, sive anno DXVIII. Constantinopoli celebrata est, libellus monachorum oblatus fuit, cui cum aliis subscripserat (7) Λεοντιος πρεσβυτερος ϗ αρχιμανδριτης του εν ὁσιοις Τρυφωνος. nisi forte extra urbem haec erat et trans fretum in Bithynia, εν τῃ κατα τον Ακριτα χερσονησῳ, quam sane memorat Michaël Studites in vita sancti Theodori, ibidem in monasterio sancti Tryphonis aliquandiu versati, ibidemque demortui: τῃ του ἁγιου νσῃ Τρυφωνος. (12) tum aliam esse duxerim, de qua in Originibus Constantinopolitanis scriptum est, (8) Ο δε Ισιδωρος ὁ του Ευβολου αδελφος τον ἑαυτου οικον ποιησας ναον, εκτισε ϗ τον ἁγιον Τρυφωνα, επικυρωσας κτηματα πολλα, quam aedem Codinus Iustino, (9) Procopius (10) Iustiniano male tribuunt, nisi pro una tres admittere velis. fuit et tertia, quam Iustinus junior cum Sophia Augusta condidit εις τα Βασιλισκου, Codino auctore. (11) ceterum Menaea tradunt, sollemnia sancti Tryphonis agi solita εν τῳ Μαρτυριῳ αυτου τῳ οντι ενδον του σεπτου Αποςολου Ιωαννου του Θεολογου, πλησιον της ἁγιωτατης μεγαλης Εκκλησιας; ut hic etiam sacrarium ille monumentumve aliquod habuisse videatur.

Porro quum tanto in honore Tryphonem apud Constantinopolitanos fuisse videamus, Reliquias quoque ejus ibidem adservatas, credibile est: praesertim quum Ecclesiae mos fuerit perantiquus, templa sine Reliquiis non dedicari. (13) nam quod a majoribus accepimus, Tryphonis et Respicii unaque Nymphae virginis Corpora Romae adservari in templo sancti Spiritus ad vicum Saxonum, nihil id officit: quum neque annus ejus Translationis, notus sit, neque templum ipsum inter antiqua numeretur: tum fieri etiam potuerit, ut pars aliqua Reliquiarum eodem tempore utrobique esset. (14)

AD

(7) apud Hard. Conc. T. II. p. 1329.
(8) v. Cang. CP. Chr. l. IIII. p. 140. *Isidorus autem Euboli frater sanctum quoque Tryphonem aedificavit, domo sua in templum conversa, eique multas possessiones addixit.*
(9) Ant. CP. p. 50.
(10) de aedif. l. I. c. 9.
(11) ibid. p. 50.
(12) apud Sirm. n. 119.
(13) v. Paullin. Nol. ep. XI. ad Sever. &c.
(14) v. Baron. in Ann. ad an. 55. n. XV.

AD DIEM II.

MENSIS FEBRVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Β ΕΙC ΤΗΝ ΥΠΟΠΑΝΤΗΝ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ
ΚΑΙ CΩΤΗΡΟC ΗΜΩΝ ΙΗCΟΥ ΧΡΙCΤΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Γ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΑΝΕΓΑΓΟΝ ΟΙ ΓΟΝΕΙC ΤΟ ΠΑΙΔΙΟΝ ΙΗCΟΥΝ ΕΙC ΙΕΡΟCΟΛΥΜΑ, ΠΑΡΑCΤΗCΑΙ ΤΩ ΚΥΡΙΩ κ. τ. λ.
(ΑΠΟΔΕ ΑΡΧ. ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ CΥΜΕΩΝ ΚΑΙ ΑΝΝΗC)
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΗΝ ΑΝΘΡΩΠΟC ΕΝ ΙΕΡΟΥCΑΛΗΜ, Ω ΟΝΟΜΑ CΥΜΕΩΝ ✠ ΚΑΙ Ο ΑΝΘΡΩΠΟC ΟΥΤΟC ΔΙΚΑΙΟC ΚΑΙ ΕΥΛΑΒΗC κ. τ. λ.

I. Hodierna sanctae Virginis Dei Genetricis sollemnia, quibus oblationem redemptionemque recolimus divini Infantis, quam post quadragesimum a partu diem ex veteris legis praescripto Hierosolymis in templo fecit, Graeci jamdiu Υπαπαντην aut Υπαντην (1) appellant sive *Occurſum*, quod hodie Simeon potiſſimum atque Anna Servatori orbis, quem votis omnibus expectabant, obviam processerunt: nos contra ritum ipsum expiationis spectantes, *Purificationem* Latino et idoneo vocabulo nominamus. quamquam majores Graecam vocem, ut habent vetera Martyrologia, diu usurparunt. unde Henschenius (2) ipsam celebritatem a Graecis primum manasse opinabatur.

At magna controversia est, cui saeculo festi hujus primordia adscribenda sint. Baronius a primis saeculis minime repetit, quin *Ego*, inquit, (3) *ſane illud aſſeverare non dubito, nullum vel Latinorum vel Graecorum Patrum, qui ante Iuſtinianum Imperatorem vixerunt, ſermonem in feſto die Occurſus Domini ſcriptum reliquiſſe*. sed mihi quidem discrimen omnino inducendum videtur inter mysterii memoriam et festi hodierni celebritatem. nam illam quidem antiquiſſimam puto, hanc cum aliis ad quintum sextumque saeculum ſacile refero. actam nimirum της Υπαπαντης memoriam, quamquam non hoc die, sed ante Epiphaniam, Gregorius Nazianzenus haud obscure nos docet in oratione tricesima nona, quae est εις τα

(1) Allat. de Dom. & Hebd. Graec. n. 32.
(2) Febr. T. 1. p. 268.
(3) in Martyr. ad hunc diem.

τα ἅγια φωτα των Επιφανιων: sic enim singulas, quae Christi Natalem comitabantur, sollemnitates enumerat: (4) Μετα αϛερος εδραμομεν, ϗ μετα Μαγων προσεκυνησαμεν· μετα ποιμενων περιελλαμφθημεν, ϗ μετα αγγελων εδοξασαμεν· Μετα Συμεων ενηγκαλισαμεθα, ϗ μετα Αννης ανθωμολογησαμεθα της γεραιας ϗ σωφρονος. ϗ χαρις τῳ εις τα ιδια ελθοντι αλλοτριως, ότι τον ξενον εδοξασε. νυνι δε πραξις αλλη Χριϛȣ, ϗ αλλο μυϛηριον. atque haec vetustissimum Florentinii Martyrologium confirmat, in quo ad diem v. Ianuarii legimus, *In Ierosolyma Simeonis Prophetae, cum obtulit ei Dominum Iesum Christum Maria et Ioseph, et depositio ipsius Prophetae*: quae item in Corbejense totidem ille verbis relata invenit.

Si vero quaeris, quo primum tempore huic diei, qui est a Natali Domini quadragesimus, festa haec sollemnitas adsignata sit, non eodem utique apud omnes anno contigisse puto. neque ego hoc loco sermones pensitare audeam hodie a Patribus pronunciatos, qui non exiguo numero a Fabricio recensentur, (5) eorum tamen esse non putantur, quorum nomina inscripta habent. alii jam potiori jure in eos inquisiverunt, nec ita litem diremptam reliquere, ut nihil in ambiguo sit. sermo ille, quem de hoc argumento Methodii Martyris nomine edidit Pantinus, (6) et Methodii esse, Combefisius etiam et Allatius (7) contenderunt, a Tillemontio non est receptus. (8) Cyrilli Hierosolymitani, quae olim ferebatur, homiliam inter supposita numeravit Tutteus. (9) aliae, quae Athanasio, Gregorio Nysseno, Amphilochio, Chrysostomo tribuebantur, in iteratis editionibus posthabitae, ut judicio olim suo Baronius plurimum vidisse videatur.

Verum enimvero sub annum CCCCL. Hierosolymis saltem celebritas hodierna frequentabatur, quæ paullo post cereorum quoque accessione illustrior esse coepit. haec nos docet Cyrillus Scythopolitanus in vita sancti Coenobiarchae Theodosii, quem locum primus indicavit Allatius: (10) quamquam in Dissertatione *de Dominicis*

(4) Oper. T. I. p. 632. A. *Cum stella cucurrimus, cum Magis adoravimus, cum pastoribus luce circumfusi sumus, cum Angelis divinam gloriam praedicavimus, cum Simeone in ulna accepimus, cum Anna, illa inquam vetula et casta femina confessi sumus. atque ei, qui ut alienus in propria venit, gratia habeatur, quod exterum hominem et peregrinum gloria affecit. nunc vero alia Christi actio, aliudque mysterium sequitur*.

(5) Bibl. Gr. T. VIII. p. 87.

(6) Antuerp. an. 1598.

(7) Diatr. de Methodior. script. p. 342.

(8) Mem. Eccl. T. V. p. 768.

(9) ad calc. Op. in admon. n. V.

(10) de Methodior. script. p. 344. *Tum vero ipsa beata Icelia, quæ omnem pietatis viam triverat, prima ostendit, quomodo cum cereis Servatoris nostri Dei Occursus celebraretur*.

Digitized by Google

nicis et Hebdomadis recentiorum Graecorum (11) in vita sancti Euthymii exstare scripsit. illic nempe narrat Cyrillus, Theodosium, qui de solitaria vita ineunda cogitabat, ne monachorum tum dissidentium labe inficeretur, a beato Longino prohibitum esse, ne secederet, et sanctae Iceliae illustri matronae, quae non longe ab urbe Bethleemo templum sanctissimae Dei Parenti prope Cathisma aedificabat, commendatum esse, quippe quem ad res sacras ceteraque ministeria usui fore intelligeret. tum haec de Icelia subnectit: *Αυτη δε τοτε ἡ μακαρια Ικελια πασαν ευσεβειας ὁδον εξασκησασα, κατεδειξεν εν πρωτοις μετα κηριων γινεσθαι την Υπαπαντησιν τȣ Σωτηρος ἡμων Θεȣ.* atque hic etiam animadvertendum est, quum indidem non esset Icelia, *Υπαρχȣ* enim *συνοικος* fuisse dicitur, (12) sacrum illum cereorum ritum antea fortasse usurpatum alibi, et ab Icelia visum probatumque, Palaestinis denique ab ea traditum esse. deinde ne illud quidem negligendum duxerim, sic Cyrillum de Icelia loqui, ut sollemnitatem *Υπαπαντης* antiquiorem, cereorum ritum recentiorem agnoscere videatur.

Quare festum hujusmodi multis jam urbibus ante Iustinianum commune fuisse dixerim: (13) ab ejus aetate, omnibus denique factum esse, ipsius Augusti edicto, de quo Nicephorus Callistus: (14) *Ταυτα δε καὶ την τȣ Σωτηρος Υπαπαντην αρτι πρωτως απανταχȣ της γης ἑορταζεσθαι*, anno DXXXXII. qui XV. fuit Imperii Iustinianei. atque id Romae saeculo VIII. insigne admodum erat, sive Roma ipsa instituisset prima, sive potius Iustiniani edicto admonita probatum recepisset. sic enim ab Alcuino describitur in oratione ab eo hodie habita coram Karolo magno, quam Baluzius prior emisit in lucem: (15) *Hujus quippe diei sollemnitas, sicut a quibusdam Christianis ignoratur, sic a multis prae ceteris anni sollemnitatibus honoratior habetur. maxime autem eo loco, quo primatum Ecclesia Catholica in primo pastore sortita est, in tanta reverentia habetur, ut ea die cuncta civitatis turba in unum collecta immensis cereorum luminibus coruscans, Missarum sollemnia devotissime celebrent, nullusque aditum publicae stationis intret, si lumen manu non tenuerit, tamquam scilicet Dominum in templo oblaturi, imo etiam suscepturi, fidei lumen, quo interius fulgent, exterius oblationis suae religione demonstrent.* II. Ad

(11) n. 32. p. 1470. ed. Colon.

(12) a Theodor. Petrensi apud Allat. de Method. p. 345. *Praefecti conjux.*

(13) v. Tillem. Mem. Eccl. T. I. p. 425.

(14) Hist. lib. XVII. c. 28. *Praescribit autem, & ut Occursus Servatoris tum primum ubique terrarum festa sollemnitate celebretur.*

(15) Misc. sacr. T. II. p. 52. edit. Lucnum. 2.

II. Ad regiam urbem quod attinet, Menaea Synaxin hodie celebratam perhibent in templo Blachernarum, quod nempe maximum et magnificentissimum erat inter cetera templa, quae Constantinopoli plurima sanctae Dei Genetrici sacra stetisse diximus.

Binae autem Evangelii lectiones declarant, Simeonis quoque et Annae festum simul actum esse: quorum mentio in Menologio Basiliano ad diem sequentem fit, serius vero a Latinis. nam de Simeone jamdiu memoria agitur VIII. idus Octobres, de Anna kalendis Septembribus. in quo Graeci id, quod veri magis simile est, sectati videntur: nam Simeoni illi senio confecto et jam voti sui compoti nil aliud restabat, quam ut dimitteretur et in pace quiesceret, quemadmodum precatus erat: nec Annae dissimile votum fuisse credibile est, quae jam anus desiderium et ipsa suum expleverat. itaque hoc ipso die aut proximo utrumque obiisse, congruens erat ac prope obvium. eorum Festum codex xv. Barberinus sic ad diem III. enunciat: Τȣ ἁγιȣ ϗ δικαιȣ Συμεων τȣ Θεοδοχȣ ϗ Αννης. alter ex eadem Bibliotheca numero CCXXII. sic: Τȣ πρεσβυτȣ Συμεων ϗ Αννης της Προφητιδος.

Augebat autem hujus diei celebritatem adlatum in urbem sacrum Simeonis Corpus, quod in aede sancti Iacobi a Iustino juniore exstructa servabatur, (16) si Codino fides: Menaea certe admonent, festum Simeonis et Annae peragi quotannis εν τῳ σεπτῳ Αποϛολειῳ τȣ ἁγιȣ Ιακωβȣ τȣ αδελφοθεȣ τῳ οντι εν τῳ σεβασμιῳ ναῳ της αγιας Θεοτοκȣ, πλησιον της ἁγιωτατης μεγαλης Εκκλησιας, sive ut Cangius putat, (17) in templo, quod in Chalcopratiis nominabaut.

(16) in Antiq. CP. p. 36. (17) CP. Chr. lib. IIII. p. 112.

AD DIEM XIIII. MENSIS FEBRVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΔ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΥΞΕΝΤΙΟΥ ΤΟΥ ΘΑΥΜΑΤΟΥΡΓΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΟΘ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΠΡΟCΚΑΛΕCΑΜΕΝΟC Ο ΙΗCΟΥC ΤΟΥC ΜΑΘΗΤΑC ΑΥΤΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΝΟΕΜΒΡΙΩ Α, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Fasti Graeci Latinique Auxentium hoc die memorant, qui mortis ejus dies fuit, ut Acta ejusdem testantur, germana plane et an-

tiqua. (1) cognominatum eum esse *Θαυματουργον* Menologia non produnt: jure tamen in Kalendario nostro sic appellatur, quum prodigiorum fama clarissimus fuerit, et a morte etiam sepulcrum ejus miraculis celeberrimum fuisse legamus. (2)

Pater Auxentii e Perside erat, sed ob intentatas Christianis caedes, in fines Romanos venerat: atque in Syria Auxentium ex matrimonio susceperat: qui deinde Constantinopolim migravit, ibique aliquamdiu in Aula versatus est, quum imperium administraret Theodosius junior. magna autem vel tum Auxentii virtus habebatur; sed maxima facta est, posquam Aula relicta, solitariam vitam in Bithynia amplexus, non longe ab urbe Chalcedone montem *της οξειας* incoluit, qui deinde ab eo nomen accepit. praeclarum de eo testimonium historiae inseruit aequalis ejus Sozomenus, (3) *ανδρα περι το Θειον πιςοτατον* appellans, *και περι φιλους σπουδαιον*, aliisque eum ornans laudibus, quamquam nondum sanctioris vitae consilium susceperat. meminit vero et montis illius Stephanus Diaconus Ecclesiae Constantinopolitanae in vita sancti Martyris Stephani junioris, qui eodem in monte diu vitam egit. (4) *Εν γαρ τουτῳ τῳ ορει προκατοικησας ὁ μεγας και σημειοφορος πατηρ ἡμων Αυξεντιος, τας ακτινας εξεπεμψε των αυτου θαυματων εν ὁλῳ τῳ κοσμῳ.* et nomina quaedam addit sanctorum Anachoretarum, qui alter post alterum Auxentii locum obtinuerant, (5) Sergium, Vindemianum, Gregorium et Ioannem, qui Stephanum adolescentem instituerat. quo autem anno Auxentius decesserit, ignoramus. sed tamen post Simeonem Stylitam et ante Leonem Augustum obiisse constat: (6) ut ante annum CCCCLXXIII. ad caelestes avolasse dicendus sit.

II. Sub ejus funus multi Corpore potiri cupiverunt, sed concessum denique, ut in sacrario humaretur, quod erat apud virginum monasterium ab eo conditum sub ipso monte, quem incoluerat. haec loca exiguo freto divisa, e regione Constantinopolis eminebant; erantque velut suburbia, ubi et rusticari Constantinopolitani solebant. itaque Auxentium jure inter suos habuere, praesertim quum in ipsa regia urbe diu vixisset, multaque ibidem etiam

(1) In Act. ss. T. II. Febr. p. 770.
(2) ibid. p. 782. §. 66.
(3) lib. VII. c. 21.
(4) in Analect. Montfauc. p. 416. *Hoc enim in monte diu habitavit magnus ille prodigiorumque auctor Auxentius pater noster, atque inde orbem universum miraculorum splendore illustravit.*
(5) ibid. p. 417.
(6) v. Tillem. Mem. Eccl. T. XVI. p. 66.

etiam prodigia jam monachus et presbyter patrasset: quum eum nempe Marcianus Aug. Constantinopolim adire jussit. festum ejus apud monasterium Callistrati actum, tradunt Menaea.

AD DIEM xvI.

MENSIS FEBRVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙϚ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟϹ ΠΑΜΦΙΛΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ϹΥΝ ΑΥΤΩ ΑΓΙΩΝ ΕΝ ΜΑΡΤΥΡΟΠΟΛΕΙ ΚΑΤΑΚΕΙΜΕΝΩΝ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ϹΝ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙϹ, ΠΡΟϹΕΧΕΤΕ ΑΠΟ ΤΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ϹΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Κ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Hic ille est Pamphilus, unde cognomen sibi sumpsit Caesariensis Eusebius, qui et vitam ejus ac martyrium tribus libris perscripserat, quos jamdiu amisimus: Martyr clarissimus et Martyrum dux, qui Caesaream Palaestinae anno cccvII. hoc die illustri morte decorarunt. (2) Acta eorum Graeca exstant, quae Papebrochius edidit (3) eaque ex illis Eusebii voluminibus delibata videntur, quae modo memorabam: quemadmodum et titulus eorum in codice Mediceo testatur, unde exemplum habuere Henschenius (4) et Papebrochius: (5) Αθλησις των αγιων και ενδοξων τȣ Χριςȣ Μαρτυρων Παμφιλȣ, Ουαλεντος . . . . συγγραφεισα παρα τȣ Ευσεβιȣ τȣ Παμφιλȣ. quamquam Valesius putavit, sumpta ea esse ex capite xI. Eusebii de Martyribus Palaestinae: dissentiente Papebrochio, qui censet, hoc Eusebii caput breviarium esse extremae narrationis, quam idem in illa trium librorum historia uberius explicaverat.

Numerum Martyrum, quem Kalendarium nostrum non designat, distincte Eusebius nos docuit: (6) Δωδεκα δ'ησαν οι παντες, προφητικȣ τινος η και Αποςολικȣ χαρισματος και αριθμȣ κατηξιωμενοι, ὡν ὁ κορυφαιος και τη τȣ κατα Καισαρειαν πρεσβειȣ τιμη κεκοσμημενος, μονος

H 2

(1) v. Euseb. Hist. Eccl. l. vII. c. 32. et Hieron. ad Marcell. ep. 34. item alibi.
(2) Eus. de MM. Palaest. c. 11.
(3) T. 1. Iun. a p. 62.
(4) T. II. Febr. p. 865. n. 2.
(5) T. 1. Iun. p. 62. n. 4.
(6) de MM. Palaest. c. 11. *Erant omnes numero duodecim, Prophetica quadam seu potius Apostolica gratia simul & numeri aequalitate donati: quorum princeps eminebat Pamphilus, solus ex illorum numero presbyterii apud Caesaream dignitate decoratus.*

μονος ετυγχανεν ὁ Παμφιλος. nomina vero eorum sunt Pamphilus, qui in Menologio Basiliano mendose *Παμφιος* dicitur, Valens Diaconus, Paullus, quinque Aegyptii, qui profanis nominibus abjectis, et appellatione sacris e litteris sibi adoptata, dicti sunt Elias, Hieremias, Hesaias, Samuel, Daniel, denique Porphyrius, Seleucus, Theodulus, Iulianus: hoc nempe ordine martyrium eorum exponit Eusebius.

II. Horum Martyrum memoriam in templo Sophiano celebratam, Menaea tradunt. *Τελειται δε ἡ αυτων Συναξις εν τη ἁγιωτατη μεγαλη Εκκλησιᾳ*. at Reliquiae eorum Caesareae primitus conditae fuerant. haec enim de Martyrum sepultura in fine Actorum scripta sunt: (*) *Ως δε ȣδεν αυτοις προσηει ȣ θηρ, ȣκ ορνεον, ȣ κυων, εξ οικονομιας Θεȣ, λειφθεντα ζωα ϗ αβλαβη, της προσηκȣσης τιμης ϗ κηδειας λαχοντα, τη συνηθει παρεδοθη ταφη, ναων οικοις περικαλλεσι αποτεθεντα, εν ἱεροις τε ποσευκτηριοις, εις αλληςον μνημην τῳ τȣ Θεȣ λαῳ τιμασθαι παραδεδομενα*. existimo autem, in Kalendario nostro Caesaream ipsam, qua in urbe Martyrum horum corpora composita fuerant, *Μαρτυροπολιν* appellari: cui merito nomen a Martyribus tribui potuit, in qua magno sane numero clarissimi Martyres teste Eusebio (7) exstiterunt. nec vero alia verborum vis est aut esse potest: scriptum quippe vides *Παμφιλȣ ϗ των συν αυτῳ ἁγιων εν Μαρτυροπολει κατακειμενων*: ut de iis mentio omnino sit, qui in eadem urbe sepulti essent, in qua et Pamphilus sepulcrum habebat.

III. Haec utique plana videntur: at si te ad Menologium Basilianum converteris, suspicio tibi de mendo orietur, resque diversas simul junctas, ac unam perperam esse factam e duabus, facile judicaveris. nam hoc ipso die proponitur *Συναθροισις ϗ μνημη των εν Μαρτυροπολει λειψανων των ἁγιων Μαρτυρων, ϗ Μαρȣθα τȣ Επισκοπȣ*. tum narratiuncula titulo subjecta hujusmodi: Marutham nempe a Theodosio magno ad Persas legatum esse, illic eumdem summo in honore habitum cum ob virtutem, tum quod Regis filiam a Daemonis vexatione liberasset: itaque maximam auri vim ei a Persis oblatam, pro qua ipsum potius rogasse, ut fas sibi esset Martyrum Reliquias colligere, alioque transferre: Re-

(*) *Quum vero neque bellua ulla neque avis neque canis, Deo sic cavente, accessisset, corpora; quae tamquam spirantia & intacta remanserant, honorem & sepulturam, ut par erat, sortita, in sepulcrum rite inlata sunt, & in pulcherrimis templorum cellis sacrisque aediculis composita, quo eos populus Dei perpetua memoria veneraretur.*

(7) de MM. Palaest. c. 1. & deinceps.

Regem porro adnuisse, ac Marutham translata inde Martyrum Corpora uno in loco composuisse, et urbe adstructa, nomen huic a Martyribus indidisse. demum longo post tempore, eodem illic die, quo Martyres condiderat, mortuum esse, ac prope illos sepultum.

Enimvero Maruthas iste minime fabulosus est, ac revera Episcopus fuit, cujus et Socrates et Sozomenus et ipse Chrysostomus meminit, (8) de quo etiam multa habet in praefatione ad Acta Martyrum Orientalium et Occidentalium (9) Evodius Assemanus. verum nihil ille ad Theodosium magnum: floruit certe Arcadii et Theodosii junioris temporibus, ut legationibus Persicis multo serius functus esse dicendus sit. (10) rursum Martyropolis illa, quam ipse aedificasse dicitur, idemque Episcopus rexisse, antiqua urbs erat Mesopotamiae, cui nomen *Samos* aut *Suma* fuisse videtur: nam Photius (11) Marutham Episcopum facit τȣ Σȣφαρηνων εϑνȣς ϗ Σαμȣ, quae fortasse a *Suma* Ptolemaei non differt: Procopius autem, (10) εν Αρμενιᾳ τῃ Σωφανηνῃ καλȣμενῃ πολις εςι, Μαρτυροπολις ονομα. quamobrem labat Menologii auctoritas, in quo nec de legationis tempore vera traduntur, et urbs ab incohato exstructa dicitur, quae alio nomine jam exstabat: eadem enim esse videtur Procopii Martyropolis et Samus Photii in Sophanene aut Sopharene sita. nec vero mutatae appellationis caussam alii tradiderunt: et Maruthae adversata esse tempora crediderim, quominus Persarum Martyrum Reliquias alio transferret: quum Theodoretus annis XXX. Christianos in Perside vexatos scribat, (13) Και τριακοντα διεληλυϑοτων ετων ἡ ζαλη μεμενηκεν; quos annos a temporibus Ioannis Chrysostomi, quibus Maruthas, teste etiam Photio, (14) Episcopus erat, numerasse dicendus est. ipse enim Chrysostomus multos a Persis aevo suo ob Christianam professionem necatos diserte affirmat, ετι ϗ νυν, (15) in ea scilicet homilia, quam contra Iudaeos et Gentiles ab eo Antiochiae habitam anno CCCLXXXVII. Montfauconius in monito scite ostendit. (16) quod si post annos illos triginta Marutham demum impetrasse dicamus, ut sacris pignoribus potiretur, nimium diu vixisse putandus erit,

quippe

(8) Socrat. l. 6. c. 15. Sozom. l. 8. c. 16. Chrys. ep. 14. ad Olymp.
(9) T. 1. ap. 49.
(10) v. Socr. l. VII. c. 8.
(11) Bibl. Cod. 52. p. 38.
(12) de aedif. Iust. lib. III. c. 2.
(13) Hist. Eccl. l. V. c. 39.
(*) *Et annos triginta integros tempestas perduravit.*
(14) Cod. 52. p. 38.
(15) v. comm. ad diem V. Oct. n. 1.
(16) Oper. Chrys. T. 1. p. 557.

quippe qui *χρονοις ὑςερον*, post illam Translationem et urbem aedificatam, Martyropolitanis praefuisse feratur.

Quae quum ita sint, Martyropolitana illa Reliquiarum historia fortasse post Kalendarii nostri aevum prolata primum, et in Menologio descripta est: ejusque Translationis memoria huic diei attributa, quod jam in Kalendariis Martyropolim hodie cieri vidissent, quae tamen Caesarea esset. nulla enim in Kalendario nostro Maruthae mentio, nec quispiam Pamphili Martyris Corpus in Armeniae fines ipsamque Mesopotamiam translatum esse somniavit.

AD DIEM XXIII.

MENSIS FEBRVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΓ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΟΛΥΚΑΡΠΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΔ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙϹ ✠ ΕΑΝ ΜΗ Ο ΚΟΚΚΟϹ ΤΟΥ ϹΙΤΟΥ ΠΕϹΩΝ ΕΙϹ ΤΗΝ ΓΗΝ ΑΠΟΘΑΝΗ, ΑΥΤΟϹ ΜΟΝΟϹ ΜΕΝΕΙ ✠ κ. τ. λ.

I. Graeci miro consensu diem hunc Polycarpi Martyris memoriae sacrum habent, quos sequitur Kalendarium Neapolitanum. at Latini festum ejus VII. kal. Febr. plerique celebrant. vetus autem controversia est, quo die martyrium suum consummaverit. in epistola Ecclesiae Smyrnensis, sub finem legimus, (*) *Μαρτυρει δε ὁ μακαριος Πολυκαρπος μηνος Ξανθικȣ δευτερᾳ ἱςαμενȣ, προ ἑπτα καλανδων Μαΐων, σαββατῳ μεγαλῳ, ὡρᾳ ογδοῃ*. sed diei tamen incerta lectio est: nam auctor Chronici Alexandrini pro *Μαΐων* legit *Απριλλιων*, antiquus autem epistolae interpres *Μαρτιων*: quam lectionem Graeci quoque probare videntur, qui Natalem ejus VII. kal. Mart. sive die XXIII. Februarii consignarunt. itaque eamdem amplexi sunt Florentinius, (1) Valesius, (2) Tillemontius. (3) eadem demum et Mazochio placuit, qui difficultatem etiam ex Sabbati magni appellatione petitam elevavit, (4) optime ratus, Christianos Smyrnenses non Iudaicum festum, sed diem Dominicum

(*) *Martyrium autem passus est beatus Polycarpus Xanthici mensis ineuntis die secundo, ante septimum calendas Majas, magno Sabbato, hora octava.*

(1) Vet. Martyr. p. 340.
(2) Eus. Hist. Eccl. l. III. c. 15. Not.
(3) Mem. Eccl. T. II. p. 635.
(4) Kal. T. I. p. 68. & T. III. a p. 943.

cum eo vocabulo designasse: quorsum enim Hebraicum Sabbatum pro temporis nota usurparent, quod nullo modo ipsi servabant? itaque et Παρασκευην idem non feriam VI. apud Christianos, sed Sabbatum appellatum censet, quod nimirum is esset tum diei Dominici sive Sabbati magni Παρασκευη. quum autem anno CLXVII. dies XXIII. Februarii Dominicus fuerit, (5) in eum item annum Polycarpi martyrium merito referetur, quem Valesius Statii Quadrati Proconsulatui, sub quo Polycarpus lauream adeptus est, apprime respondere ostendit. nec huic sententiae obest Xanthici mensis nota, quem pro Aprili perperam habitum esse, Valesius idem et Florentinius demonstrarunt. eum quippe ordinem mensium cum reliquis Asianis servare Smyrnenses debuere, qui communis erat, atque adeo Xanthicum a die XXII. Februarii incohare.

Socios martyrii habuit Polycarpus viros Philadelphienses duodecim, vel certe undecim: nam lectio variat. (6) ceterum, ut ait Eusebius ille *μονος ὑπο παντων μαλλον μνημονευεται, ὡς ϗ ὑπο των εθνων εν παντι τοπῳ λαλεισθαι.* (*)

II. De mortis genere haec sunt in Martyrologio Romano: *Sedente Proconsule, et universo populo in amphitheatro adversus eum personante, igni traditus est, et quum ab eo minime laederetur, gladio confossus, martyrii coronam accepit.* (7) at si epistolae verba perpendas, hoc potius Smyrnenses scribere videntur, sic eum igne circum ardente enecatum, ut flamma tamen corpus non laederet, et suspensa fornicis instar, aut tamquam velum sinuata concluderet: *Και ην εις μεσον ουχ ὡς σαρξ καιομενη, αλλ' ὡς χρυσος ϗ αργυρος εν καμινῳ πυρουμενος.* vim quoque ignis adurentis sic indicant: *Και γαρ ευωδιας τοσαυτης αντελαβομεθα, ὡς λιβανωτου πνεοντος, η αλλου τινος των τιμιων αρωματων.* (*) quod autem confector immissus fuerit, qui corpus gladio confoderet, non id factum dicitur, quia viveret, sed quia flammis non consumeretur, ut volebant: quae etiam caussa fuit, ut deinde in rogum iterum injicerent. nam quod in epistola Ecclesiae Smyrnensis additur, post confectoris ictum columbam demum, exire visam, εξηλθε περιστερα, de

(5) Tillemont. ibid. p. 638.

(6) v. Vales. ibid. in adnotat.

(*) *Solus omnium hominum memoria ac fama praecipue celebratur, adeo ut nomen ipsius ubique terrarum etiam a Gentilibus commemoretur.*

(7) ad diem 26. Ian. & v. Tillemont. ibid. p. 341.

(*) *Quod quidem in medio positum, non ut caro assa videbatur, sed sicut aurum & argentum in fornace candens. tantam quippe fragrantiam odorabamur, ac si tus aut aliud quoddam pretiosorum aromatum oluisset. Gemmis pretiosissimis cariora & auro probatiora*

de ea nihil Eusebius aut Rufinus tradiderunt. de Polycarpi autem aetate Irenaei discipuli testimonium habemus, qui eum senem admodum obiisse scribit: (8) Επιπολυ γαρ παρεμεινε, ϗ πανυ γηραλεος, ενδοξως ϗ επιφανεςατα μαρτυρησας. ad quem locum Massuetus, *si Polycarpus*, inquit, *sit Angelus Ecclesiae Smyrnensis, ad quem Christus Apocal.* II. 8. *scribi jubet, egerit necesse est* LXX. *annos in Episcopatu, et proinde obierit centenario major.*

Ossa sanctissimi Martyris et Episcopi sui legerunt Christiani, quae iis fuisse perhibentur τιμιωτερα λιθων πολυτελων, ϗ δοκιμωτερα ὑπερ χρυσιον: eaque, ut par erat religiosissime condiderunt. partem vero aliquam Reliquiarum ejus alio subinde transmissam testantur Ecclesiae, quae de iis aliquid ad se pervenisse confirmant. (9) de Constantinopolitana tamen nihil mihi exploratum est. nec de templi honore quidquam comperi, quo tantum Martyrem in urbe regia caruisse non puto: praesertim quum Menologium Basilianum Θαυματεργεντα appellet ἑως τε νυν, quae verba de prodigiis profecto, quae in ipsa urbe fierent, intelligenda esse crediderim.

II. Hunc vero diem, nam hoc quoque adnotare juvat, quam illustrem reddiderat Polycarpi martyrium, tam memorandum postea Ecclesiae fecit hostis ille Christiani nominis Diocletianus, edicto hodie Nicomediae proposito, unde saeva illa Christianorum per Orbem Romanum clades initium habuit. *Inquiritur*, inquit Lactantius, (10) *peragendae rei dies aptus et felix; ac potissimum Terminalia deliguntur, quae sunt ante diem* VII. *kalendas Martias; ut quasi terminus imponeretur huic religioni.* (11)

Ille dies primus leti primusque malorum
Caussa fuit,

quae et ipsi et Orbi terrarum acciderunt. quamquam malis in illis magnum quoddam Ecclesiae fuit bonum, quae iterata Polycarpi et Ignatii et ceterorum insignium Martyrum exempla vidit; praeclarisque rursum victoriis aucta, nomen Christianum, quo crudelius saevirent hostes, eo citius propagari mirata est.

A D

(8) contra haer. l. III. c. 3. n. 4.

(9) Bolland. T. II. Ian. p. 695. n. 34. 35.

(10) de mort. Persec. c. XII.

(11) ex Virg. Aen. l. IIII. v. 169.

AD DIEM XXIIII·

MENSIS FEBRVARII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΔ ΕΙϹ ΤΗΝ ΕΥΡΕϹΙΝ ΤΗϹ ΤΙΜΙΑϹ ΚΕ-
ΦΑΛΗϹ ΤΟΥ ΠΡΟΔΡΟΜΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΒ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΑΚΟΥϹΑϹ ΕΝ ΤΩ ΔΕϹΜΩΤΗ-
ΡΙΩ Ο ΙΟΑΝΝΗϹ ΤΑ ΕΡΓΑ ΤΟΥ ΧΡΙϹΤΟΥ, ΠΕΜΨΑϹ
ΔΥΟ ΤΩΝ ΜΑΘΗΤΩΝ ΑΥΤΟΥ, ΕΙΠΕΝ ΑΥΤΩ ✠ κ. τ. λ.

I· De Inventione venerandi Capitis Ioannis Baptistae Graeci passim Latinique in Fastis suis meminere: atque hoc ipso die geminam Inventionem celebrant, primam scilicet, quum Hierosolymis inventum est, et alteram, quum Emesae, quo adlatum fuerat, rursum multos post annos repertum traditur. sed nec veterum scriptorum narrationes concordant, et recentiorum judicia discrepant. (1) qui quidem non sine caussa veteres illas narrationes in suspicionem vocant. constat enim minus eas antiquis esse probatas, qui sane plura tum rescire potuerunt, quae nobis vetustas subduxit. exstat nempe Decretum, quod Gelasio tribuitur, et a quibusdam etiam antiquius habetur: in quo de illis n. IIII· pronunciatum videri possit hoc modo: *Item scriptum de inventione Crucis Dominicae, et alia scriptura de inventione Capitis Ioannis Baptistae, novellae quaedam relationes sunt, et nonnulli eas Catholici legunt. sed quum hae ad Catholicorum manus pervenerint, beati Paulli Apostoli praecedat sententia, omnia probate, quod bonum est tenete*. verum enim vero convenire inter omnes dixerim, sacrum illud pignus Hierosolymis primum in lucem emersisse, et in Monachorum potestatem migrasse. exinde alii cum Sozomeno in Ciliciam, mox Constantinopolim perlatum (2), contendunt: alii contra Emesam in Syriam delatum, ibique abditum confirmant, ut et Marcellus Archimandrita, qui sacrum Caput invenit, et Marcellinus Comes tradiderunt: deinde sub annum DCCLX. Emesa in Arabum imperium redacta, Comana translatum ajunt, atque hinc demum anno DCCCXII· Constantinopolim pervenisse. (3) at ne horum quidem opinio satis explicata est; deque tota hac historia le-

(1) v· Tillem· Mem· Eccl· T· I· a p· 494·
(2) Soz· H· E· l· vII· c· 21·
(3) v· Tillem· Ibid· p· 503·

gere praestat, quae Cangius singulari opere fusius tractata reliquit, (4) et quae postremus enucleare Paciaudus conatus est. (5) una hic tantum Marcellini Comitis verba proferam auctoris antiqui, et Valesii judicio gravis ac diligentis: qui Capitis Inventionem ad hunc diem atque ad annum CCCCLII. refert. (6) *Hoc igitur*, inquit, *venerabile Caput sub Vranio memoratae* (Emesae) *Episcopo civitatis per praefatum Marcellum presbyterum constat inventum Vincomalo et Opilione Cos. mense Februario die* XXIIII. *media jejuniorum paschalium septimana*, *Imperatoribus vero Valentiniano et Marciano regnantibus*. tu vero de media hac jejuniorum septimana videsis, quae Tillemontius adnotavit, (7) ut nodum illum difficilem expediret.

II. Synaxin hodie celebratam in Ioannis aede, quam *ἐν τοῖς Σφωρακίου* appellabant, Menaea tradunt. ceterum in aliis etiam, quas memoravimus superius, sollemnia peracta esse, quis dubitet? praesertim in ea, quam Theodosius in Hebdomo aedificarat: ubi et caput sancti Ioannis adservari credidit Sozomenus, ac multo post hujus tempora affirmavit Codinus. (8)

(4) Traité du Chef. de S. J. B. a Paris 1665.
(5) de cult. S. I. B. Diss. III. c. 7.
(6) in Chron. ad ann. 453.
(7) ibid. p. 501.
(8) Ant. CP. p. 55.

COM-

COMMENTARIORVM DIVRNORVM

LIBER VII.

AD MENSEM MARTIVM

Dies complectitur hic mensis non amplius quatuor, qui statis quidem festis adsignati essent: nam conceptiva sollemnia bonam plerumque Martii partem sibi vindicabant, Paschalis in primis celebritas, quam nempe et sancta Hebdomas praecedebat, et sacra Diacaenesimus sequebatur; quemadmodum sub operis initium de ipso Codice nostro disserentes adnotavimus. tum ea etiam, quae in adscriptis diebus occurrunt, plana fere omnia sunt, nec longam commentationem requirunt. itaque lectorem hic non multis morabimur.

AD DIEM VIIII.

MENSIS MARTII

ΜΗΝΗ ΜΑΡΤΙΩ Θ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΤΕC-
CΑΡΑΚΟΝΤΑ ΜΑΡΤΥΡΩΝ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Κ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΗΝ ΠΑΡΑΒΟΛΗΝ ΤΑΥΤΗΝ ✠
ΟΜΟΙΩΘΗ Η ΒΑCΙΛΕΙΑ ΤΩΝ ΟΥΡΑΝΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩ
ΟΙΚΟΔΕCΠΟΤΙ κ. τ. λ.

I. Status hic dies non apud Graecos solum, sed etiam apud Latinos veteres fuit, quo quadraginta Martyrum memoria coleretur; apud veteres, inquam, Latinos: a saeculo enim superiore

Digitized by Google

nos postridie celebramus, die hodierno sanctissimae viduarum Franciscae matronae Romanae addicto, postquam ei caelestes honores ab Ecclesia rite decreti sunt. vix autem Fastos usquam reperias ullos, in quibus Martyrum horum mentio facta non sit: adeo martyrii eorum fama illustris fuit, et apud omnes nationes pervagata gloria est!

Milites hi erant, atque, ut Gregorius Nyssenus testatur, ex ea ipsa Legione, quae sub M· Aurelio adversus Quados militaverat, precibusque sitienti exercitui pluviam a Deo impetrarat. tota enim legio, quae XII· Fulminans dicebatur, jamtum Christiana erat, (1) eademque Eusebii etiam aetate perdurabat: (2) cujus statio a Titi Aug. temporibus prope Melitenen in Armenia fuerat. Sebaste autem Martyrum nostrorum arena fuit, et sub Licinio vitam pro Christo profudisse dicuntur circa annum CCCXX. novo victoriae genere lauream illam adepti, quae ipsis divinitus ostensa fuerat. de lacu, in quo immersi dicuntur, controversia est. nam ex vetustiorum scriptorum auctoritate eos in ipsa potius urbe prope balinea frigido aëri per noctem expositos vult Tillemontius, (3) quo nudatis corporibus ad boream gelu obrigentes interirent. atqui lacum tamen ipse Basilius in praeclara illa oratione de sanctis hisce Martyribus diserte memorat, et glacie sic obductum describit, ut homines et equos ingredientes ferre posset: quae referre nil opus erat, siquidem Martyres alibi martyrium suum consummassent. Τοτε, inquit, *τοινυν αιθριοι διανυκτερευειν κατεδικασθησαν, ὅτε λιμνη μεν, περι ἣν ἡ πολις κατῳκισαι, εν ῃ ταυτα διηθλουν οἱ Αγιοι, οἷον τι πεδιον ἱππηλατον ην, μεταποιησαντος αυτην του κρυσταλλου· και πηπρωθεισα τῳ κρυει, ασφαλως ὑπερ νωτον πεζευειν παρεχετο τοις περιοικοις*. Tillemontius nimirum illa *εν ῃ* non ad lacum, sed ad urbem referenda censet, nec videt, quae de lacu a Basilio adduntur, inepta esse, siquidem glaciatus illis lacus pro solo non fuerit. Tillemontium porro rursum refutat Basilius, Martyres haec loquentes inducens: *Δριμυς ὁ χειμων, αλλα γλυκυς ὁ παραδεισος· αλγεινη ἡ πηξις, αλλ᾽ ηδεια ἡ απολαυσις . . . . . κλιθητω ὁ πους, ἱνα διηνεκως μετ᾽ αγγελων χορευῃ*. quae ego omnia sic Latine reddenda arbitror: *Tum igitur poena illis irrogata est, ut sub dio pernoctarent, quum stagnum urbi proximum, in quo haec sancti viri pertulerunt, campus veluti quidam erat equitabilis; totum quippe in gla-*

(1) v· Tillem· Hist· T· II· p· 371·

(2) Hist· Eccl· l· 5· c· 5·

(3) v· Tillem· M· E· T· v· p· 522· & 789·

glaciem concreverat, et frigoris vi continentem terram referens, tutum dorso suo incessum accolis praebebat . . . . . acris est hiems, at dulcis paradisus: molesta glacies, at suavis futura voluptas . . . . uratur gelu pes, ut perpetuo tripudiet cum Angelis. ipsum autem Martyrum agonem graphice ob oculos ponit tabula vetus ex ebore anaglypha Riccardiorum, cujus exemplum in Thesauro Goriano Diptychorum reperies, Vol. III. extremo, Passeri adnotationibus illustratum.

Iam nomina ipsa Martyrum, quae olim ex albo militum rescire facile erat, haec feruntur:

QVIRIO	CLAVDIVS	FLAVIVS	AETIVS
CANDIDVS	ATHANASIVS	SEVERIANVS	NICOLAVS
DOMNVS	VALENS	VALERIVS	LYSIMACHVS
MELITO	HELIANVS	CHVDIO	THEOPHILVS
DOMITIANVS	ECDITIVS	SACERDO	XANTHEAS-
EVNOICVS	ACACIVS	PRISCVS	ANGIAS
SISINNIVS	VIBIANVS	EVTYCHIVS	LEONTIVS
HERACLIVS	HELIAS	EVTYCHES	HISICHIVS
ALEXANDER	THEODORVS	SMARAGDVS	CAIVS
IOANNES	CYRILLVS	PHILOCTIMO	GORGONIVS

ceterum non una nominum plerorumque lectio est, quam apud Bollandianos (4) recognoscere possis: mirum enim, quantum semper in appellationibus propriis qua imperitia qua incuria librariorum peccatum sit.

Acta Martyrum nostrorum plura exstant, quae Bollandiani vulgarunt: (5) e quibus Mazochius ea probat maxime, (6) quae ex Armenia lingua Latine reddidere. at Tillemontio ne haec quidem adrident, (7) ac pluris merito sunt Patrum testimonia, a quibus illi celebrati fuere, Basilii magni, Gregorii Nysseni, Ephraemi Syri, Gaudentii Episcopi Brixiani, Ioannis Chrysostomi et aliorum; qui sane magni semper faciendi sunt, non solum quia testis quisque optimus ac luculentissimus est, sed etiam quia Ecclesiarum nobis testimonia exhibent, in quarum coetu sermones suos pronunciabant: apud quas scilicet recens etiamtum erat memoria Martyrum, nota eorum Acta, pleraeque etiam res in templis depictae, & anniversariis

(4) ad diem x. Mart. T. II. p. 16. n. 16.

(5) ibid. a pag. 12.

(6) Kalend. Neap. T. I. p. 89.

(7) Mem. Eccles. T. V. p. 518.

Digitized by Google

sariis laudationibus descriptae. nihil ut excidere posset aut errore perverti.

II. Corpora Martyrum a funere in rogum injecta legimus, et sacrum subinde cinerem in profluentem deferri jussum. Christianorum tamen studio Reliquiae lectae sunt, parsque bona pretio redempta. (8) itaque multa postea in loca perlatae, ut Basilius et Gregorius fratres testatum reliquerunt. Caesareae in Cappadocia insigne templum iisdem Martyribus sacrum memorat Gaudentius, qua etiam in urbe Reliquias eorum se nactum dicit, quum Hierosolyma peteret, quas demum in Basilica sua Brixiae *Concilio Sanctorum* appellata collocavit.

Verum potior Reliquiarum pars Constantinopolim delata, quemadmodum fuse lateque narrat Sozomenus: (9) quae quum diu latuissent, a Pulcheria Aug. caelesti viso admonita tandem inventae sunt. is et de Translatione, quam ipse viderat, haec subnectit: *Μετα δε ταυτα, πολυτελεςατῃ θηκῃ τιμωσα τους Μαρτυρας,* (Pulcheria) *παρα τον θεσπεσιον Θυρσον κατεθετο, δημοτελους ἑορτης, ὡς εικος, ϗ της προσηκουσης τιμης ϗ πομπης συν ψαλμωδιαις επιτελεσθεισης, ἡ ϗ αυτος εγω παρεγενομην.* Ecclesiam autem Constantinopolitanam Proclus Patriarcha tum regebat, imperium administrabat junior Theodosius, digni ambo, quos sancta virgo Pulcheria in Martyribus honorandis socios atque adjutores haberet. templum porro Thyrsi Martyris, ubi Reliquiae iterum conditae, extra urbem erat, de quo superius actum est. (10)

Bina demum templa ipsis etiam XXXX. Martyribus Sebastenis in regia urbe exstructa sunt, quorum primum ab Anastasio & Ariadne Augg. conditum *εις Κωνςαντινιανας*; (11) alterum *πλησιον του Χαλκου Τετραπυλου* a Tiberio Constantino incohatum (12) perfecit Mauricius Aug. in quo potissimum Synaxin eorum celebrari solitam, Menaea indicant. erat quippe, ut Nicetas vocat, *καλλιςον, ϗ μεγεθει μεγιςον.* (13) relege vero, quae superius diximus ad diem VI. Septembris n. II.

A D

(8) Gaudent. serm. in Dedic. Eccl. p. 340. nov. edit.

(9) Hist. Eccl. l. VIIII. c. 2. *Postmodum vero, quum Martyres pretiosissima capsa honorasset, eos juxta admirandum Thyrsum deposuit: publica festivitate, ut par erat, et sollemni pompa cum psalmodiis et competenti cultu celebrata: cui ego quoque interfui.*

(10) ad diem 14. Dec.

(11) Codin. p. 46.

(12) Chron. Alex. an. 8. Maur.

(13) in Andron. l. II. c. 6. *pulcherrimum ac maximum.*

AD DIEM XXII.

MENSIS MARTII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΒ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΘΩΜΑ ΠΑΤΡΙΑΡ-
ΧΟΥ ΤΗΣ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛ.
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠΘ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟΣ, ΕΓΩ ΕΙΜΙ Η ΘΥΡΑ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ
ΜΗΝΗ ΣΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Β, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Thomae Patriarchae Constantinopolitani ; qui primus hoc nomine fuit , et Cyriaco successit x. kal. Febr. anno DCVII. non eodem ubique die consignata memoria est. nam Menologium Basilianum die xx. hujus recenset , codex Menaeorum Bibliothecae Ambrosianae die XVIII. at cum hoc nostro consentit Kalendarium Neapolitanum, in quo uno apud Latinos Thomae fit mentio, consentit et codex Slavicus Assemani. discrimen autem inde ortum videtur, quod alii diem mortis, alii diem sepulturae sequuti sunt, nam Chronicon Alexandrinum anno Phocae Aug. VIII. Indictione XIII. post consulatum Phocae VI. sive anno DCX. sic Thomae excessum retulit: (1) Τȣτῳ τῳ ετει, μηνι Δυςρῳ, κατα Ρωμαιȣς Μαρτιῳ Κ, ἡμερᾳ ς, τελευτᾳ Θωμας Πατριαρχης Κωνςαντινȣπολεως, ϗ κηδευεται τῃ κβ τȣ αυτȣ μηνος, ἡμερᾳ α. itaque in Kalendario nostro non dies mortis, ut in Menologio Basiliano, sed dies funeris et humationis designatur. neutrum autem in codice Ambrosiano, sed *Translatio Reliquiarum* enunciata, quum Corpus ejus in aliud sepulcrum inlatum est.

Commentarium de Thoma nostro habes apud Bollandianos, (2) qui praeter Menologii Basiliani ellogium, testimoniis usi sunt ex sancti Archimandritae Theodori Syceotae vita depromptis, quae ab hujus disciculo scripta, et in Synodo VII. Oecumenica laudata est. (3) fuit enim sanctus Theodorus, qui postea Episcopus Anastasiopolitanus factus est, Patriarchae nostro in primis carus, et in contubernium etiam expetitus.

Tribuitur Thomae insigne aedificium et pars maxima aedium Pontificalium, quae ab ejus nomine Θωμαΐτης appellata est. (4)

Τρι-

(1) p. 382. *Hoc anno, mense Dystro, secundum Romanos Martio die vicesimo, feria sexta, moritur Thomas Patriarcha Constantinopolis, & die vicesimo secundo ejusdem mensis, qui Dominicus erat, sepelitur.*

(2) T. III. Mart. a p. 91.

(3) Act. IIII. apud Hard. T. IIII. Conc. p. 232.

(4) Niceph. Call. l. XVIII. c. 44.

Τρικλινον το λεγομένον Θομαΐτην vocat Codinus: (5) Triclinium autem jamdiu non tam cenationem, quam oecum magnum sive Senaculum designabat. quare in eo Synodi aliquando celebratae sunt. (6) Sed aliae etiam ejus aedificii partes erant, nam Cedrenus (7) et Theophanis Prorogator memorant Πατριαρχικην εν τῳ Θωμαΐτῃ βιβλιοθηκην, ex qua in Concilio VI. Oecumenico prolatos saepe codices legimus, (8) quorum auctoritate Monotheletarum errores refutarentur. haec vero non ultima Thomae laus est, consilio et impensa ejus cautum esse, ne Patrum scripta perirent, neve haereticorum hominum fraude adulterari facile possent: cujus providentia quanto usui Ecclesiae fuerit, actae subinde Synodi comprobaverunt.

II. Quo loco Thomas sepultus fuerit, non accepimus: sed locum ei datum inter sepulcra Patriarcharum, pro certo habeas. quia tamen Menaea Ambrosiana, ut vidimus, Translationem Reliquiarum ejus memorant, facile adducor, ut credam, in Thomaïten inde, tamquam in domum suam, sive in Domus Pontificalis sacrarium postea relatum esse: decessisse enim putaverim, aedificio illo nondum absoluto, quum in pontificatu annos tres tantum et menses duos vixisse constet. templum contra nullum in regia urbe demonstrare licet, quod ejus nomini dicatum feratur.

(5) de offic. c. 17. n. 18.
(6) Phot. in Nomoc. Tit. 13. c. 2. et Allat. de consens. utr. Eccl. l. II. c. 12. num. 3.
(7) in Theophilo p. 521. ex Theophan. suppl. l. 3. n. 14.

AD DIEM XXIIII.
MENSIS MARTII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΔ ΕΙC ΤΗΝ ΠΑΝΝΟΙΧΙΔΑ ΤΟΥ ΕΥΑΓΓΕΛΙCΜΟΥ

(ΤΟ ΑΥΤΟ ΔΕ ΛΕΓΕΤΕ ΚΑΙ ΕΙC ΤΗΝ Β ΙΟΥΛΙΟΥ ΜΗΝΟC ΕΙC ΤΑ ΜΕΤΑΘΕCΙΑ ΤΗC CΟΡΟΥ ΒΛΑΧΕΡΝΩΝ. ΔΕΟΝ ΓΙΝΟCΚΕΙΝ, ΟΤΙ ΤΟ ΑΥΤΟ ΛΕΓΕΤΕ ΕΙC ΕΚΑΤΕΡΑC ΠΑΝΝΟΙΧΙΔΑC ΑΥΤΗC)

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Γ

ΕΝ ΤΑΙC ΗΜΕΡΑΙC ΕΚΕΙΝΑΙC ΑΝΑCΤΑCΑ ΜΆΡΙΑΜ ΕΠΟΡΕΥΘΗ ΕΙC ΤΗΝ ΟΡΙΝΗΝ ΜΕΤΑ CΠΟΥΔΗC ΕΙC ΠΟΛΙΝ ΙΟΥΔΑ κ. τ. λ.

I. Quae in Kalendario nostro Παννυχίς dicitur, in Menaeis est Προεορτια τȣ Ευαγγελισμȣ της ὑπεραγιας Θεοτοκȣ, eademque appel-

pellatio in Slavico Assemani codice occurrit. antiqua autem omnino hujus diei observàtio, quum Sabae Typicum odas hodie canendas exhibeat. esto enim, illius auctor unus esse non potuerit, ut Allatius censet; ultimus, illud restituisse putatur Damascenus Ioannes, in Sabae Laura perdiu versatus, qui *εξ αρχης τϰτο*, teste Simeone Thessalonicensi, (2) *κατα την ανωθεν ταξιν συνεθηκε ϗ διετυπωσατο*. nec vero id mirum, si monachi in primis ob tale mysterium anniversariis vigiliis et antelucanis precibus advenientis diei laetitiam anticiparent: quando iidem Antonii quoque et Euthymii festis honorem haud dissimilem habebant. at quocumque demum saeculo initium hic ritus duxerit, vigilias hodie in regia urbe vix serius agi coepisse crediderim, quam ipsum festum receptum fuerit. admonebat enim ipsa sollemnitatis magnitudo, ne qua pietatis ac studii significatio praetermitteretur.

II. Illud duriusculum videri possit, lectionem hoc die praescribi ex eo Evangelii loco, in quo iter narratur a sancta Virgine in montana susceptum: quandoquidem ad Elisabetam post Evangelismum perrexit, jam Deo gravis. sed ne Latini quidem in his ordinem temporum semper servamus, qui in Vigilia Epiphaniae legimus Evangelii locum de Iosephi reditu ex Aegypto, quum puerum Iesum cum sancta ejus matre in terram Israelis reduxit. nempe hoc satis Ecclesiae visum, si mysteriorum, quae inter se proxima fuissent, intra certum aliquod dierum spatium memoria quotannis celebraretur.

Nec sane sic ordinari lectiones poterant, ut series factorum semper sibi constaret: nam quum haec non unius sed multorum annorum spatio contigerint, quaedam vero statos habeant dies, quibus recolantur; inverti quandoque rerum gestarum ordinem necesse fuit, ne loco moverentur sollemnitates, quibus certus jam esset dies a majoribus constitutus. neque tamen id incommode accidit, aut pietati quidquam officit. facile enim quisque festa singula quo referenda sint, novit, nec ad temporum rationem ea exigenda arbitratur. series rerum in Annalibus prostat, quoties cognoscere libet: mysteria ipsa ut pie recolamus, ordo ille temporum si abest, perinde est, ac si maxime servaremus.

(1) de libr. Eccles. Graec. Diss. 1. n. 6.

(2) apud eundem ibid. n. 9. *Ab initio illud, ut antiquitus erat, conscripsit ordinavitque.*

AD DIEM XXV.

MENSIS MARTII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΕ ΕΙC ΤΟ ΕΥΑΓΓΕΛΙCΜΟΝ ΤΗC ΑΓΙΑC ΘΕΟΤΟΚΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Α
ΕΝ ΤΑΙC ΗΜΕΡΑΙC ΕΚΕΙΝΑΙC CΥΝΕΛΑΒΕΝ ΕΛΙCΑΒΕΤ Η ΓΥΝΗ ΖΑΧΑΡΙΟΥ (ΠΡΟΕΓΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ CΕΠΤΕΜΒΡΙΩ ΚΓ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Quia ignotum est, quo anuo sanctae Adnunciationis dies in Ecclesia festus esse coeperit, exordium hujus celebritatis ab ipsa Dei Genetrice Bollandiani quodammodo repetendum duxerunt, (1) quae divinum illud beneficium humano generi impartitum quotannis recolendo Apostolos admonuerit, ut diem hunc sollemnem haberent, eundemque posteris commendarent. nec dubitandum sane est, in omnium Christianorum animis sub ipsa Ecclesiae primordia alte defixam divinae inhumauationis haesisse memoriam. quippe fons illa et origo erat partae salutis; ut de felicitate ipsi sua cogitare non possent, quin diei illius faustissimi recordarentur, quem hodierni mysterii religio consecravit. verum hic publica institutae sollemnitatis monumenta quaerimus, quae ad nos usque pervenisse constet.

Enimvero nulla hujus vestigia sunt in Kalendariis, quae omnium antiquissima praedicantur: silet nempe de hac Romanum Bucheri, Carthaginiense Mabillonii, privatum Polemei Silvii. jam orationes illae tres, quas Gerardus Vossius Gregorio Thaumaturgo tribuebat, de festi hujus argumento, suffragatorem nunc habent nullum: (2) et qui nomen auctoris retinent, Gregorio illi Neocaesariensi adjudicaut, qui Concilio Nicaeno II. interfuit. (3) nec magis reliquos antiquorum Patrum sermones, quos Fabricius indicat, (4) eruditi agnoscunt, aut certam in iis notam reperiunt, quae priscam aetatem omnino testetur. quare Lesleus (5) in festi hujus originem inquirens, *Suspicor*, inquit *mysterium Adnunciationis peculiari festivitate coli coepisse non diu ante initium septimi saeculi*. in qua opinione modus est et ratio, quae in Oudini sententia desideratur,

(1) T. III. Mart. p. 534.
(2) v. Fabr. Bibl. Gr. T. 5. p. 254.
(3) v. Oudin. de Scr. Eccl. T. 1. p. 295.
(4) ibid. T. VIII. p. 114.
(5) Missal. Mozarab. p. 483.

ratur, sine ullo discrimine existimantis, (6) *Festa beatae Virginis Synodo* II· *Nicaena recentiora esse*: contra quem vel una Kalendarii nostri auctoritas plurimum valet.

Sed tamen ad quintum fortasse saeculum festi hujus sollemnia referre licet. nam Patres Concilii Toletani VIII· quod Decimum appellari solet, quum anno DCLVI· statuerent, ut *sollemnitas Dominicae Matris die decimo quinto kalendarum Ianuariarum omnimodo celebraretur*, ita loquutos invenio, ut majorem festi hujus antiquitatem demonstrarent, quam quae Lesleo visa est. primum enim passim per Hispaniae provincias celebratam mysterii hujus memoriam declarant, eamque non eodem ubique die coli queruntur: (7) *Invenitur etenim*, inquiunt, *in multis Hispaniae partibus hujus sanctae Virginis festum non uno die per omnes annorum circulos agi*. in qua ipsa diei varietate quaedam remotae originis indicia elucent: plerumque enim consuetudines in exordio concordant, in progressu variant. deinde dum praescribunt, ut quemadmodum festum Natalis Christi, sic Matris ejus sollemnitas in octavum usque diem prorogetur, antiquum item hunc et communem aliarum Ecclesiarum morem se nosse produnt. *Quod tamen*, ajunt, *nec sine exemplo decedentis moris, qui per diversas mundi partes dignoscitur observari, videtur institui. in multis namque Ecclesiis a nobis et spatio remotis et terris, hic mos agnoscitur retineri*.

Atque hic Graeci quoque designari videntur, quorum studium erga sanctam Dei Genetricem maxime post Ephesinum Concilium eminere coepit. jamdiu autem hunc diem apud eos in honore fuisse, addocet non obscure Trullana Synodus, in qua sub initium saeculi VIII· sancitum est, ut ritus ille *των προηγιασμενων*, qui apud nos unico sanctae Parasceves die obtinet, per quadragenarii jejunii tempus Sabbato et Dominico die, ac Festo, de quo agimus, excepto servaretur. (8) Eν *πασαις της ἁγιας τεσσαρακοςης των νηςειων ἡμεραις, παρεκτος σαββατȣ ϗ κυριακης, ϗ της ἁγιας τȣ Ευαγγελισμȣ ἡμερας, γενεσθω ἡ των προηγιασμενων ἱερα λειτȣργια*. nonne enim hisce in verbis significatio quaedam est vetustatis? quum diem hunc sic memorent, ut non secus, atque Sabbatum diemque Dominicum, praescriptione exceptum nec legi obnoxium agnoscant? nec sane

 alia

(6) Ibid· p· 296·

(7) Conc· Tolet· x· cap· I· apud Hard· T· III· p· 978.

(8) Can· LII· ibid· p· 1681· *In omnibus sanctae Quadragesimae jejunii diebus, praeterquam Sabbato et Dominico, ac sanctae Adnunciationis die, fiat sacrum praesanctificatorum ministerium*.

alia subsequentium aetatum opinio fuit, (9) quum multa etiamtum exstarent Patrum veterum scripta, quae postea periere. quare quidam diei hujus observantiam canone Apostolico praescriptam putaverunt, (10) vetusta scilicet Ecclesiae lege, quae altero ipsius tertiove saeculo lata fuerit: priscas enim Constitutiones inter Apostolicas facile olim numerabant.

At haerere adhuc possis, illud scilicet repetens, in elencho dierum festorum, quem volumine superiore ad diem XXVI· Decembris retulimus, et a sancto Bonifacio Moguntinis propositum diximus, diem Adnunciationis consignatum non esse: eundemque in Karoli magni Capitularibus et in Conciliis aliquot Galliarum desiderari, quum tamen in iis dies anni festi enumerentur. id vero mihi argumento est, non ignotum illic festum etiamtum fuisse, sed die Dominico esse celebratum, quemadmodum Ecclesia Ambrosiana die Dominico ante D· N· Iesu Natalem agit: quem morem prope recepisse videntur Hispaniarum Ecclesiae, quum XV· kal. Ian. recoli Adnunciationis memoriam voluere. hoc nimirum si admiseris, caussam jam habes in promptu, quare in festorum dierum censu nulla hodierni facta sit mentio.

Festum ipsum Graeci omnium aetatum una eademque formula designarunt, *Ευαγγελισμον* appellantes *της ἁγιας* aut *ὑπεραγιας Θεοτοκου*. at Latini paullo aliter: in plerisque enim Martyrologiis *Adnunciatio Dominica* legitur, et in Kalendario Neapolitano *Annuntiatio Domini Iesu*: in Sacramentario Gregoriano *Annuntiatio Angeli ad B. Mariam*: in codice Florentinii *Adnuntiatio s. Mariae de Conceptione, quando ab Angelo est salutata*. quae satis, ut arbitror, opinionem refutant Thiersii theologi Parisiensis, qui se mirari scripsit, (11) Adnunciationis festum Deiparae Virgini fuisse consecratum, *quum Christi potius Incarnationi seu Conceptioni ab antiquis Patribus fuerit dedicatum*. quamquam neque Graeci neque Latini ignorabant aut inficiabantur, sollemnia hodierna sic ad Mariam pertinere, ut simul divinae Inhumanationis mysterium repraesentarent, idemque recolendum proponerent.

II· Praecipuum porro omnium prope templorum sanctissimae Dei parentis in regia urbe festum hodiernum fuisse videtur: singula enim vix alium habebant titulum, quam hunc, *της ἁγιας Θεο-*

(9) v· Euthym· Zigab· Panopl· apud Cotel· PP· Apost· T· 1· ad l· III· Const· Ap· c· 13· p· 316· 317·

(10) v· Nomocan· n· 2· apud Cotel· Mon· Eccl· Gr· T· 1· p· 68·

(11) de fest· dier· immin· cap· 52·

Θεοτοκȣ: cujus illa appellationis jus atque honorem hodie adepta est. unde Theodorus Studites verissime olim ipsam templorum ejus originem et caussam repetebat: sic enim cecinit epigrammate xxxx.

> Της παρθενȣ τον οικον ὁ βλεπων, νοει.
> Ναος γαρ αυτη τȣ Θεȣ δεδειγμενος,
> Ναȣς ἑαυτης πανταχȣ γαμης εχει.

quae Sirmondus Latina fecit hujusmodi:

> *Dum cernis aedem Virginis, mentem admove;*
> *Ex quo ipsa templum est facta nascentis Dei,*
> *Templis ubique gentium colitur suis.*

sequiori aevo monasterium etiam exstructum ab Irene Alexii Comneni uxore, constat, (12) cui nomen fuit της κεχαριτωμενης, quod mysterii hodierni totum proprium est. ejus monasterii Typicum habes in Analectis Montfauconii. (13) hoc autem die Graeci ob insignem Festi sollemnitatem, vel si extremis jejunii quadragenarii diebus ageretur, mitiori jejunii lege utebantur. inter Nicephori Confessoris canones (14) quintus huiusmodi est: Εαν φθαση ὁ Ευαγγελισμος τη μεγαλη πεμπτη, η τη μεγαλη παρασκευη, ȣχ ἁμαρτανομεν οινȣ τηνικαυτα μεταλαμβανοντες ϗ ιχθυων. nisi quod apud Virgines sanctimoniales legem postea severiorem praescriptam invenio. nam in eo, quod paullo ante commemorabam, Irenes Augustae Typico (15) minus per eos dies sororibus Deo devotis indultum est. Της ἑορτης δε τȣ Ευαγγελισμȣ επισχσης, inquit Irene, λαμπρως ἑορταστεον εις δυναμιν, ϗ ιχθυων μεταληπτεον, οινοθεν αφωνιζομενων, ϗ οινȣ ποτεον δια τȣ μειζονος ἑξαγιȣ. ιχθυοφαγησετε δε εν τη ἁγια ταυτη ἑορτη, ὡς ειρηται, εαν μη τη ἁγια ϗ μεγαλη ἑβδομαδι συνδραμη· τοτε γαρ τοις οστρακοδερμοις χρησεσθε μονοις, μαλλον δε πα-

(12) Cang. CP. Chr. l. IIII. p. 87. n. 12.
(13) a p. 128.
(14) apud Cotel. ibid. T. III. p. 445. *Si Adnunciatio inciderit in magnam quintam, vel magnam paraceven, non delinquimus, si tunc vinum et pisces sumpserimus.*
(15) In Annal. Montfauc. p. 230. *Adveniente autem Adnunciationis festo, splendide id pro viribus celebrandum est, piscesque comedendi sunt, domus sumptibus in optonium comparati, vinumque bibendum mensura majoris hexagii. pisces autem in sancta illa sollemnitate comedetis, ut dictum est, nisi in sancta et magna hebdomade occurrerit: tunc enim solis conchyliis utemini, solatium potius ab ipsa sollemnitate petentes. nam tres dies illius hebdomadis, secundam scilicet, tertiam et quartam feriam vos exigere par est quibusdam legumi-*

παρακληθησεσθε, δια την ἑορτην. επει τας τρεις ἡμερας ταυτης της ἑβδομαδος, ηγȣν δευτερᾳ, τριτῃ ϗ τετραδι διαγειν εικος, τισιν οσπριοις διαβροχοις ϗ λαχανοις ωμοις ϗ οπωραις ταις παρατυχȣσαις αρκȣμεναι, ϗ τῳ κυμινατῳ θερμῳ πωματι. ει δε ϗ εν τῃ δευτερᾳ ϗ τριτῃ της ἁγιας ϗ μεγαλης εβδομαδος συνδραμῃ η προδηλωθεισα ἑορτη τȣ Ευαγγελισμȣ, ϗ τῃ μεγαλῃ πεμπτῃ, τοις οστρακοδερμοις χρησεσθε μονοις· ει δε ϗ εν τῃ μεγαλῃ τετραδι ϗ παρασκευῃ, η ϗ αυτῳ τῳ μεγαλῳ σαββατῳ, τῃ μην μεγαλῃ τετραδι ϗ τῃ μεγαλῃ παρασκευῃ οσπριοις τισιν ἑψητοις ϗ λαχανοις συν ελαιῳ αρκεσθησεσθε· μεταληπτεον δε ϗ οινȣ τῳ μειζονι ἑξαγιῳ. εν δε τῳ ἁγιῳ σαββατῳ απεστω πασα μεριμνα περισπασμον εμποιȣσα. ȣ γαρ δια την ἑορτην καταλυσετε την τȣ μεγαλȣ σαββατȣ νηστειαν, ῳ μονῳ νηστευειν απο παντων κανονικως παρελαβομεν. atque haec strictim de hujusmodi Graecorum jejuniis attigisse satis sit post ea, quae in corollario prioris voluminis exposuimus.

nibus madefactis, oleribus crudis et fructibus forte obviis contentas cum calido cuminato potu. si vero dictum Adnunciationis festum cum secunda aut tertia feria sanctae et magnae hebdomadis concurrerit, vel cum magna quinta feria, solis conchyliis utemini: sin autem cum magna feria quarta, cum Parasceve vel cum ipso magno Sabbato; in magna quidem feria quarta, et magna Parasceve legumina quaedam cocta et olera cum oleo vobis sufficient, vinique sumetis majus hexagium. in sancto autem Sabbato absit omnis cura animum distrahens: ob festum namque illud non solvetis jejunium magni Sabbati, in quo solo omnibus abstinendum esse canonice accepimus.

COM:

COMMENTARIORVM DIVRNORVM

LIBER VIII.

AD MENSEM APRILEM

APte olim de dierum festorum distributione cecinit Paullinus Nolanus in Natali nono sancti Felicis Martyris, quum scilicet ad anniversaria hujus sollemnia, quae ille nona celebrabat, Nicetas etiam Episcopus e Dacia optato advenisset:

Ergo velut caelum stellis, ut floribus arva,
Temporibusque annos Dominus; sic ipse diebus
Tempora distinxit festis, ut pigra diurnis
Ingenia obsequiis, saltem discrimine facto,
Post intervallum reduci sollemnia voto
Sancta libenter agant, residesque per annua mentes
Festa parent Domino.

nec sane vel hic magis exiguum festorum sortitus est numerum: etsi festos hoc dies referri videas ordinarios non amplius quatuor, non secus, ac superiore mense recensuimus. bona quippe dierum Paschalium pars Aprilem quoque de more occupabat, de quibus in corollario voluminis primi actum est. ceterum stati dies, quos hic illustrare debemus, quamquam perpauci, controversiarum tamen aliquid sufficient, in quibus commode satis utiliterque versemur.

Digitized by Google

AD DIEM VI·

MENSIS APRILIS

ΜΗΝΗ ΑΠΡΙΛΛΙΩ ϛ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙϹ ΕΥΤΥΧΙΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙϹΚΟΠΟΥ ΤΗϹ ΚΩΝϹΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛ·

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠΘ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ, ΕΓΩ ΕΙΜΙ Η ΘΥΡΑ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ϹΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Β, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Pontificatum Constantinopolitanum suscepit Eutychius anno DLII· mense Augusto vertente, (1) dudum Episcopi Amaseae Apocrisiarius: quem Menas decessor ejus sibi successurum praedixerat. erat e Phrygia, atque, ut est in Menologio Basiliano, avum suum Hesychium presbyterum *Θαυματουργον* pueritiae educatorem habuerat: ac deinde monachum egerat. anno XIII· pontificatus, quod impio edicto subscribere noluisset, a Iustiniano Aug. loco motus est, et exulare jussus: fuitque in exilio annos amplius XI· sed Iustino tandem Tiberioque imperium administrantibus sedem suam, quam Ioannes Scholasticus in ejus locum suffectus morte vacuam reliquerat, summo cum honore recepit, anno DLXXVI· hic vero est, quem Gregorius magnus, quum Constantinopoli degeret, in Origenianam illam de corporum resurrectione sententiam prolapsum, ab errore revocavit. (2)

Vitam Eutychii scripsit familiaris ejus et in adversis rebus secundisve socius Eustratius presbyter Constantinopolitanus, quem plerique Eustathium non bene appellant: (3) ea Latine primum a Bollandianis edita, (4) subinde etiam Graece. (5)

II· Decessit autem hoc die, ut recte Pagius indicavit, (6) anno DLXXXII· esto, Mazochius, qui Pagium non consuluit, pridie obiisse putaverit: (7) nec minus Eutychii nomen virtutis laus, quam prodigiorum fama celebravit. (8) sepultum eum fuisse in templo Apostolorum, tradit Eustratius, (9) nec in porticu, ut

fere

(1) v· Cuper· Histor· Chron· Patr· CP· n· 368·

(2) v· Greg· Moral· l· XIIII· a num· 72· ad 75·

(3) v· Comment· ad diem VI· Dec·

(4) T· I· Apr· a p· 550·

(5) ibid· in Append· p· 59·

(6) ad an· 582· n· 7·

(7) Kal· Neap· T· I· p· 169·

(8) Graeci sequiores in odis sacris Θαυματουργον appellant·

(9) in vita n· 98· · · · · *vixque a rapientium manibus integrum in aedem sanctorum Apostolorum inlatum corpus est*·

fere ceteri condebantur, sed prope Andreae et Lucae et Timothei sepulcrum, secundum longitudinem ante altare ad basim ipsam: qui et de studio populi et frequentia, qua funus ejus honestatum est, scribens, ait, *Μολις δε το σωμα διαφυγον τους αρπαζοντας, εισηνεχθη εις τον οικον των ἁγιων Αποστολων.*

Templum in urbe regia honori ejus sacrum, nusquam, qui memoret, reperi: nec ad eum pertinere arbitror monasterium *πλησιον των Ματρωνης*, quod *Ευτυχιου των Λυκαονων* dicebatur: huic, Menae Patriarchae aetate, jam praeerat Zosimus Hegumenus, qui Concilio ejus subscripsit. Eutychii tamen festum in templo Sophiano actum, Menaea nos docent: quo utique in templo quotannis imaginem ejus simulacrumve hodie propositum duxerim, quod populus de anniversaria sollemnitate admonitus rite veneraretur. plures certe sanctorum virorum imagines ibidem in sacrario, ut nunc quoque fit, adservatas esse, ex Theodori Studitae loco, quem superius indicavimus, (10) manifestum est. ex quo etiam discimus, imaginibus illis, non tamquam donariis locum illic datum, sed judicio delectuque adtributum honoris ergo, atque ut illuc velut in sanctuarium receptae, eorum quos referebant, sanctitatem testarentur. nam Theodorus, ut ostenderet, Barsanuphium inter sanctos viros habendum esse, imaginis ejus in sacrarium illud relatae testimonio usus est: (11) *Κατα το και την εικονα Βαρσανουφιου εν τῃ θειᾳ ενδυτῃ της μεγαλης Εκκλησιας ενιστασθαι ἁγιοις πατρασιν, Αντωνιῳ, Εφραϊμ, και ἑτεροις.*

III. Injecta autem imaginum et simulacrorum mentio memoriam refricat ejus quaestionis, quae ab aliis saepe instituta est, (12) Graecine earum aetatum, quae Studitae proximae fuere, sacras imagines ex aere argentoque aut ligno vel marmore stantes ac solidas, aeque ut tabulas pictas et anaglypta, in templis admiserint: an statuis omnibus rejectis, picturas tantum et signa in tabulis expressa adamarint? de saeculis enim minus antiquis disputari solet: nam priora quidem omne imaginum genus a templis exclusisse videntur: quum recenti etiamtum superstitionis memoria, et probrosis mendacium Deorum simulacris non undique omnibus sublatis, res ea periculi aliquid habitura putaretur: quam-

(10) ad diem XXVIII. Ian. n. 2.

(11) In Testam. n. III. *Quum et Barsanuphii imaginem in sacro magnae Ecclesiae Vestiario una cum Antonio, Ephraim aliisque sanctis Patribus extare constet.*

(12) v. Paciaud. de cultu s. I. B. Diss. v. cap. 9.

quam extra templa non improbabant; laudavitque Eusebius (13) *τα τȣ καλȣ ποιμενος συμβολα, τουτε Δανιηλ συν αυτοις λεȣσιν εν χαλκῳ πεπλασμενον, χρυσȣτε πεταλοις εκλαμποντα*, quae Constantinus magnus in foro medio ad fontes constituerat, ut urbi suae ornamento essent. a templis profecto, Eusebio eodem teste, ista tum aberant: in Epistola enim ejus ad Constantiam Licinii, de qua jam post Boivinii (14) additamenta et curas dubitare non licet, sic rogatur Augusta: Η *εςιν ὁτε εν Εκκλησιᾳ το τοιȣτον η αυτη (εωρακας), η ϗ παρ'αλλȣ τȣτο ηκȣσας; ȣχι δ'ε καϑ'ὁλης της οικȣμενης εξωριςαι ϗ πορρῳ των Εκκλησιων πεφυγαδευται τα τοιαυτα, μονοις τε ἡμιν μη εξειναι το ταυτον ποιειν παρα πασι βεβοηται*; imaginem quippe Constantia petierat D. N. Iesu, quam Eusebius a se mittendam esse non censebat.

Sed tamen receptas subinde in templa picturas, honoremque pictis imaginibus habitum, quaecunque sanctos Caelicolas repraesentarent, extra controversiam est: illud contra paullo obscurius, an et statuas sacras Ecclesia Graeca aeque probarit. in ipsa enim Synodo Nicaena, quae Iconomachos damnavit, atque in Germani Patriarchae regiae urbis Epistola ad Constantium Episcopum Nacoliae, commemorata Haemorrhoissae statua, quam Paneade cum alii, tum Eusebius ipse viderat, ex aere, ante mulieris aedes statutam, haec protinus legas: (15) Ου *τȣτο δ'ε λεγομεν ἡμεις, ὡςε τας εκ χαλκȣ ςηλας επιτηδευειν ἡμας· αλλ' η μονον δηλωσαι, ὁτι ϗ το κατ' εϑνικην συνηϑειαν μη αποποιησαμενȣ τȣ Κυριȣ, αλλ' ευδοκησαντος, εν αυτῳ επιδεικνυσϑαι εφ'ικανον χρονον της αυτȣ αγαϑοτητος την ϑαυματȣργιαν, το παρ' ημιν ευαγεςερον πως κρατησαν εϑος κακιζειν ȣκ ὁσιον*. nisi quod difficultatem vetus Scholiastes infregit, haec in margine adscribens: (16) Οι *Γραικοι το ἁγιον ϑυσιαςηριον, ἱνα μη πασιν εκδηλα*

(13) in vit. Const. l. III. c. 9. *Boni Pastoris imagines, et Danielis effigiem una cum leonibus aere expressam, et auri bracteis refulgentem.*

(14) ad Niceph. Gregor. l. XVIII. c. 7. ex cod. reg. Paris. 1980. *An vero quidquam hujusmodi in Ecclesia fieri, sive ipsa vidisti, sive ab alio unquam audivisti? nonne haec potius per universum orbem ab nostris Ecclesiis exsulant, longeque absunt; nobisque solis ea facere non licere, communis omnium sermo est?*

(15) apud Hard. Conc. T. IIII. p. 261. sententiam, quae satis implicata est, sic reddidit Longolius infra p. 649. *Haec autem non dicimus, quod arbitremur nobis circa aerearum statuarum operositatem laborandum: sed tantummodo ut admoneamus sanctitatem tuam, veterem consuetudinem non esse rejiciendam.*

(16) ibid. in margine: *Graeci, ne sacra omnibus pateant, sacrum altare cancellis circumcludunt: in quibus reponunt imagines, quae simul altare contegunt, & populo adorandae proponuntur. huc videtur adlusisse Germanus: id enim statuae minus commode praestare queunt: ac proinde usum imaginum ut commodiorem et communiorem, magis etiam pium quodammode*

δηλα η τα θεια, καγκελλοις περικλειουσιν εικονας, δι' ὡν ϗ τα αδυτα περιφραττεται, ϗ των ἁγιων οἱ τυποι προσκυνονται. προς τυτο γυν δοκει αφορμην ὁ Γερμανος· επει δι' ανδριαντων αυτο τυτο γενεσθαι αμηχανον· ὁθεν ϗ την των εικονων χρησιν, ἁτε δη κοινοτεραν τε ϗ προς το περικλειειν ευχερεςεραν, ευαγεςεραν πως κατωνομασεν· ὁτι γαρ ϗ το ἱερυς ανδριαντας εγειρειν ευσεβες, ϗ υκ ασυνηθες τη καθολικη Εκκλησια, εκ τε διαλαλιων τινων Επισκοπων, ϗ εκ τυ ὁρυ αυτυ της ἁγιας ταυτης συνοδυ καθεςηκε προδηλοτατον. quae, ut arbitror verissime dicta sunt: etsi minus in Actis perspicua res est, quod imagines quaslibet sive pictas sive sculptas, *γενικως* ubique loquuti, *εικονας* aut *μορφας*, aut *χαρακτηρας* aut *ομοιωματα* Patres appellarunt. inquire tamen in eorum verba diligentius: reperies, (17) et serpentem aeneum et Cherubim in exemplum adduci, quae signa erant et statuae: tum hoc etiam argumentum usurpari, (18) *Ει τα ειδωλα προσεκυνυν, δια τι λοιπον τιμω τυς Μαρτυρας τυς τα ειδολα καταλυσαντας; ει τα ξυλα ὡς θευς τιμω ϗ δοξαζω, πως τιμω ϗ δοξαζω τυς Μαρτυρας τυς τα ξυλινα ξοανα καταλυοντας; ει τυς λιθυς ὡς θευς δοξαζω, πως τιμω ϗ προσκυνω τυς Μαρτυρας ϗ Αποςολυς τυς συντριψαντας ϗ απολεσαντας τα λιθινα ζωδια*; quae profecto non magis eversa Idolorum simulacra, quam stantes in templis Martyrum statuas designant.

Nec vero aliae desunt auctoritates, quae ex eadem Synodo peti possint: ut manifestum omnino fiat, statuas a templis nulla lege exclusas esse. ceterum magna simulacra, quia moles ipsa, ne loco moveri ac circumferri mutarique possent, impedimento erat, minus semper placuere, quam parvula et anaglypta signis exstantibus, qualia nunc in Museis etiam videmus, ex ebore in primis aut buxo. quia vero quum suus Imaginibus sacris cultus Nicaenorum Patrum decretis est redditus, statuaria jacebat, artificesque operi pares nusquam erant, hac quoque de caussa consuetudo vetus mansit, et nova aeque templa statuis caruere. Allatius certe vix aliquot memorare potuit, quas in templis Graeci aequales

 ejus

do vocavit. Nam alioqui pium esse ac receptum ab Ecclesia sacrarum statuarum usum, ex quibusdam Episcoporum interloquutionibus, et ex ipsa definitione hujus Synodi apertissime constat.

(17) v. Leontii Ep. Neap. Cypri Apolog. Act. IIII. apud Hard. ibid. a p. 193. &c.

(18) ibid. p. 196. D. *Si idola adorarem, cur Martyres, qui destruxerunt idola honorarem? si ligna ut deos honoro & glorifico, quomodo honoro & glorifico Martyres, qui lignea simulacra destruxerunt? si lapides ut deos glorifico, quomodo honoro & adoro Martyres & Apostolos qui contriverunt & perdiderunt saxea signa?*

ejus venerarentur: (19) et Assemanus rem eandem pluribus confirmare aggressus, plus aliquid profecisse non videtur. (20)

(19) lib. III. Eccl. Or. & Occ. perpet. consens. cap. XV. n. II.

(20) Kal. Eccl. univ. T. I. p. I. c. 5. a n. 2.

AD DIEM XI.

MENSIS APRILIS

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΑ ΑΘΛΗϹΙϹ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟϹ ΑΝΤΙΠΑ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ϹΗ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙϹ, ΠΡΟϹΕΧΕΤΕ ΑΠΟ ΤΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ϹΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Κ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Hic ille est Antipas, Ioannis Apostoli temporibus Martyr, quem Deus ipse praeclaro ornavit ellogio, quum Ioannem Angelo Pergami haec scribere jussit: (1) *Ταδε λεγει ὁ εχων την ρομφαιαν την διςομον την οξειαν· Οιδα τα εργα σου, και που κατοικεις, όπου ὁ θρονος του σατανα, και κρατεις το ονομα μου, και ουκ ηρνησω την πιςιν μου, και εν ταις ἡμεραις, εν αἱς Αντιπας ὁ Μαρτυς μου ὁ πιςος, ὃς απεκτανθη παρ᾽ ὑμιν, όπου κατοικει ὁ σατανας.* occisus autem Antipas dicitur, ubi Satanas habitabat, quod Pergamum urbs illa Mysiae insignis, ac regia quondam Attalidarum, Fanum Aesculapii haberet tota Asia celeberrimum, vanumque numen insana superstitione prosequeretur: quod aequalis eorum temporum Statius confirmat, (2) et ejus urbis nummi veteres declarant, (3) quorum vix ullum reperias, qui Aesculapium aut Hygiam aut certe colubrum insurgentem non referat.

Diem hunc Antipae sacrum sine ullo dissensu Graeci cujusque aetatis designant, quos et Latini sequuntur, quamquam hi sero nomen in fastos retulerunt. in appellatione discrimen est: nam Menologium Basilianum et Sirletinum faciunt Episcopum: contra nihil de hoc in Kalendario nostro, aut in Codice Slavico Assemani; idque item in Martyrologio Romano praetermissum est. attamen Quienus Pergamenum Episcopum habuit. Re-

(1) Apocal. c. II. n. 12. *Haec dicit qui habet romphaeam utraque parte acutam: scio, ubi habitas, ubi sedes est Satanae: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam, & in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat.*

(2) de coma Ear. l. III. silv. 4.

(3) v. Hard. Sel. p. 135.

Recte autem martyrium consummasse creditur sub Domitiano, quo tempore Apocalypsis scripta est. verum ipsa martyrii, quae exstat, historia aevum sapit recentius, ut videre licet apud Bollandianos. (4) nec vero eam Papebrochius aut Tillemontius (5) magni faciunt, utut eandem putent esse, quam Andreas et Aretas Episcopi Caesareae Cappadociae in Commentario super Apocalypsi memorarunt. nec illud magis amplectuntur, quod a Cedreno traditum est, (6) Theodosii magni aetate Bovem aeneum Pergamo advectum Constantinopolim, in quo tamquam in fornace ustus fuerat sanctus Antipas. liberius etiam de hoc martyrii genere, ac simul de necis auctoribus haec jam Grotius ad Apocalypsin adnotarat. (7) *Quod ex seris Graecorum Menologiis dicitur hic Antipas passus sub Domitiano, non magis fidem meretur, quam quod dicitur in bovem conjectus aeneum: quale supplicium ignotum est Romanis legibus, quae et Pergami valebant. quare pro vero haberi debet, Antipam hunc fuisse interfectum a plebe commota per Sacerdotes Aesculapii: qualis mortis pericula saepe adiit Paullus.* at qui Antipam sub Domitiano interemptum scripsere, non auctorem necis, sed martyrii tempus indicare voluerunt. poenarum autem genera, quae legibus permissa essent, fortasse non omnia tenemus; tum plus in Christianos saevitum esse, quam lege liceret, non unus Eusebii locus evincit: ac tum magis, quum populi concitati furore Martyres ad supplicia rapiebantur. illa potius me angit vocula απεκτανθη, qua mors ejus in Apocalypsi designatur: neque enim αποκτενομαι aliud sonat, quam *interficior* aut *capite damnor*.

II. Ceterum, ut ad bovem illum aeneum redeam, quem et Gallonius (8) et Sagittarius (9) inter martyriorum instrumenta numerant, equidem, si translationem eam potior auctoritas et magis antiquus scriptor adsereret, vix repudiandam Cedreni narrationem existimarem. plane enim res congruit aevi illius consuetudini, quo jam in honore habebatur, quidquid Martyrum sanguine contactuque olim consecratum putaretur. mitto quae Augustinus refert (10) de lapide illo, quo Stephanus Protomartyr appetitus fuerat: quem asportatum Hierosolymis, et Ancone repositum se au-

(4) T. II. Apr. p. 4.
(5) Mem. Eccl. T. II. p. 523.
(6) in Brev. Hist. n. 116.
(7) Crit. sac. T. VIII. ad Apoc. c. II. num. 13.
(8) de ss. MM. cruciatibus c. VII.
(9) de MM. cruciat. in primit. Eccl. c. X. num. 26.
(10) Oper. T. V. p. 1278. serm. 323.

audisse ait, ubi deinde templum Stephano dicatum esset: certe Petri Apostoli catenas religiose admodum adservatas ostendimus Constantinopoli et Romae. (11) pari religione recondita est ferrea illa crates, in qua distentum Laurentium lenta flamma consumpsit: cujus et fragmenta manent: (12) de sellà, in qua sanctissimus urbis antistes Stephanus mactatus fuerat, haec ex Actis ejus apud Baronium leges: (13) *Sepelierunt corpus ejus cum ipsa Sede sanguine ejus adspersa in eadem crypta, in loco qui dicitur Coemeterium Callisti*. mitto alia hujusmodi.

Cur haec autem majores nostri in pretio haberent, sic nos docet Chrysostomus: (14) Οιδε γαρ, inquit, ϗ τραπεζα, εφ' ἧς Αγιος εφαγε, ϗ καθεδρα, εφ' ἧς εκαθισε, ϗ κλινη, εφ' ἧς κατεκλιθη, κατανυξαι τον ὑποδεξαμενον, ϗ απελθοντος εκεινȣ. deinde rem eandem Antiochenorum exemplo confirmat, qui aedes olim Antiochiae a Paullo habitatas etiamtum studiose honorabant: Ει γαρ μετα τοσȣτον χρονον εισιοντες ενθα εμεινε Παυλος, ενθα εδεθη, ενθα συνεκαθισε ϗ διελεχθη, πτερȣμεθα, ϗ προς την μνημην της ἡμερας απο των τοπων παραπεμπομεθα· ετι νεωτερων των πραγματων οντων, τι πασχειν εικος τȣς μετ' ευλαβειας ξενοδοχȣντας.

III. Antipae Martyris aedem Constantinopoli fuisse, quae anno XII. Basilii Aug. ob terrae motum corruerit, Cangius Menaea sequutus affirmavit. (15) festum autem ejus in templo Ioannis Apostoli, cujus nempe discipulus ferebatur, actum esse quotannis, tam in Synaxario Claromontano, quam in Sirleti Menologio diserte traditur. tum et in alterutro saltem loco Reliquias tanti Martyris fuisse, dubitandum non est. eas nimirum, Augustis adnuentibus, facile sibi a Pergamenis comparare potuerant. et erat haec Episcoporum cura, quoties nova templa dedicarentur, ut de iis Reliquiis, quas ipsi apud se haberent, particulas aliquas rogati mitterent, aut mittendas curarent. id cum passim actitatum alibi indicavimus, (16) tum confirmare hic licet veteri formula Libri Diurni Pontificum, quae in editione Holsteniana est quadragesima octa-

(11) ad diem XVI. Ian.
(12) Gallon. ibid. c. VII. pag. 144. edit. Paris.
(13) ad an. 260. n. 4.
(14) Oper. T. VIII. p. 743. *Solet enim ea mensa, in qua Sanctus comedit, & sella in qua sedit, & lectus in quo jacuit, illum, qui suscepit, compungere, etiam postquam ille abierit . . . . . . nam si nos post tantum temporis spatium ingressi ubi Paullus manebat, ubi ligatus est, ubi sedit & disseruit, quasi alis adsumptis erigimur, & ad diei illius recordationem ex locis ipsis remittimur; quum etiamtum recentes res essent, quo non religionis affectu movebantur ii, qui cum pietate hospitio suscipiebant?*
(15) CP. Christ. l. III. p. 119. n. 9.
(16) p. 35. 194. &c. vol. 1.

octava hoc titulo, *Episcopo de levandis sanctuariis*: litterae autem hujusmodi: *Noverit fraternitas tua Reliquiis nobis beati Martyris* illius *necessario opus esse, ut in loco, qui venerationi ipsius dedicandus est, collocetur. atque ideo praesentibus affatibus* illi *sedis nostrae*, et quod est, *secundum consuetam reverentiam levatas Reliquias contradere non omittas*; *ut ad nos, secundum quod ei injunctum est, quantocius valeat deportare*. neque id moris apud Latinos tantum obtinebat. nam rem eandem se praestiturum promisit olim Chrysostomus (17) Rufino Presbytero, quem rei Christianae caussa in Phoeniciam miserat, et cui de aedibus sacris restituendis mandata dederat. Και των λειψανων δε ένεκεν των άγιων Μαρτυρων αμεριμνος εσο. ϗ γαρ ευθεως απεστειλα τον κυριον μου τον ευλαβεστατον πρεσβυτερον τον Τερεντιον προς τον κυριον μου τον ευλαβεστατον επισκοπον Οτρηϊον τον Αραβισσου· αυτος γαρ εχει ϗ αναμφισβητητα ϗ πολλα· ϗ εισω ολιγων ήμερων αποστελουμεν σοι ταυτα εις την Φοινικην.

(17) Oper. T. III. p. 672. Ep. 126. *De sanctorum vero Martyrum Reliquiis sine cura esto. confestim enim religiosissimum dominum meum presbyterum Terentium ad dominum meum piissimum Otrejum Arabissi Episcopum misi. nam ipse & multas & minime dubias habet, quas paucis diebus in Phoeniciam ad te mittemus.*

AD DIEM XXIII.

MENSIS APRILIS

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΓ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΓΕΩΡΓΙΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΑΗ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC, ΤΑΥΤΑ ΕΝΤΕΛΛΟΜΑΙ ΥΜΙΝ, ΙΝΑ ΑΓΑΠΑΤΕ ΑΛΛΗΛΟΥC (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ CΑ. ΤΗC Γ ΕΒΔΟΜΑΔ. ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Magni Martyris Georgii hoc die passim Graeci Latinique meminere: nec alio idem die martyrium fecit, siquidem Acta ejus Latina sequamur, unde et annus elicitur CCCII. ut sub Diocletiano Nicomediae lauream adeptus videatur. (1) Acta porro multiplicia edidit Papebrochius, (2) sed quae nec ipsi nec aliis satis probantur. Tillemontius in primis omnia repudiat, ratus, quae

(1) v. Tillem. Mem. Eccl. T. v. p. 659. (2) T. III. Apr. a p. 100.

quae exstant, vel ipsa eadem esse, quae in Concilio Romano sub annum CCCCLXXXXIII. rejecta sunt, et in Apocryphorum censum relata; (3) vel certe ab his fluxisse, et potiori auctoritate carere.

At si Acta Martyris Georgii sincera ac germana vetustatem nōn tulerunt, nominis tamen ejus fama atque gloria ab ipso saeculo Ecclesiae quarto clarissima ad nos usque pervenit: in eoque honorando Graeci inter se Latinique olim certarunt. (4)

II. Itaque ne Constantinopoli quidem sua Georgio templa defuere. Concilium sub Mena celebratum mentionem bis nobis infert Monasterii τȣ ἁγιȣ Γεωργιȣ εν τῳ Ξηροκερκῳ. (5) tum Ευκτηριον a Mauritio Aug. eidem dicatum fuisse, testatum reliquit Codinus. (6) atque haec Kalendarii nostri aevo antiquiora sunt. templum εν Δευτερῳ non semel memorant Menaea (7) Georgio item sacrum, sed cujus aetatis fuerit, ignoramus: alia, quae Cangius indicat, (8) sine dubio recentiora sunt.

III. Hic vero tanta Georgii Martyris in summa celebratione ignoratio poscere quodammodo videtur, ut caussam aliquam afferamus, quare Martyrum quorundam, qui magnam plane nominis claritatem adepti, ubique gentium in honore adhuc sunt, Acta tamen germana jamdiu nulla exstent. quo enim majus in eorum memoria recolenda Christianorum studium erat, eo diligentius Acta eorum adservata esse, facile quisque sibi persuadeat: quod tamen quandoque secus fuisse fatendum est. mitto autem incertos casus, communesque illas caussas, unde priscorum codicum interitus repeti solet, tabulariorum incendia, ruinas bibliothecarum, hostium incursiones: mitto etiam, quae rem propius attingunt, edicta Imperatorum et acerbissimas illas sacrorum voluminum conquisitiones Diocletianeas, quibus magnam Actorum copiam periisse constat: quam olim jacturam lamentatus est Prudentius his versibus: (9)

O vetustatis silentis obsoleta oblivio:
Invidentur ista nobis, fama et ipsa extinguitur.
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,

Ne

(3) apud Hard. Conc. T. II. p. 942.
(4) v. Tillem. ibid. p. 185.
(5) apud Hard. ibid. p. 1277. & 1332.
(6) Orig. CP. p. 42.
(7) ad diem 22. & 23. Apr.
(8) CP. Chr. l. III. p. 124. n. 43.
(9) carm. I. Peristeph. v. 73.

Ne tenacibus libellis erudita saecula
Ordinem, tempus modumque passionis proditum
Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent.

equidem, cur Acta hujusmodi prima et intacta clarissimorum aliquot Martyrum desiderentur, potissimam esse caussam arbitror, quod, quum pauca de illis, ut fere fiebat, scripto a majoribus tradita essent, multaque dubia fama vulgo celebrarentur, optime quidam gloriae eorum se consulturos putarunt, si veri quamsimillima sectati, saepe etiam fabulas commenti, contractam illam ac perbrevem historiam amplificarent. scriptorum autem istorum auxit audaciam ipsa aliquando finitimarum urbium contentio, quae municipes et conterraneos Martyres prae aliis coli celebrarique volebant: de quo civitatum studio erga proprios Martyres multa in Patrum veterum laudationibus indicia eminent. ita factum est, ut prima Acta, quae nullo ornatu orationis perscripta erant, prae elegantioribus illis novis plenisque negligerentur: quumque haec ubique legi ac describi coepta placuissent; nam de hujusmodi scriptis rarius olim judicium institutum, praesertim si nihil a Catholica doctrina alienum continerent: Acta vetera, quae nemo jam legeret, nemo describeret, sensim interire necesse fuit.

Nam illa quidem prope insanientis opinio sit, quae Saligo placuit auctori laboriosi operis *de Diptychis Veterum* (10), nulla prope Acta Martyrum aevo ipsorum scripta fuisse: quam opinionem (11) vel soli, quos modo attulimus, Prudentii versus refutant. quid vero aliud, quam Acta illa antiqua designabat Cassiodorius veterum codicum studiosissimus, quum monachos sic est hortatus? (12) *Et ideo futurae beatitudinis memores, Vitas patrum, Confessiones fidelium, Passiones Martyrum legite constanter.* unde praeterea hausisse Eusebius dicendus fuerit, quae de tot Martyribus ab eo tradita partim habemus adhuc, partim exstitisse olim, certo scimus, siquidem Christiani veteres praeter Martyrum nomina, nihil de his aliud litteris consignatum reliquerant? quî demum illa in Cypriani Vita scribere Pontius Diaconus ejus potuisset, qui magnum Actorum ejusmodi numerum saeculo III. nondum vertente agnoscebat? *Certe*, inquit in ipso Vitae exordio, ***durum erat, ut, quum***

(10) Halae Magdeburgicae 1731.
(11) ibid. c. 13. n. 2.
(12) de divin. lect. c. 32.

quum majores nostri plebeiis et catechumenis martyrium consequutis tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione dederint, ut de passionibus eorum multa, aut, prope dixerim, paene cuncta conscripserint, ut ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent, Cypriani tanti Sacerdotis et tanti Martyris passio praeteriretur. non hic Pontius aequales suos sed *Majores* scripsisse ait: qui quum ea aetate viveret, quae etiamtum Martyrum aetas jure dici posset, quae nam ille Acta, nisi Martyrum aequalia, aut quos scriptores designare poterat, nisi eos ipsos, qui testes martyriorum spectatoresque fuissent? multa quidem horum scripta periisse, nemo inficiari audeat; multa etiam alia a nonnullis antiquiora habita esse, quam revera essent, fatendum est: at non inde illud consequitur, quae prima fuere Martyrum Acta, ea multis post annis perscripta esse, quam Martyres occubuissent.

AD DIEM XXVI·

MENSIS APRILIS

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚϚ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟC ΒΑCΙΛΕΩC

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΛΗ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC, ΤΑΥΤΑ ΕΝΤΕΛΛΟΜΑΙ ΥΜΙΝ, ΙΝΑ ΑΓΑΠΑΤΕ ΑΛΛΗΛΟΥC ✠ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ CΑ· ΤΗC Γ ΕΒΔΟΜΑΔ· ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Basileum Episcopum Amasenorum, Martyrem sub Licinio, in antiquis Latinorum Fastis non legimus, uno excepto Kalendario Neapolitano, in quo insignia Graecorum nomina raro desiderari, alias jam adnotavimus. neque id mirum videri debet in ea civitate, quae diutius, quam reliqua Italia, in Augustorum potestate imperioque fuit: etsi enim Latina Ecclesia erat, parebatque Patriarchae Romano; Graecis tamen consuetudine jungebatur. est autem hic dies non martyrii proprius, si Actis credimus, sed Translationis. nam illo Basileus perfunctus dicitur die XXVIII· mensis Martii: hodie vero Corpus ejus, quod in mare projectum fuerat et apud Sinopen inventum, Amaseam perlatum et in templo condi-

ditum traditur, quod ipse exstruxerat. haec porro ex Hieronymi Chronico pertinent ad annum CCCXX.

Acta Basilei invenies apud Bollandianos (1) Latine primum, deinde et Graece edita: (2) quae tamen pace Henschenii minus sincera plerique habuere. (3) quidquid vero de iis sentiendum sit, nomen Basilei ab ipsa morte clarissimum fuit. magnus Athanasius in oratione prima adversus Arianos, Episcoporum Catholicorum censum habens, quorum scripta tuto recipi poterant, nostri quoque Martyris, quem Basilium appellat, sic meminit: (4) των μεγαλων Βασιλεως ϗ Μελετιου ϗ Λογγιανου, ϗ ὧν συν αυτοις των απο της Αρμενιας ϗ Ποντου. Basilei autem ellogium scripserat aequalis Chrysostomi Asterius, et Amaseae a Basileo tertius Episcopus apud Quienum: (5) de quo ellogio mentio est in Typico Sabae, (6) sed quod aliud omnino fuisse creditur, quam quod nunc habemus. (7) Basilei quoque meminit Eustratius presbyter Constantinopolitanus, (8) cujus auctoritates non semel protulimus. interfuisse demum Basileum Conciliis duobus, Ancyrano et Neocaesariensi, subscriptiones testantur, quae manent, (9) unde liquet, anno CCCXIII. quo ea celebrata sunt, Ecclesiae illum Amasenae Ponti metropoli praefuisse.

II. De honoribus ejus caelestibus apud Constantinopolitanos monumentum, opinor, nullum Kalendario nostro antiquius habemus. neque id tamen praeter consuetudinem erat, ut in regia urbe ejus vicinitatis Martyres praecipuo studio colerentur: quod jam superius non semel animadvertimus. ad Amaseam nempe tamquam Episcopus, sed ad Nicomediam in proxima Bithynia sitam tamquam Martyr, Basileus pertinebat. illic enim martyrium ab eo consummatum Acta nos docent: quibuscum et Menologium Basilianum consentit. ceterum quo in templo festum hodie ageretur, aut ubi sacrarium aedemve haberet, non invenio.

Addam et illud, in vita Euthymii, tam quae a Cyrillo Scythopolitano primitus scripta est, (10) quam quae a Metaphraste prodiit, (11) mentionem de templo fieri, quod Scythopoli dicatum fuerat Martyri Basileo aut Basilio: utroque enim modo efferi-

(1) T. III. Apr. a p. 417.
(2) Ibid. in App. p. 56.
(3) v. Tillem. M. E. T. v. p. 515. & 785.
Mazoch. K. N. T. 1. p. 254.
(4) T. 1. p. 291. c.
(5) Or. Chr. T. 1. p. 526.
(6) p. 492. ed. Ven.
(7) Act. Boll. ibid. in App. p. 57.
(8) de vit. functor. statu.
(9) apud Hard. Conc. T. 1. p. 280. & 285.
(10) Mon. Eccl. Gr. T. IIII. p. 31.
(11) ibid. T. II. p. 233.

imus Latine *τον Βασιλειον*: cui templo addictus fuiſſe Kyrion quidam Presbyter dicitur, qui deinde apud Euthymium Monachus factus est. incertum tamen eſſe puto, huic ne Martyri, de quo egimus, adſcribendum illud sit, an Basileo, qui martyrium Antiochiae fecerat, cujus memoriam Latini agitamus v. kal. Dec. quod quidem in hujusmodi argumentis novum non est, sed uſitatum plane atque frequens, idque ſcriptorum veterum culpa, qui de poſteritatis cognitione minus laborarunt. nam quidam ſic martyria ſcripſerunt, ut nec tempus nec locum ſcripto conſignarint: quumque cognomines Martyres alibi colerentur, ne ab his quidem eos diſtinxerunt, de quibus ipſi ſcribere instituiſſent: ſive quod illos fuiſſe ignorabant, ſive quod eorum cauſſa ſcribebant, qui cives, qui indigenae erant, nec facile nominum ſimilitudine falli poterant.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIORVM DIVRNORVM

LIBER VIIII.

AD MENSEM MAIVM

FEstos dies Majus exhibet octo: e quibus duo potissimum ad Constantinopolitanos pertinebant, undecimus, quo Natalis urbis, et vicesimus primus, quo memoria Constantini conditoris celebrabatur. at quaestiones ne hoc quidem mense ita multae, ut longiores nos esse cogant, quam solemus.

AD DIEM I.

MENSIS MAII

ΜΗΝΗ ΜΑΙΩ Α ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΡΟΦΗΤΟΥ ΙΕΡΕΜΙΟΥ
(ΤΟ ΑΥΤΟ ΔΕ ΚΑΙ ΕΙϹ ΕΓΚΑΙΝΙΑ ΕΚΚΛΗϹΙΑϹ)
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΞϚ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕΛΘΩΝ Ο ΙΗϹΟΥϹ ΕΙϹ ΤΑ ΜΕΡΙ ΚΑΙϹΑΡΙΑϹ ΤΗϹ ΦΙΛΙΠΠΟΥ, ΗΡΩΤΑ ΤΟΥϹ ΜΑΘΗΤΑϹ κ. τ. λ.

I. Hieremiae magni Prophetae festum jamdiu Oriens universus cum Graecis Latinisque hoc die celebrat: (1) eumque hodie obiisse, putavit Salianus, anno, ut Labbeus censet, sexcentensimo se-

(1) Henschen. In Act. ss. T. 1. Maii a pag. 5.

Digitized by Google

septimo ante annum Christianum: (2) in quo non consentiunt Eusebius et Hieronymus, qui vaticinia Hieremiae in Olympiadem xxxxv. retulerunt, id est in annum sexcentesimum tantum ante supputationem Dionysianam, atque adeo mortem ejus multo serius contigisse existimarunt. (3) diu enim Hieremias Prophetam egit: nam *quum esset puer*, inquit Hieronymus, (4) *prophetare coepit anno tertio decimo Iosiae filii Amon regis Iudae. prophetavitque in imperio ejus annis decem et novem: et postea sub Ioacim filio ejus annis undecim: et sub Sedecia, qui ultimus fuit regum Iuda, annis undecim usque ad quintum mensem, quando a Babyloniis capta est Ierusalem.*

De loco, item de genere mortis haec in Martyrologio Romano legimus: *In Aegypto sancti Hieremiae Prophetae, qui a populo lapidibus obrutus, apud Taphnas occubuit, ibique sepultus est.* in Menologio Basiliano locus etiam sepulturae indicatur: Και εταφη εγγυς τȣ οικȣ Φαραω. at cum haec minus certa, tum illa plane fabulosa, quae Menaea referunt de exitu illius et de Translatione Reliquiarum: (5) nec Epiphanii suffragatur auctoritas: falso enim creditus est auctor libri *de vita et interitu Prophetarum*, quod jam alii viderunt.

II. Enimvero Constantinopoli, ut aliorum Prophetarum templa quaedam fuerunt, sic Hieremiae memoria in honore habita, et in Petri Apostoli aede quotannis celebrata: Τελειται δε ἡ αυτȣ Συναξις, ut Menaea habent, εν τω ναω τȣ ἁγιȣ Αποςολȣ Πετρȣ, τω συγκειμενω τη ἁγιωτατη μεγαλη Εκκλησια. atque eadem fere leguntur in Synaxario Claromontano, quemadmodum adnotavit Henschenius. (6) eadem porro aedes fuisse videtur, atque illa, in qua Catenas Herodianas sancti Petri adservatas esse, superius monuimus, (7) quae Cangii quoque opinio est. (8)

Quod additum est de lectione Evangelii, eandem hodie pronunciari, quae εις εγκαινια, sive ob anniversaria Dedicationum sollemnia, praescripta esset, confirmat, opinor, quae alibi diximus, Kalendarium nostrum non templi alicujus proprium, sed commune fuisse et in plerorumque sacerdotum usus perscriptum: certe, si secus fuisset, indicatum alicubi Dedicationis festum reperiremus.

A D

(2) in Epit. Chron. p. 11.
(3) in Chron.
(4) Explan. in Hierem. l. 1. c. 1.
(5) v. Papebroch. ad Ephem. Gr. hoc die.
(6) T. 1. Maii ibid.
(7) ad diem xvI. Ian. n. 11.
(8) CP. Chr. l. III. p. 115. n. 27.

A D D I E M II.

M E N S I S M A I I

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Β ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΘΑ-
ΝΑCΙΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙCΚΟΠΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑC
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΛΒ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC,
ΥΜΕΙC ΕCΤΕ ΤΟ ΦΩC ΤΟΥ ΚΟCΜΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ
ΜΗΝΗ CΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Β, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Postquam ad diem xviiI. Ianuarii vidimus, eo die non mortis Athanasii, sed reditus ejus ab exilio consignatam esse memoriam, affirmare jam licet, diem hunc, non alium, habendum esse *θανασιμον*, et vere scriptum hodie in Menologio Basiliano, *Κοιμησις τȣ εν ἁγιοις πατρος ἡμων Αθανασιȣ Επισκοπȣ Αλεξανδρειας*: quem diem Latini etiam sequuti sunt, ne dum Aegyptii. (1) nec aliter, opinor, explicandus Ephemeridis Graecorum versus, (*)

Δευτεριῃ νεκυς Αθανασιȣ εισεκομισθη.

esti Papebrochius, non de corpore in sepulcrum inlato, sed de Reliquiis Alexandria Constantinopolim translatis accipiendum putavit. (2) id potius significant duo alii versus ellogio praepositi, quod in Menaeis legitur, iique satis lepidi, (*)

Αθανασιε πȣ κομιζῃ μοι παλιν;
Και νεκρον εξορισμον εκπεμπȣσι σε.

sed haec Translatio post Kalendarii nostri tempora contigisse videtur, hoc ipso, ut arbitror, die: atque inde factum esse, ut in fastis modo Athanasii mors, modo corporis ejus Translatio hodie memoretur.

De anno mortis magna controversia fuit, Socratis auctoritatem repudiantibus Pagio et Montfauconio, ut biennio post eum annum

(1) Papebr. T. I. Maii p. 249.
(*) *Altera lux tumulo defletum Athanasion abdit.*
(2) ibid. p. 246.
(*) *Quo nam te, Athanasi, rursum quo te convehunt?*
Peregre vel extinctum exulare te jubent.

annum obiisse contenderent, quem ille designasset. is autem est CCCLXXI. uti jam ad diem XVIII. Ianuarii mensis indicavimus: quo quidem anno Athanasium decessisse, egregie demum in Historia Chronologica Patriarcharum Alexandrinorum ostendit Sollierus, litemque, ut arbitror, plane diremit. at vero sanctissimi Antistitis laudes et recte facta passim in veterum Patrum scriptis et in sacra historia occurrunt, nec ea facile quis oratione adsequi possit. quae tamen perstringens olim Theodorus Studites carmine LXXI. sic adumbravit:

Τις τȣς αγωνας των πονων των σων φρασοι,
Ω πενταϑλητα, των διδασκαλων κλεος;
Υπερ Θεȣ γαρ ὡς γιγας δραμων μεγας,
Στεφηφορων καϑειλες εχϑρȣς παγκακȣς.

atque haec scite, ut solet, Latina Sirmondus totidem jambis fecit:

Nam quis labores, proelia et tua explicet,
Athleta magne? tu magistrorum decus.
Nam pro Deo, gigantis instar dimicans,
Hostes triumphans dissipasti pessimos.

II. Templum Athanasio sacrum in regia urbe exstitisse, tradit Papebrochius, (3) idque in Xerolopho statuit, quod Forum Arcadii fuit: quamquam Cangius, qui de Foro multa congessit, nihil de templo Athanasii subjecit. (4) tota autem Papebrochii sententia codicis Veneti auctoritate nititur, in quo de Translatione Corporis agitur, quod Veneti ab urbe Constantinopoli in patriam avexerunt. nec ille templum nisi post Iconomachos exstructum censebat; sed tamen eo inlatas Reliquias putabat, postquam diu in Sophiano quievissent. at hujus primae Translationis indicium prope nullum est. nam quod Menaeá admoneant ad diem XVIII. Ianuarii, Athanasii et Cyrilli *festum agi in sancta majori Ecclesia*, haud bene quis argumentetur, non antea festum in aede Sophiae celebrari coeptum, quam eo sancti Patriarchae Corpus inferretur. quam cara omnibus ab ipsa morte Athanasii memoria fuerit, quanta virtutis ejus opinio et admiratio sanctitatis, nemini igno-

(3) Ibid. n. 398.

(4) CP. Chr. l. 1. p. 81.

ignotum est. ipsius autem festum Constantinopoli vel Theodosii magni aetate institutum actumque significat Gregorii Nazianzeni oratio εις τον μεγαν Αθανασιον, (5) quam Nicetas (6) Constantinopoli scriptam testatur, et Gregorius ipse ibidem pronunciatam declarat: (7) nam quae nota magis et insignia occurrerent de Athanasio se prolaturum ait, Ινα τουτε ἡμετερον αφοσιωσωμεθα ποθον, ϗ τῃ Πανηγυρει το εικος εκπληρωσωμεν: atque id se in ea civitate facere profitetur, quae maxime sanctorum virorum exemplis ad pietatem et salutem revocanda erat: quippe quae ut Circos et theatra, ita res quoque divinas pro ludo haberet. quare Corporis Translationem ad Germani Patriarchae aevum sive ad saeculum octavum referre praestat, quum jam Saraceni Aegyptum occupassent: quo tempore sacra hujusmodi pignora, ne a barbaris violarentur, clam subducta, et alio asportata esse, non semel legimus. (8) exinde templum illi in Xerolopho dicatum crediderim, in quo Veneti Reliquias denique reperisse dicuntur.

(5) Orat. 21.
(6) In argum. orat. T. II. p. 785.
(7) T. I. p. 376. A. *Ut simul & cupiditati nostrae satisfaciamus, et officium huic festo debitum persolvamus.*
(8) v. comm. ad diem XVII. Ian. n. II.

AD DIEM VIII.

MENSIS MAII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Η ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΘΕΟΛΟΓΟΥ ΚΑΙ ΕΥΑΓΓΕΛΙCΤΟΥ ΕΙC ΤΟ ΛΕΓΟΜΕΝΟΝ ΜΑΝΝΑ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ CΒ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕΙCΤΗΚΗCΑΝ ΠΑΡΑ ΤΩ CΤΑΥΡΩ ΤΟΥ ΙΗCΟΥ Η ΜΗΤΗΡ ΑΥΤΟΥ ΚΑΙ Η ΑΔΕΛΦΗ ΤΗC ΜΗΤΡΟC ΑΥΤΟΥ ΜΑΡΙΑ Η ΤΟΥ ΚΛΟΠΑ ΚΑΙ ΜΑΡΙΑ ΜΑΓΔΑΛΗΝΗ ✠ κ. τ. λ.

I. Hodierni diei festum Graecae Ephemerides apud Papebrochium hoc versu enunciant,

Ογδοατῃ τελεουσι ροδισμον Βροντογονοιο.

quo significatur, memoriam hodie celebrari unguentati pulveris, quem hodie Ephesi quotannis legebant ad locum sepulturae sancti

Ioannis, qui a Christo *Boanerges*, sive *filius tonitrui* appellatus fuerat. ῥοδὶς quippe Discoridi pastillus est, unde ῥοδισμὸν esse puto, quem plerique *Mannam* appellare maluerunt. de hac, si fides Syncello Goarii, meminit Iulius ipse Africanus libro v. Chronographiae suae. ac de eadem Ephraemius Antiochenus apud Photium, (1) commemorata Ioannis sepultura, sic scribit: Κατατεθεις γαρ, φασι, κατα την αυτȣ εκεινȣ προτροπην εν τινι τοπῳ, ζητηθεις αιφνιδιον, ȣκ εὑρισκετο· αλλα μονον το ἁγιασμα βρυον εξ αυτȣ τοπȣ, εν ᾧ προς βραχειαν ροπην ετεθη. αφ᾽ȣ͂ παντες ὡς ἁγιασμȣ πηγην, το ἁγιον εκεινο μυρον αρυομεθα. sed auctor Menologii Basiliani non unguentum, sed κονιν ἁγιαν appellat: quo de pulvere aliquid ipse Augustinus inaudiverat, ac post eum Gregorius Turonensis. (2) tum de illius virtute haec subjicit: Ην οἱ προσερχομενοι λαμβανοντες χρωνται αυτῃ εις παντοιων παθων απολυτρωσιν, εις θεραπειαν ψυχων, εις ῥωσιν σωματων, Θεον δοξολογȣντες ϗ τον αυτȣ θεραποντα Θεολογον γεραιροντες. (*)

Non Ephraemius autem solus, sed et auctor Menologii in eorum opinione erat, qui Ioannem e tumulto revocatum divinitus translatumque putaverunt. Και γαρ, inquit, ὁ ταφος, εν ᾧ ὁ μεγας Αποςολος ϗ Ευαγγελιςης Ιωαννης μελλων μετατεθηναι εταφη, κονιν ἁγιαν, ἣν οἱ εγχωριοι Μαννα προσαγορευȣσιν, επινευσει Πνευματος ἁγιȣ, κατα την ογδοην ἡμεραν τȣ Μαϊȣ μηνος ετησιως εξαιφνης αναβρυει ϗ αναδιδωσιν. (*) Porro eam opinionem Latini quoque amplexi sunt, (3) quos inter eminet Maximus Episcopus Taurinensis, qui sermone I. *de Natali sanctorum Martyrum* (4) haec habet: *Ioannis tamen Apostoli habemus exemplum, quem tumulus susceptum claudere potuit, custodire non potuit; nam depositum corpus perdidit, non assumpsit. hic enim clausis tumuli foribus, gratia resurrectionis ablatus est, ut constaret sepultura, nec inveniretur sepultus*. sed tamen ante hunc Caelestinus Pontifex maximus eodem saeculo, quum ad Patres Ephesinos

(1) Cod. 228. p. 800. *Quum alicubi, ut ajunt, ipsius monitu positus esset, quaesitus mox, inventus non est: sed diffusio quaedam coepta sanctimoniae e loco, quo paullum conquieverat, unde tamquam e sanctitatis fonte sacrum unguentum haurimus.*

(2) v. Tillem. Mem. Eccl. T. I. p. 350. et Ruinart. ad Greg. l. I. c. 30.

(*) *Quam qui accedunt, accipientes in curationem universorum morborum, in animarum sanitatem et in corporum medelam ea utuntur, Deum laudantes, ejusque servum Theologum venerantes.*

(*) *Etenim sepulcrum, in quo magnus Apostolus et Evangelista Ioannes paullo post transferendus, depositus fuit, sanctum pulverem, quem incolae Manna appellant, Spiritu Sancto adnuente, octavo mensis Maii Die quotannis extemplo emittit redditque.*

(3) v. com. ad diem XXVI. Sept.

(4) qui est LXXXI. nov. edit. Rom. p. 621.

sinos scriberet, aliud sentire se ostenderat: ait enim, (5) *Vos hortor, fratres beatissimi, respiciatur illa sola dilectio, in qua utique secundum vocem Ioannis Apostoli, cujus Reliquias praesentes veneramini, manere debemus*. nec Graeca differunt: scriptum enim est, Ου τα λειψανα παροντες τετιμηκατε. quamquam erit fortasse, cui Reliquiae illae vel sepulcri Manna esse videatur, vel etiam Tunica illa, quam postea videre et contrectare maxime optavit Gregorius magnus; sic enim ad Ioannem Abbatem scribens, desiderium ipse suum patefecit: (6) *De tunica vero sancti Ioannis omnino grate suscepi, quia solicitus fuisti mihi indicare. sed studeat dilectio tua mihi ipsam tunicam, aut quod melius est, eundem Episcopum, qui eam habet, cum Clericis suis et cum ipsa ad me transmittere: quatenus et benedictione tunicae perfruamur, et de eodem Episcopo vel Clericis mercedem habere valeamus*.

II. De templis in regia urbe sancto Ioanni Theologo dicatis dixi superius ad diem vicesimum sextum Septembris: quorum maximum et celeberrimum erat, quod a loco Εβδομον appellabant, Constantini magni opus; (7) in quo potissimum hodie etiam Synaxin actam esse crediderim.

Evangelium, ut loco indicavimus, praescriptum hodie est partim ex cap. XVIII. partim ex cap. XXI. quod factum apparet, ut simul conjungerentur, quae utrobique de Ioanne scripta legimus. in altero enim datus Mariae dicitur Christi loco tamquam filius; in altero idem Evangelii et testis et scriptor proditur, testimoniumque ejus verax celebratur.

(5) apud Hard. Conc. T. 1. p. 1470. D.
(6) lib. III. ep. 3.
(7) v. Cang. CP. Chr. l. IIII. p. 113. v. Boldett. l. 3. p. 689.

AD DIEM XI.

MENSIS MAII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΑ ΕΙC ΤΟ ΓΕΝΕCΙΟΝ ΤΗC ΠΟΛΕΩC,
ΚΑΙ ΕΙC ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΩΚΙΟΥ ΚΑΙ ΠΑΚΩΜΙΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΛΔ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ✠ ΚΑΘΩC ΗΓΑΠΗCΕΝ ΜΕ Ο ΠΑΤΗΡ, Κ' ΑΓΟ ΗΓΑΠΗCΑ ΥΜΑC ✠ κ. τ. λ.

I. Anno CCCXXX. Gallicano et Symmacho Cos. novae Romae Encaenia celebrata sunt. *His Consulibus*, inquit Idatius, *dedicata*

est

est Constantinopolis die v. *idus Majas* quam Dedicationem Hieronymus in Chronico jungit cum anno secundo Olympiadis CCLXXVII· ipsa simul ampliatae urbis ornamenta notans: *Constantinopolis*, inquit, *dedicatur pene omnium urbium nuditate*. illud autem mirum, neque in Furii Philocali neque in Polemei Silvii Kalendariis mentionem ullam hujus dedicationis esse factam, quum in utroque tamen Natalis Constantini pridie kal. Apr. consignatus sit. nam quod de ea sileat Kalendarium Constantinianum, inepte quis stupeat: quinquennio enim ante illam dedicationem scriptum esse constat.

Quibus caeremoniis dedicata urbs fuerit, minus liquet. Ludos Circenses tum celebratos esse, et Constantini statuam Fortunae simulacrum dextra gerentis in foro constitutam scimus: (1) quae sane veterem superstitionem sapiunt. Zonaras contra et Cedrenus urbem sanctae Genetrici Dei rite dicatam scribunt: Nicephorusque Callistus (2) illud praeterea addit, consecrationem ab Episcopis peractam fuisse, qui ad Synodum Nicaenam convenerant: quae tamen Synodus quinquennio ante dimissa fuerat. in Menologio Basiliano nihil quidem de Episcopis Nicaeensibus traditum, sed tamen Christianis omnia ritibus perfecta esse docemur: (*) Αναθεις Constantinus ταυτην τῃ ὑπερενδοξῳ Δεσποινῃ ἡμων Θεοτοκῳ ϗ αει παρθενῳ Μαριᾳ, κατεξαιρετον ευχαριςων ἁμα τῳ ἁγιωτατῳ Πατριαρχῃ (Alexandro) ϗ τῳ Κληρῳ ϗ τῳ λαῳ, λιτανευσας αιηλθεν εν τῳ φορῳ, εν ὡ την αυτȣ ςηλην οἱ πολιται ανεςησαν, φερȣσαν τȣς ἁγιȣς τȣ Χριςȣ ϗ Θεȣ ἡμων ἡλȣς εν τῃ κεφαλῃ, ȣ κατωθεν κειται οἱ δωδεκα κοφινοι των περισσευσαντων κλασματων των πεντε αρτων. illud demum adjicitur, ab eo tempore memoriam Natalis urbis anniversariam esse coepisse. Εκ τοτε ȣν παραλαβȣσα ἡ συνηθεια ἑορταζει ταυτην ὡς τȣ νυν. quidquid autem de his sentiendum sit, sollemnitatem hujusmodi Menologio illo antiquiorem habendam esse, Kalendarii nostri testimonio planum fit: originem vero ipsam obscuriorem puto. nam Eusebius, qui rem hanc perstrinxit, nihil de Christiano consecrationis ritu attigit, urbemque regiam Deo dicatam scripsit non caeremoniarum sacrarum celebritate, sed pulcherrimorum templorum

(1) Chron· Alex· Gall· et Sym· Cos· Hesych· Miles· de reb· CP· &c·

(2) Hist· l· VIII· c· 26·

(*) *Ea gloriosissimae D· N· Deiparae perpetuaeque Virgini Mariae dedicata, gratiisque supra modum actis, una cum sanctissimo Patriarcha et Clero ac populo, supplicatione facta, rediit ad forum in quo cives columnam ipsius erexerunt in capite sanctos Christi Dei nostri clavos ferentem; in infimo vero loco duodecim cophinos fragmentorum, quae ex quinque panibus superaverant· ex illo igitur tempore obtinuit consuetudo, ut haec sollemnitas celebraretur usque in praesentem diem·*

rum aedificatione. haec enim ejus sunt verba in Constantini vita: (3) Την δε γ' επωνυμον αυτου πολιν εξοχω τιμη γεραιρων, ευκτηριοις πλειοσιν εφιδρυνε μαρτυριοις τε μεγιστοις ϗ περιφανεστατοις οικοις, τοις μεν προ του αστεος, τοις δ' εν αυτω τυγχανουσι· δι' ὧν ὁμου ϗ τας των Μαρτυρων μνημας ετιμα, ϗ την αυτου πολιν τω των Μαρτυρων καθιερου Θεω. illud tantum extra controversiam est, Constantinopolitanos sanctissimae Dei Matris studiosissimos semper fuisse, urbemque suam της Θεοτοκου πολιν appellare solitos, cujus et opem saepe expertos esse constat. (4)

iI. Martyr fuit Mocius sub Diocletiano. eum Latini colunt iiI. idus Majas, ac Mucium rectius appellant; erat enim ex urbe oriundus: ubi Mucia gens fuit. iidem Presbyterum agnoscunt, quod et in Menologio Basiliano legimus. in Synaxario autem Claromontano dicitur Presbyter sanctae Ecclesiae Amphipolitanae. de Martyrii loco controversia est; nam in hoc Byzantii occubuisse perhibetur, ut habet etiam Martyrologium Romanum, & milliario ab ea urbe primo sepultus esse; in Menologio Basiliano Heracleae: (*) Ειτα πεμπεται εις Ηρακλειαν της Θρακης· ενθα την κεφαλην αποτμηθεις εταφη. Acta ejus illustravit Henschenius, quae Latina tantum ad nos pervenere. (5)

iiI. Templum huic Martyri a Constantino magno in regia urbe exstructum fuisse, testatur auctor Menologii Basiliani: (*) Ὑστερον δε κτισας ναον ὁ μεγας Κωνσταντινος, ηγαγε το λειψανον αυτου, ϗ απεθετο εν αυτω. Sed Codinus fanum id fuisse tradit, quod Constantinus rite expiatum Mocii Martyris honori dedicavit: (6) cujus, opinor, in Actis Concilii Ephesini (7) mentio est: nam in Mocii Martyrio lecta dicitur epistola Patrum Ephesinorum, ibique ab universo populo conclamatum, Αναθεμα Νεστοριω. templum Mocii subinde a Iustiniano restitutum scripsit Procopius: (8) quod a magnitudine laudat, et plerisque omnibus anteponit.

iiiI. Clarum ubique magni Pachomii nomen, *Fundatoris*, ui

(3) lib. iiI. c. 48. *Quum vero civitatem nominis sui ad summam gloriam extollere instituisset, plurimis eam Oratoriis exornavit, amplissimisque Martyriis et splendidissimis aedibus, partim in suburbiis, partim in ipsa civitate constructis: atque hoc modo simul Martyrum honoravit memoriam, simul civitatem suam ipsi Martyrum Deo consecravit.*

(4) v. Cang. CP. Chr. l. 1. p. 30.

(*) *Deinde missus est Heracleam urbem Thraciae, ubi, capite absciso, sepultus est.*

(5) T. iI. Maii a p. 620. v. Tillem. T. v. pag. 640.

(*) *Postremo quum Constantinus magnus templum aedificasset, Reliquias ejus intulit, in eoque deposuit.*

(6) p. 33. et 37.

(7) apud Hard. Conc. T. 1. p. 1588.

(8) de aedif. l. 1. c. 4.

ut Gennadius appellat, (9) *Coenobiorum Aegypti* : nec Fasti fere ulli sunt, qui tanti viri non meminerint. sed memoriae ejus recolendae alii alium diem adsignarunt, Latini diem pridie idus Majas, Graeci diem sextum, aut septimum, aut decimum tertium, aut decimum quintum ejusdem mensis: (10) ex Kalendario autem nostro etiam undecimum : qui quidem dies humationis ejus anniversariam memoriam proxime subsequitur. nam mortuum Pachomium die nono Maii, et sequenti die sepultum, ex Actis ejus liquet, quae optimae notae sunt, et ab auctore aequali eorum temporum. obiisse enim dicitur die XIIII· mensis, qui Aegyptiis Παχων erat, cujus primus dies nobis est vicesimus sextus mensis Aprilis. (11)

Annus autem mortis ejus fuit CCCXXXXVIII· quum aetatis annum ageret LVII· secessus sui XXXV. praeclara ejusdem facta, et totam vitae rationem a Papebrochio explicatam invenies: (12) post quem Tillemontius quoque in rebus ejus gestis dalibandis utilem operam posuit. (13) Regulam vero Pachomii et praecepta ac monita, ipsasque epistolas mysteriorum plenas Hieronymo debemus, qui Latine reddidit Latinorum caussa, qui in Thebaidis coenobiis et in monasterio Metanoeae habitantes, Aegyptiacum Graecumque sermonem ignorabant.

V· Aedem Pachomio sacram in urbe regia non reperio. fuisse tamen ibidem monasterium Metanoeae, testatur Procopius, (14) quod a Iustiniano et Theodora conditum ea mente narrat, ut locus esset, quo se mulieres reciperent, quaecumque voluptates denique aversatae, ad bonam frugem redire vellent. *Διο ϗ Μετανοιαν*, inquit, *τȣτο δη των γυναικων το διαιτηριον ομονυμως τῳ εργω απωνομαζȣσι*. porro ibidem sancti Pachomii aedem sive *ευκτηριον* aliquod fuisse, prope affirmaverim: ratus appellationem *Metanoeae* a monasterio Canopi petitam, quod Pachomii monachi prope Alexandriam incolebant, de quo etiam in Concilio Chalcedonensi mentio fit. (15) *Οπερ προαςειον ανωθεν ϗ εκ παλαιας συνηθειας ετυγχανε προς αναπαυσιν των καταφυγων. ὁλον γαρ δοκει ὑπο την φυλακην τȣ ευαγȣς μοναςηριȣ των Ταβεννησιωτων*. sic nempe audiebant Pachomiani monachi

(9) de illustr· vir· c· 7·
(10) v· Tillem· T· VII· p· 692·
(11) Vit· PP· l· 1· c· 53·
(12) T· III· Maii a p· 287· et in App· pag· 25·
(13) T· 7· a p· 167·
(14) de aedif· l· 1· c· 9· *Idcirco et illud mulierum contubernium conveniente rei nomine Poenitentiam appellant*·
(15) Hard· Conc· T· II· p. 333· *Quod suburbanum ab initio et ex antiqua consuetudine ad confugientium quietem constitutum est*·

nachi a primario Tabennae monasterio prope Tentyra, quod Pachomius constituerat. pronum scilicet erat, unde nomen monasterii sumptum esset, inde tutoris quoque patrocinium adsciscere, ejus praesertim, qui et feminis religiosae vitae praecepta dederat. (16) rem ita esse, indicio etiam est mihi Theodorus Studites, qui carminibus suis plerosque omnes celebravit Patres, quorum alumni monasteria Constantinopoli habebant. nam cum illis et Pachomium sic idem laudibus prosequitur, (17) ut et indigenas monachos laudare voluisse videatur.

Τον Αβρααμ πως εκμιμȣμενος, μακαρ
Πολλων πατηρ γεγονας, ὢν χρυσȣν γενος.
Εξ αγγελȣ δε μυςαγωγιας φερων,
Τῳ σῳ λαῳ τεθεικας, ὡς Μωσης, νομȣς.

quos versus sic Latinos fecit Sirmondus:

Quondam Abrahami nobilem imitatus fidem,
Felix fuisti prolis aureae pater.
Te sacra postquam docuit arcana Angelus,
Leges dedisti, ceu novus Moses, tuis.

(16) Tillem. T. VI. p. 196. (17) n. LXXXI. ed. Sirm.

AD DIEM XI.
MENSIS MAII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΒ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΚΥΠΡΟΥ ΚΑΙ ΛΟΙΠΩΝ ΠΑΤΡΙΑΡΧΩΝ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠΘ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC, ΕΓΩ ΕΙΜΙ Η ΘΥΡΑ ✠ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ CΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Β, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)
ΑΛΛΟ ΤΗ ΑΥΤΗ ΗΜΓΡΑ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΟΘ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΠΡΟCΚΑΛΕCΑΜΕΝΟC Ο ΙΗCΟΥC ΤΟΥC ΜΑΘΗΤΑC ΑΥΤΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΝΟΕΜΒΡΙΩ Α, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Latini etiam hoc die Epiphanium honorant, ab ipsis Bedae temporibus, quocum et Kalendarium Neapolitanum consentit: ut hic

Digitized by Google

hic omnino apud omnes dies mortis habitus videatur. fama vero sanctitatis vivum mortuumque inclaruisse, et sepulcrum ejus prodigiis celebre fuisse, Sozomenus aetati illi suppar tradit: (1) qui et patriam habuit Salamin sive Constantiam Cypri, cui Epiphanius Archiepiscopus praefuerat usque ad annum CCCII. aut sequentis initium. (2) templi etiam, quod honori ejusdem discipuli ejus sacraverunt, mentio est in Concilio Nicaeno II. (3) Και γαρ ναον ανεθεμαντο εν τῃ Κυπριων νησῳ οἱ αυτȣ μαθηται, ονομασαντες αυτον τȣ αυτȣ πατρος. ϗ μετα πολλων εικονικων ςηλογραφιων ϗ αυτȣ εικονα εν τῳ ναῳ ανεθηκαν.

Porro fasti plerique omnes cum Epiphanio Germanum hodie jungunt Patriarcham Constantinopolitanum, qui obiit anno DCCXXX. id est decem ante annis, quam Kalendarium nostrum prodiisse putandum sit: unde liquet de Germani honoribus serius actum esse. quaeres autem, quorsum ea spectent, quae hic Epiphanii nomini subjecta vides, Και λοιπων Πατριαρχων, sive cur *Patriarcha* appelletur cum successoribus Epiphanius, quique post eum *sancti Patriarchae* habiti fuerint? enimvero Patriarchae Antiocheni hoc sibi juris esse contenderant, ut Cypri Episcopos consecrarent: de qua controversia in Concilio Ephesino actum est, factumque tum Decretum hujusmodi, (5) Εξȣσι το ανεπηρεαςον ϗ αβιαςον οἱ των ἁγιων Εκκλησιων των κατα την Κυπρον προεςωτες κατα τȣς κανονας των ὁσιων πατερων, ϗ την αρχαιαν συνηθειαν, δἰ ἑαυτων τας χειροτονιας των ευλαβεςατων Επισκοπων ποιȣμενοι. ex eo autem tempore Archiepiscopi Constantienses Αυτοκεφαλοι haberi coeperunt: multoque magis postquam in insula eorum Corpus Barnabae Apostoli inventum est: quippe Zenonis Aug. sanctione jus tum illis confirmatum est: Εξ ἧς προφασεως, inquit Theodorus Lector, (6) ϗ περιγεγονασι Κυπριοι, το Αυτοκεφαλον ειναι την κατα αυτȣς Μητροπολιν, ϗ με τελειν ὑπο Αντιοχειαν. atque hinc Patriarchae dici coeperunt, quo nomine saeculo sexto appellabantur Archiepiscopi Αυτοκεφαλοι, ut vere ad-

(1) Hist. Eccl. l. VII. c. 27.

(2) Vales. ad Socr. l. VI. c. 27.

(3) Act. VI. apud Hard. Conc. T. IIII. p. 393. *Etenim templum dedicaverunt in Cypriorum insula ejus discipuli, nominantes illud ejusdem vocabulo patris: et cum aliis multis insignibus picturis imaginem quoque ipsius in templo dedicaverunt.*

(4) Act. VII. ibid. V. 1. p. 1617.

(5) ibid. p. 1620. *Habebunt jus suum intactum et inviolatum qui sanctis in Cypro Ecclesiis praesunt, secundum canones sanctorum patrum et veterem consuetudinem, per seipsos ordinationes religiosissimorum Episcoporum facientes.*

(6) Hist. Eccl. l. II. n. 2. *Qua de caussa Cyprii obtinuerunt, ut metropolis ipsorum libera esset, ac sui juris, nec Antiochiae Sedi amplius subjacêret.*

adnotavit Valesius, (7) et quicumque Primates et Exarchi habebantur.

Iam post Epiphanium ad saeculum usque octavum totum, hos numerat Quienus Archiepiscopos Constantiae, (8) Sabinum I·, Troilum, Theodorum, Rheginum, Olympium I·, Sabinum II·, Anthemium, Olympium II·, Damianum, Sophronium, Hilarium, Arcadium I·, Sergium, Arcadium II·, Epiphanium II·, Ioannem I·, Georgium, Constantinum: e quibus tres priores *sanctissimi et orthodoxi* a Concilio Ephesino nominantur, (9) Sophronius in Fastos Graecorum relatus est, (10) Hilarius insulae totius cultu et veneratione clarus fuit, (11) Georgius demum dignus habitus, cui Synodus Nicaena II· Ioannem Damascenum conjungeret, acclamaretque, Ιωαννȣ ϗ Γεωργιȣ αιωνια ἡ μνημη, et quem singulari quoque ellogio Patres universi commendarent. (12) ceterum haec Patriarcharum Constantiensium commemoratio Kalendarii nostri tota propria est, nec alibi usquam se offert: de Epiphanio autem fuse egit Papebrochius, (13) et Acta ejus, quae germana non sunt, diligenter, ut solet, examinavit.

II· Quem hospitem aliquando acceperant Constantinopolitani, patronum deinde habere voluerunt, itaque in templo sancti Philemonis, de quo egimus ad diem XIIII· Decembris, sacrarium Epiphanio dedicarunt, quod *οικον* Menaea vocant: Τελειται δε ἡ αυτȣ Συναξις εν τῳ ἁγιωτατῳ αυτȣ οικῳ τω οντι ενδον τȣ ἁγιȣ Φιλημονος.

Erat quoque in regia urbe imago ejus insignis, cujus exemplum Petavius in fronte operum Epiphanii edendum curavit. ad caput scriptum est Ο ἁγιος Επιφανιος Κυπρȣ, infra vero titulum hujusmodi ille subjecit: *Hanc s. Epiphanii Episcopi Constantiae Cypri imaginem depinxit Ioannes Adolus Leucosiensis, haud indiligens pictor, ex pervetusto quodam exemplari, quod exstat in Constantinopolitano antiquissimo Monasterio Sula dicto: vulgo* τα ἑξ μαρμαρα, *id est sex marmora appellant. illud nunc Armeniis annuo imposito censu habitandum Tyrannus permittit: olim Patriarchium fuit.*

(7) ad Evagr· l· VI· c· 7· et alibi·
(8) Or· Chr· T· II· a p· 1045·
(9) Hard· Conc· T· I· p· 1617· et 1620·
(10) in Basil· ad diem VIIII· Decembr·
(11) Lusinian· in hist· gen· Cypr·
(12) Act· VI· apud Hard· T· III· p· 437·
(13) T· III· Maii a p· 36·

AD DIEM XIIII·

MENSIS MAII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΔ ΑΘΛΗCΙC ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟC ΙCΙΔΩΡΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠΛΗ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC, ΤΑΥΤΑ ΕΝΤΕΛΛΟΜΑΙ ΥΜΙΝ, ΙΝΑ ΑΓΑΠΑΤΕ ΑΛΛΗΛΟΥC (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ CΑ· ΤΗC ΕΒΔΟΜΑΔ· ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Isidori Martyris memoriam venerantur Latini idibus Maiis, itemque, ut Assemanus contendit, (1) nonis Februariis: eundem enim eo die cieri arbitratur, quamquam is quidem Alexandrinus dicitur, hodiernus vero ex insula Chio. geminum autem factum Isidorum putaverim, quod Alexandrini, quia Alexandria oriundus erat, (2) suum dicebant, Chii vero; quod apud eos martyrium fecerat, suum esse confirmabant.

Sub Decio lauream adeptus creditur, et Acta exstant Graeca Latinaque perantiqua, de quibus plura disserit Papebrochius. (3) at hic martyrium refert in annum CCLI· quum tamen in Actis scriptum sit, *Depositus est autem beatus Isidorus pridie idus Majas Gallo et Vlpiano Cos.* quos Consules suffectos anni CCL. Pagius esse contendit, (4) quique omnino sub Decio fuisse putandi sunt, non modo quia Acta sub Decio consummatum Isidori Martyrium tradunt, sed etiam quia c. ille Vibius Trebonianus Gallus, qui Decio successit, primo ipso Imperii anno, qui fuit CCLII· Dionysianae supputationis, jam *Consul iterum* appellatur. si enim Gallus extremis mensibus anni CCLI· uti mavult Papebrochius, et Consulatum et Imperium suscepisset, non bene in Actis Imperium Decii jam e vivis sublati cum Galli qui successit, Consulatu conjungeretur.

II· Aediculam in urbe regia Isidoro Martyri sacram aedificavit, conjunxitque templo Irenes, Marcianus Oeconomus magnae Ecclesiae, ante Marciani Aug. aevum: quamquam Nicetas Augusto ipsi opus adjudicat. (5) erat id templum in regione septima prope

pe

(1) Kal· Eccl· univ. T· VI· p· 343·
(2) In Menol· Basil·
(3) T· III· Maii a p· p· 445·
(4) in Proleg· ad Dissert· hypat· §. 8·
(5) in Manuele l· VII· n· 3·

pe mare, unde in Concilio Ephesino *Irene maritima* dictum est: (6) Εν τῃ ἁγιᾳ ταυτῃ Εκκλησιᾳ, Ειρηνῃ τῃ παραθαλασσιᾳ. sic autem totam aedificationem Marciano Oeconomo Menaea tribuunt: (7) Εδειματο δε ναον της ἁγιας Ειρηνης της προς θαλασσαν, επισυναψας αυτῳ τον ευκτηριον οικον τȣ ἁγιȣ Ισιδωρȣ. atque in hoc sacrarium sancti Martyris Reliquias aliquas idem intulit ab insula Chio asportatas, de qua Translatione fusius a Papebrochio actum est. (8)

III. Hic vero, quia de Irene nulla in Kalendario nostro fit usquam mentio, quaerere mihi liceat, unde templo id nominis datum esset. scio, in Menologio Basiliano, quod Constantinopoli confectum fuit, Irenas aliquot Martyres exhiberi: ac primum quidem cum Agape et Chionia die XXII. Decembris, et die III. Aprilis; nam unam eandemque utroque loco cieri puto: alteram ad diem XVI. Aprilis, quae non minus, quam prior illa, e Graecia erat: tertiam etiam, quae ad Paulli et Timothei tempora refertur, ad diem V. mensis Maii, de cujus patria nihil additur. at si cui ex his templum Constantinopoli dicatum fuisset, profecto nomen Irenes in Kalendario nostro legeremus. cur enim omitteretur, ipsa templi mole admonente, et silentium prope improbantibus Martyribus iis, quos ibidem conditos Kalendarium nostrum recenset ac celebrat? non levis igitur caussa est, quare nomen aliunde templo impositum arbitremur. bina porro Irenes templa Constantinopoli fuisse constat, quorum alterum *vetus*, alterum *novum* appellabatur. nam ut alias auctoritates mittam, Menaea ad diem XXII. mensis Ianuarii de sanctis Clemente et Agathangelo haec habent: Τελειται δε ἡ αυτων Συναξις εν τῃ ἁγιωτατῃ Εκκλησιᾳ της ἁγιας Ειρηνης παλαιας ϗ νεας. at qui de hisce templis loquuntur, satis ostendunt, ita Irenes templa dicta esse, quemadmodum alia *Sophiae* et *Anastasiae* nominata: quae appellationes ad D. N. Iesu Sapientiam et Resurrectionem, sive ad caelestem ejus doctrinam, et revocatum Catholicae professionis studium referebantur: ut *Pacis templa* pari modo illa fuisse dicenda sint, sive Christianae Concordiae monumenta, quae ab iis celebrarentur, qui unum atque idem et sentirent et vellent. certe adlatus modo Concilii Ephesini locus, qui ad novum templum pertinet, omnino quadrat. Socrates vero illud alterum designans, sic de Con-

O 2 stan-

(6) P. I. c. 17. n. 2. apud Hard. T. I. p. 1337.

(7) ad diem X. Ian. *Aedificavit autem templum sanctae Irenes, quod ad mare est, eique sacram aediculam sancti Isidori conjunxit.*

(8) ibid. p. 446.

stantino auctore scribit: (9) *Και εν ταυτῃ τῃ πολει δυο μεν οικοδομησας* Εκκλησιας, *μιαν επωνομασεν* Ειρηνην, *ἑτεραν δε την των* Αποϛολων *επωνυμον*. quam quidem aedem *της ἁγιας* Ειρηνης diceret, si eam ille honori sanctae Martyris dicatam condidisset.

Vnus est Procopius, qui de aede Pacis nova, quam Iustinianus refecit, scribens, Irenes Martyris templum dicit: (10) Επεκεινα *δε κατ'αυτο μαλιϛα τȣ κολπȣ ϛομα* Ειρηνης Μαρτυρος *ναος ιδρυται*. verum in re Christiana parum accuratum Procopium jam vidimus: (11) qui etiam ex vulgi opinione fortasse loquutus est. nam quod et Theophanes aedem eandem Irenes Martyris vocet, (12) id minus movet; quod ejus aetate inlatas jam Irenes alicujus Martyris Reliquias putare liceat, ut antea in Anastasiae Gregorianae templum Anastasiae Martyris Corpus translatum vidimus. (13) decessit enim Theophanes saeculo VIIII· postquam Kalendarium nostrum in lucem emissum fuerat.

(9) Hist· Eccl· l· 1· c· 16· *Eademque in urbe quum duo aedificasset templa, alterum Irenem, alterum ab ipsis, quibus dedicarat, Apostolorum appellavit*·

(10) de aedif· l· 1· c· 7· *Vlterius autem ad ipsum potissimum sinus ostium stat Irenes Martyris templum*·

(11) ad diem III· Sept· n· 2·

(12) In Chronogr· ad an· 25· Iustiniani·

(13) ad diem XXII· Dec·

A D D I E M XXI·

M E N S I S M A I I

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΑ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΒΑCΙΛΕΩΝ ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟΥ ΚΑΙ ΕΛΕΝΗC, ΚΑΙ ΕΙC ΤΟΝ ΑΓΙΟΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΝ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠΘ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ✠ Ο ΕΙCΕΡΧΟΜΕΝΟC ΔΙΑ ΤΗC ΘΥΡΑC ΕΙC ΤΗΝ ΑΥΛΗΝ κ· τ· λ·

I· Constantinum magnum vita defunctum esse, non hoc die; sed qui sequitur proximo, veteres diserte tradidere. Ετελευτησε *δε*, inquit Socrates, (1) *εν ὑπατιᾳ* Φιλικιανȣ *ϗ* Τατιανȣ *τῃ δευτερᾳ ϗ εικαδι τȣ* Μαΐȣ *μηνος*. et in Fastis Idatianis legimus ad annum CCCXXXVII· *His Cos. Constantinus Aug. ad caelestia regna ablatus est die* XI· *kal· Iunias*. Graeci tamen passim hodiernum diem memo-

(1) Hist· Eccl· l· 1· c· 40· *Obiit autem in consulatu Feliciani et Tatiani die* XXII· *mensis Maii*·

moriae ejus dicaverunt, quos et Kalendarii Neapolitani auctor sequutus est. Latini tantum aliquot Fasti, ut videre licet apud Sollierum, (2) diem ipsum mortis consignarunt; qui eo anno fuit a Paschate quinquagesimus, sive ipsa Pentecoste, ut Eusebius testatur. (3)

Iam in Eusebio ipso (4) legendus tibi extremus ille vitae actus, quum optimus Princeps, morbo ingruente, ratus supremum sibi diem adventare, Helenopolim adiit, et in templo Martyrum, postquam diu supplex admissorum veniam a Deo postularat, rite in Catechumenorum ordinem cooptatus est: mox in suburbanum Nicomediae profectus, Episcopis convocatis sacrum Baptisma magno amoris ardore petiit, summaque religione suscepit: idem suscepto ita laetatus est, ut candidis de more vestibus indutus, purpuram postea omnino rejecerit; multaque per eos dies de felicitate sua cum iis, qui eum adibant, et vicem ejus dolebant, multa de caelesti, cui inhiabat, vita praeclare loquutus, placido denique exitu ad Deum avolarit. de funere etiam plura apud eundem reperies, quod nempe in regia urbe, quum defuncti Corpus Nicomedia translatum esset, magnifico apparatu, et maxima omnium ordinum frequentia peractum est. (5)

Vt autem Romae nulla tum Constantino profani ritus celebritas, nulli veteris consuetudinis honores defuerunt; sic Constantinopoli apud Christianos potissimum in memoria ejus ornanda omnium prope studium enituit. (6) itaque dignus quoque habitus est, cui Caelestium honores tribuerentur: nec solum in urbe regia coli coeptus, ubi festum ejus quotannis hodierno die celebratum in Sophiae et Apostolorum templis atque in aede illi dicata prope Cisternam Mocisiam, Menaea tradunt; (7) sed etiam apud Graecos passim, atque apud alias quoque gentes. nam ut Papebrochius (8) et Tillemontius adnotarunt, (9) memoriam ejus anniversaria sollemnitate jamdiu coluerunt Aegyptii, Syri, Mosci, Bohemi, Angli, Siculi, Brutii: quibus Neapolitanos addendos esse, Kalendarium eorum testatur. nec vero tantum ei honorem a tot Ecclesiis immerito habitum esse, statuendum est, *cui*, ut ait ma-

(2) in Martyr. Usuard. ad diem 22. Maii.
(3) In v. Const. l. IIII. c. 64.
(4) de vit. Const. l. IIII. c. 61. 62. 63. 64.
(5) ibid. c. 66. 67.
(6) ibid. et apud Theodor. H. E. lib. 1. c. 69.
(7) v. Cang. CP. Chr. l. IIII. pag. 121. n. III. 34.
(8) T. v. Maii die 21 p. 14.
(9) Hist. des Emper. T. IIII. p. 371.

magnus Ambrosius (10) *licet Baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, et post se hereditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit*. quem propterea Sardicense Concilium *beatissimae memoriae* Imperatorem appellat, (11) Synodi aliae passim, et Patrum veterum primi summis laudibus prosequuti sunt. nisi quod Hieronymus non omnino Arianae labis immunem suspicari visus est, quum ait in Chronico, *Constantinus extremo vitae suae tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus, in Arianum dogma declinat*: quod tamen refutant Patres Concilii Ariminensis in epistola ad Constantium Aug. qui menti one Concilii Nicaeni injecta, de ipso Constantino scribunt, (12) *Quod tenens baptizatus ad quietem migravit*. praeterquamquod Eusebius ille Arianus quidem erat, sed pro Catholico se gerebat.

At nemo hactenus de magni Constant ini consiliis ea cogitare ausus est, quae nuper hesternus scriptor temere contumelioseque protulit in libello Chilonii edito, (14) cui titulum inscripsit hujusmodi, *Tentamen de doctrina publica Ecclesiae Graecae saeculo a Christo nato sexto vere Christiana*. nam praefatus alicubi, (15) id Constantino cordi fuisse, ut conciliatis inter se Episcopis, *universo Orbi Romano jugum a se posset imponi*, illud quoque affirmare non dubitavit, (16) eundem *nihil curasse, utrum Filius di ceretur similis Patri, an ὁμουσιος*: atque haec *ex ipsa Constantini Epistola fluere*, illa nempe, quam et Eusebius (17) et Socrates (18) et Theodoretus (19) tamquam egregium ejus erga Ecclesiam voluntatis testimonium ediderunt.

Atqui in illa potissimum religionis ejus studium elucet, in qua nihil sibi antiquius fuisse declarat, quam ut error aliquando tolleretur, et una omnium mens esset, una professio. sic quippe absentes Episcopos in exordio affatus est: (20) Πειραν λαβων εκ της των κοινων ευπραξιας, ὁση της θειας δυναμεως πεφυκε χαρις, τυτον προ παντων εκρινα ειναι μοι προσηκειν σκοπον, ὁπως παρα τοις μακαριω.

(10) de obitu Theod. n. 40.
(11) Hard. Conc. T. 1. p. 672.
(12) ibid. p. 915.
(13) v. Tillem. ibid. p. 267. et Lupium in Dissert. nuper Faventiae editis T. 1. p. 275.
(14) an. 1778. in Holsatia.
(15) pag. 7.
(16) pag. 9.
(17) in v. Const. l. III. a c. 17.
(18) H. E. l. 1. c. 9.
(19) H. E. l. c. 10.
(20) apud eosd. ibid. *Quum ex prospero reipublicae statu compertum haberem, quanta fuisset erga nos omnipotentis Dei benignitas, in hoc potissimum mihi elaborandum esse existimavi, ut a sanctissimis Ecclesiae populis una Fides, sincera caritas, et consona erga omnipotentem Deum religio servaretur*.

ριωτατοις της Καθολικης Εκκλησιας *πλητεσι* Πιςις *μια* ϗ *ειλικρινης αγαπη, ομογνωμων τε περι τον παγκρατη* Θεον *ευσεβειx τηρηται.* tum quid jam sentire quisque, quid profiteri deberet, sic admonuit: (21) Α*χρι τοσυτυ άπαντα της προσηκυσης τετυχηκεν εξετασεως, αχρις ὖ ἡ τῳ παντων εφορῳ* Θεῳ *αρεσκυσα γνωμη προς την της ενοτητος συμφωνιαν εις φως προηχθη, ώς μηδεν ετι προς διχονοιαν η πιςεως αμφισβητησιν ὑπολειπεσθαι.* eundem porro animum et in epistola ad Nicomedienses ostendit, universos hortatus, ut majorum doctrinam retinerent: (22) Ν*υν ὑμετερον εςιν, προς τον* Θεον *εκεινῃ τῃ πιςει βλεπειν, ἡ παντοτε* ϗ *γεγενησθαι συνεςησε,* ϗ *ειναι πρεπει.* similia agnoscere licet in ejusdem epistola ad Regem Saporem, (23) similia in aliis, quae exstant, ab eo scriptis vel epistolis vel orationibus: ut planum omnino sit ac manifestum, valde illum semper de Catholicae doctrinae puritate laborasse.

Locum sepulturae, Constantini unum eundemque veteres scriptores designant omnes, templum Apostolorum, quod Eusebius ea mente ab eo aedificatum scribit, (24) *ut corpus suum communem cum Apostolis appellationem post obitum sortiretur: quo scilicet precationum, quae in honorem Apostolorum ibi celebrandae erant, etiam mortuus particeps fieret.* sed illud obscurum, quid sibi velit Eusebius, haec subjiciens: Δ*ωδεκα δ'υν αυτοθι θηκας, ωσπερει ςηλας ἱερας, επι τιμῃ* ϗ *μνημῃ τυ των* Α*ποςολων εγειρας χορυ, μεσην ετιθει την ἑαυτυ αυτος λαρνακα, ἡς ἑκατερωθεν των* Α*ποςολων ανα ἑξ διεκειντο.* nam Chrysostomus Constantini tumulum in porticu diserte collocat: (25) Κ*αι γαρ* ϗ *ενταυθα* Κ*ωνςαντινον τον μεγαν μεγαλῃ τιμῃ τιμαν ενομισεν ὁ παις* Constantius, *ει τοις* Π*ροθυροις καταθοιτο τυ αλιεως·* ϗ *ὁπερ εισιν οἱ πυλωροι τοις βασιλευσιν εν τοις βασιλειοις, τυτο εν τῳ σηματι οἱ βασιλεις τοις αλιευσι.* quare illae quoque *θηκαι* Eusebii in porticu fŭisse putandae sunt, in quibus deinde alios Augustos et regiae urbis Patriarchas conditos esse crediderim,

(21) ibid. infra: *Cuncta convenienti examine eo usque discussa sunt, donec inspectori omnium Deo accepta sententia ad unitatis concentum proferretur in lucem: ita, ut nullus dissensioni, nullus controversiae de fide locus amplius relinquatur.*

(22) Theodor. l. 1. c. 20. *Vestrum nunc est, ea fide in Deum oculos mentis conjicere in qua vos semper fuisse constat, et esse decet.*

(23) apud eund. ibid. c. 25.

(24) ibid. l. IIII. c. 60. *Cum igitur duodecim illic copsas, quasi sacras quasdam columnas in honorem ac memoriam Apostolici collegii erexisset, suam ipsius arcom in medio constituit, quae senas utrinque Apostolorum capsas dispositos habebot.*

(25) Tom. x. p. 625. hom. 26. n. 5. in epist. 2. ad Corinth. *Nam & ibi quoque Constantinum magnum filius ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in piscatoris vestibulo conderet: quodque Imperatoribus sunt in aulis janitores, id in sepulcro piscatoribus sunt Impesatores.*

rim, quum Reliquiae Andreae et Timothei et Lucae in ipsum templum inlatae fuerint. quantus autem sepulcro Constantini honor habitus sit, paucis indicat Theodoretus, de statua simul ejus loquens, quae in porphyretica columna ante Palatium stabat: *Τα νυν*, inquit, (26) *περι την εκεινȣ θηκην ϗ τον ανδριάντα γινομενα βλεπων, πιςευσασθω τοις γεγραμμενοις ϗ τῳ φησαντι δεσποτῃ, Τȣς δοξαζοντας με δοξασω, ϗ οἱ εξȣθενȣντες με εξȣθενωθησονται.* quibus verbis satis refellitur Philostorgii Ariani accusatio, superstiosi cultus Constantinopolitanos insimulantis. (27)

II· Additur a Graecis hodie filio mater Helena, cujus memoriam Latini celebrant xv· kal· Septembres. virtutes ejus veterum scriptorum, qui res Christianas persequuti sunt, nemo non attigit. et manent adhuc Inscriptiones bene multae nomine ejus et laudibus insignes, quas simul referet Συλλογη Mariniana, quam omnes cupide expectamus. unam ex eruditissimi viri schedis hanc habeto, qualis Salerni legitur: nam minus bene alii ediderunt.

DOMINAE NOSTRAE FLAVIAE AVGVSTAE
HELENAE DIVI CONSTANTI CASTISSIMAE
CONIVGI PROCREATRICI DN CONSTANTINI
MAXIMI PIISSIMI AC VICTORIS AVGVSTI
AVIAE DOMINORVM NOSTRORVM
CONSTANTINI ET CONSTANTI BEATISSI
MORVM AC FELICIVM CAESARVM
ALBINIVS MAGNVS VC CORR LVCANIAE ET
BRITTIORVM STATVIT DEVOTVS EXCELLEN
TIAE PIETATIQVE EIVS

in aliis Helena appellatur *Piissima ac Venerabilis*, *Piissima et Clementissima*. defunctam autem eam censet Valesius, Sigonium sequutus, anno CCCXXVII· (28) peregre obiisse, et, ni fallor, in Palaestina, quo se anno superiore contulerat, affirmaverim: nam hoc et Theophanes tradere videtur, qui ad annum XXI· Constantini,

(26) Hist· Eccl· l· c· 34· *Qui ea videt, quae nunc ad ejus loculum & statuam geruntur, credat iis, quae scripta sunt, & Domino, qui dixit, Glorificantes me glorificabo, & qui me spernunt, ipsi spernentur·*

(27) Hist· Eccl· l· II· n· 17·

(28) ad vit· Const· l· III· c· 47·

tini, narrata Patriarchae Hierosolymorum morte; addit protinus, Κατ'αυτον τον καιρον ϗ ἡ μακαρια Ελεvη εκοιμηθη εν Κυριῳ. ceterum Eusebius nullum locum designavit, et haec solum de funere ejus adjecit: (*) Και το σκηνος δε της μακάριας ȣ της τυχȣσης ηξιȣτο σπȣδης· πλειςῃ γȣν δορυφορια επι την βασιλευȣσαν πολιν ανεκομιζετο. ευταυθοι δε ηριοις βασιλικοις απετιθετο. Romam porro esse, quam Eusebius vocat βασιλευȣσαν πολιν, eruditi contendunt, quod urbem sic appellare soleat. Theophanes tamen ibidem diserte ait: Εταφη δε εν τῳ ναῳ των ἁγιων Αποςολων εν Κονςαντινȣπολει: ac rursus, πρωτη δε εν αυτῳ εταφη ἡ μακαρια Ελενη μνημαις φαιδραις ϗ παννυχισι τιμηθεισα. nec de sepulturae loco dissentit Necephorus. qui, saltem biennio post Augustae mortem, Constantinopolim corpus translatum scribit: (29) quo cum facit auctor Catalogi sepulcrorum Augustorum, quae Constantinopoli visebantur. sic enim primum omnium enunciat: (30) Εν τῳ Ηρωῳ τȣ ἁγιȣ μεγαλȣ Κωνςαντινȣ εν πρωτοις κατ'ανατολας κειται ἡ λαρναξ τȣ ἁγιȣ Κωνςαντινȣ πορφυρα, εν ῃ αποκειται αυτος μετα της ἁγιας Ελενης ϗ μητρος αυτȣ. ceterum Cangius ex Andreae Danduli Chronico necdum edito refert, (31) anno M. CC. XII· quo sanctae Helenae corpus Venetias translatum dicitur, inventum id esse in monasterio, quod eidem dicatum erat. tum aliae Translationes feruntur, quarum cognoscendarum caussa legisse juverit, quae *de gloria Helenae postuma* perscripsit Ioannes Pinius, (32) et commentario subjecit, quo totam sanctissimae Augustae historiam complexus est. (33)

III· De sancto Eleutherio nulla hodie in Graecorum fastis injecta mentio. nec minus de eo silent Latini, uno excepto Ecclesiae Teatinae veteri Kalendario, in quo diserte ad diem XXI· Maii nomen *s. Eleutherii* non aliter, quam in nostro, simpliciter consignatum est: (34) quem propterea eundem esse crediderim, qui hodie Constantinopoli colebatur. nam venerabile illius corpus ad Teatinos ex urbe regia advectum videtur. Teate certe, quum diu latuisset, repertum constat anno M. D. LXXX. apud monasterium monachorum Caelestinorum, et a Caesare Busdrago Archiepisco-

 po,

(*) *Cadaver autem ipsius honore haudquaquam vulgari affectum fuit· nam cum ingenti satellitum numero in regiam urbem pervectum, ibidem in regali monumento depositum est·*

(29) l· VIII· c· 30·

(30) apud Cang· CP· Chr· l· IIII· p· 109· *In monumento sancti Constantini magni primus Orientem versus stat loculus porphyreticus ipsius Constantini, in quo ipse cum sancta Helena matre ejus quiescit·*

(31) ibid· p· 147· n· 17·

(32) T· III· Maii a p· 599·

(33) ibid· a p· 548·

(34) Nicolin· in hist· Teat· l· III· c· 2·

po, III. idus Aug. ejusdem anni, in aliud templum rite translatum esse. erat autem in loculo, ubi Reliquiae abditae primum fuerant, titulus in chartula scriptus hujusmodi, *Hic Corpus s. Eleutherii est depositum per Reginam Ioannam tempore fratris Petri Eremitae*. quae nota imperium designat Ioannis VI. Palaeologi: Ioanna enim Neapoli regnare coepit, anno M. CCC. XXXXII. primam siquidem hujus nominis Reginam in chartula cieri admittamus, quod veri plane simile est. Ioannes vero ille Andronici junioris filius patri successerat anno M. CCC. XXXXI. quibus temporibus Galli Italique Constantinopoli plurimum poterant. porro Petrum illum Eremitam successorem aliquem fuisse sanctissimi Patris Caelestinorum monachorum Petri Caelestini, qui Pontificatum maximum menses quinque diesque septem gessit anno M. CC. LXXXXIIII. non immerito statuemus, quum apud eosdem monachos sacrum illud pignus primo conditum videamus.

Iamvero Papebrochius, cui Kalendarium nostrum ignotum erat, haec tantum adnotare potuit: (35) *Quia*, inquit, *in veteri Teatinae Ecclesiae Kalendario ad diem* XXI. *Maii invenitur* s. Eleutherii *nomen absque alia gradus conditionisque explicatione, judicatum haud insulse fuit, ipsum esse, cujus Corpus antiquitus a Teatinis veneratum, tandemque in hanc translatum Ecclesiam denuo venerat in oblivionem*. nunc jam Kalendarii nostri indicio existimare licet, Teatinos, quum Reliquias illas primum nacti sunt, de die quoque festo a Constantinopolitanis edoctos fuisse, et hunc in fastos suos referendum curasse: tum haec etiam serius peracta esse, quam Papebrochius putabat, ratus Eleutherium indigenam fuisse; et Reginae Ioannae aevo non Constantinopoli, sed indidem ex uno in alium locum Reliquias honoris caussa translatas, et in monasterii templo compositas, unde rursum saeculo decimo sexto in splendidiorem sedem traductas diximus.

At quaerendum etiam est, quis Eleutherius ille fuerit, cui nullus uspiam titulus apponitur. binos autem hoc nomine memorat Martyres Menologium Basilianum, (36) quorum alter Persa, alter Byzantinus fuisse dicitur. contra in Kalendario nostro unus cietur hodiernus. quis porro non mecum sentiat, de Byzantino hodie memoriam agi? praesertim quum in urbe regia templum esset Eleutherio sacrum, quod civi potius dicatum, quam Persae Mar-

(35) T. V. Maii p. 43. die 21. M.

(36) ad diem XIII. Apr. & IIII. Aug.

Digitized by Google

Martyri fatendum est. ac templi quidem non Codinus modo meminit, (37) qui auctorem ejus facit Basilium Patricium Arcadii Aug. aequalem, sed etiam Theodorus Lector, (38) qui clericum templo illi addictum, Gennadio apud sanctum Martyrem accusante, subita morte perculsum narrat.

Is igitur Eleutherius hodie Constantinopoli cultus, qui in Menologio Basiliano fuisse dicitur εκ της πολεως Βυζαντιȣ επι της βασιλειας Μαξιμιανȣ: et Martyr occubuisse in proxima Bithynia apud Sangarium fluvium, quo Baptismatis suscipiendi caussa secesserat. Acta ejus edidit illustravitque Sollierus, (39) quae tamen nec antiqua nec satis probabilia videntur. disputat idem de templo Constantinopolitano, quod cum Papebrochio (40) contra Ianningi (41) et Tillemontii opinionem (42) Eleutherio Episcopo Illyricorum dicatum fuisse contendit. sed Menaeorum auctoritatibus nititur, quae a Kalendario nostro plurimum distant: quaeque fortasse hoc tantum evincunt, in illud idem antiquissimum templum illatas demum et Eleutherii Episcopi Reliquias, atque ex illo tempore festum ejusdem celebrari coeptum, quod sane alio die agebatur.

III. Hodierna Evangelii lectio duabus constat partibus, quae tamen ex eodem capite sumptae sunt, et in eodem argumento versantur, de bono pastore, et de ovibus, quae pastoris vocem agnoscunt. haec autem eo, ni fallor, trahebant, ut significarent, boni pastoris vice functum esse Constantinum, qui multis auctor fuit Christianae professionis amplectendae, summoque studio Christianorum concordiam fovit, pacem firmavit, iis in carorum numero habitis, qui veteri superstitione repudiata, sacris se nostris dedidissent.

Eadem certe ad Eleutherium pertinere non videntur, quem nulla praefectura inter Christianos ante martyrium esse functum, apparet. fortasse etiam in obsecrationibus tantum mentio ejus fiebat, totumque sacrum ad beatissimos Augustos referebatur, qnod serius quidem apud Graecos quoque obtinuisse, in comperto est: praescriptis ritibus, ut alii primario castu, alii secundario colerentur.

(37) p. 61. ex Orig. CP.
(38) Hist. Eccl. l. 1. n. 16.
(39) T. 1. Aug. p. 319.
(40) T. II. Apr. p. 528.
(41) T. 1. Iun. p. 395.
(42) Mem. Eccl. T. V. p. 25.

AD DIEM XXII.

MENSIS MAII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΒ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΒΑϹΙΛΕΙϹΚΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΛΟΙΠΩΝ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ Κ ΦΑΛΑΙΟΝ ΠϚ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙϹ ✠ ΙΔΟΥ ΕΓΩ ΑΠΟϹΤΕΛΛΩ ΥΜΑϹ ΩϹ ΠΡΟΒΑΤΑ ΕΜΜΕϹΩ ΛΥΚΩΝ κ. τ. λ.

I. Geminum Basiliscum Martyrem agnoscit Tillemontius, (1) alterum quidem militem patria Amasenum cum Eutropio et Cleonico, Comanis martyrio defunctum; alterum Comanorum Episcopum, martyrii palmam consequutum Nicomediae cum Luciano presbytero Antiocheno: quam sententiam Mazochius quoque amplexus est, non satis caussae Bollandianis (2) fuisse arbitratus, ut Palladii (3) auctoritatem rejicerent aperte docentis, Basiliscum, qui se Ioanni Chrysostomo jam morti proximo videndum obtulit, revera Episcopum fuisse. quod sane bis est ille testatus, bis Ioannem *fratrem* appellans: haec quippe Palladii verba sunt: *Κατ᾽αυτην δε την νυκτα παρεϛη αυτῳ ὁ τȣ τοπȣ εκεινȣ* Μαρτυς, *Βασιλισκος ονομα αυτȣ, ὃς μαρτυρει, Επισκοπος ων Κομανων, εν Νικομηδειᾳ, επι Μαξιμινȣ, αμα Λȣκιανῳ τῳ εν Βιθυνιᾳ πρεσβυτερῳ οντι Αντιοχειας, φησας, θαρσει, αδελφε Ιωαννη· αυριον γαρ ἁμα εσομεθα*. tum addit: *φασι δε, προειρηκει ϗ παραμενοντι πρεσβυτερῳ, ετοιμασον τον τοπον τῳ αδελφῳ Ιωαννῃ· ερχεται γαρ*. nec alia erat Graecorum opinio Porphyrogennetae temporibus, quum ab hoc appelletur Basiliscus *ὁ Κομανων Αρχιεπισκοπος, ὃς ϗ αυτος μαρτυριῳ ετελειωθη, μεθ᾽ȣ κατετεθη το λειψανον Ιωαννȣ τȣ Χρυσοϛομȣ*: (4) quin Episcopum item habet Georgius Alexandrinus in vita ejusdem Chrysostomi: qui multo ante scripsit. quamobrem postea Quienus ipse non immerito inter Comanorum Episcopos Basiliscum numeravit. (5) quum autem Acta

(1) Mem. Eccl. T. v. p. 736.

(2) T. 1. Mart. p. 236.

(3) Op. Chrys. T. XIII. p. 39. & 40. *Eadem vero nocte apparuit ei loci illius Martyr nomine Basiliscus, qui, Episcopus Comanorum quum esset, martyrium passus est Nicomediae in Bithynia, sub Maximino, una cum Luciano Presbytero Antiocheno, isque, macte, inquit, animo, frater Ioannes: crastina enim die una erimus. Praedixerat quoque, ut ajunt & ibi permanenti presbytero: para locum fratri Ioanni, venit enim.*

(4) de Themat. Imp. Or. et Occ. l. 1. Th. 2. sub fin. *Comanorum Archiepiscopus, idemque Martyr, quocum Ioannis Chrysostomi Reliquiae conditae fuerunt.*

(5) Or. Chr. T. 1. p. 447.

Acta satis antiqua et omnia Menologia doceant, Martyrem Comanis occubuisse Basiliscum cum commilitonibus suis, nec qui miles profeſsione esset, idem Episcopus quoque fuisse putandus sit; recte, opinor, binos eodem nomine Martyres exstitisse judicatum est, praesertim quum et alium martyrii socium, alium certaminis locum Episcopo adtributum a Palladio videamus.

II. At si duo Basilisci Martyres, subit altera quaestio, de quo nempe Kalendarium nostrum hodie meminisse putandum sit: nam in toto anni curriculo semel tantum Basiliscum exhibet, nec apposito distinguit, sed simplici appellatione ἁγιον vocat. hic vero facile adducor in eam sententiam, ut Episcopi memoriam agi censeam. veri enim perquam simile est, Constantinopolitanos Ioannis sui hospiti gratiam referre voluisse. fortasse etiam quum sacrum Chrysostomi Corpus, Comanis e Martyris templo avectum est, Reliquiae simul sancti Basilisci Constantinopolim translatae sunt, ne illi simul esse desinerent: ab eoque tempore nomen ejus in Fastos relatum, et propria hujus diei instituta sollemnitas Episcopi memoriae honorandae, quum die III. mensis Martii Basiliscus miles cum sociis Eutropio et Cleonico jam colatur.

Vnum est, quod opponere quis possit, in Kalendario nostro scriptum esse, Εις την μνημην τȣ ἁγιȣ Βασιλισκȣ ϗ των λοιπων, Palladium autem scribere, martyrium ab eo consummatum ἁμα Λȣκιανῳ, nec de alio socio addere quidquam; atque adeo των λοιπων societatem, quam Kalendarium indicat, a Palladio non prodi. quid tamen? mitto, Lucianum a Palladio, ob nominis ejus celebritatem, unum cieri potuisse, nec alios silentio praeteriri, quia nulli essent, sed quia minus fama noti haberentur: de sociis illis certiores nos facit Eusebius, (6) qui, narrato Petri Alexandrini exitu, quem Maximinus Aug. capite damnarat, sic ceterorum martyria persequitur: Συν αυτῳ δε ϗ των κατ' Αιγυπτον Επισκοπων αλλοι πλειȣς ταυτον ὑπομενȣσι· Λȣκιανος τε ανηρ τα παντα αριςος, βιῳ τε εγκρατης ϗ τοις ἱεροις μαθημασι συγκεκροτημενος, της κατ' Αντιοχειαν παροικιας πρεσβυτερος, αχθεις επι της Νικομηδεων πολεως, ενθα τηνικαυ-

(6) Hist. Eccl. l. VIII. c. 6. *Idem cum ipso perpessi sunt complures quoque alii Aegyptiorum Episcopi: sed & Lucianus Antiochenae Ecclesiae Presbyter, vir tum vitae continentia, tam sacrarum litterarum scientia conspicuus, perductus Nicomediam, in qua tunc civitate Maximinus morabatur, quum defensionem fidei illius, quam profitebatur, coram Praeside edidisset, conjectus in carcerem trucidatur. denique tot & tanta nobis mala brevi tempore intulit ille omnis virtutis inimicus Maximinus, ut haec persecutio multo acerbior nobis priore illa videretur.*

Digitized by Google

νικαυτα βασιλευς διατριβων ετυγχανε· παρασχων τε επι του αρχοντος την, ὑπερ ἡς προϊςατο, διδασκαλιας απολογιαν, δεσμωτηριῳ παραδοθεις κτιννυται. τοσαυτα δε τα εν βραχει τῳ μισοκαλῳ Μαξιμινῳ καθ' ἡμων συνεσκευαςο, ὡς του προτερου δοκειν πολλῳ χαλεπωτερον τουτον ἡμιν επεγηγερθαι διωγμον. vides, opinor, nec Luciano nec Basilisco martyrii socios defuiſſe: nam, ut dem, alio loco Petrum et Aegyptios Episcopos interfectos eſſe, quod tamen aperte non tradit Eusebius, Nicomediae tamen, qua in urbe a Diocletiani temporibus Imperatores verſari ſolebant, magnas Christianorum caedes patratas eſſe declarat, ut cum pari illo Martyrum plures alii lauream adepti videantur.

III. De aede in urbe regia Baſiliſco Martyri ſacra nihil mihi in comperto eſt. memorat quidem τον οικον του Βασιλισκου Theodorus Lector, (7) unde ait Aelurum cum ſupplicatione egreſſum eſſe; ſed domum Verinae Aug. fratris non obſcure deſignat, qui Baſiliſcus appellabatur.

(7) Hist. Eccl. l. 1. n. 30.

COM-

COMMENTARIORVM DIVRNORVM

LIBER X.

AD MENSEM IVNIVM

DIstinguunt hunc mensem festi dies decem : quorum quidam insignes habent titulos, et explanationem accuratam requirunt. sub finem vero sese etiam occasio offeret disserendi de Graecorum Latinorumque festis communibus : quam item libenter adripiemus, ne argumentum tractatione dignum diutius indictum reliquisse videamur.

AD DIEM IIII.

MENSIS IVNII

ΜΗΝΗ ΙΟΥΝΙΩ Δ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΗΤΡΟΦΑΝΟΥC ΠΑΤΡΙΑΡΧΟΥ ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩC
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠΘ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC, ΕΓΩ ΕΙΜΙ Η ΘΥΡΑ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ CΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Β, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Graeci passim diem hunc honori Metrophanis sacraverunt: quem Latini quoque, serius tamen, recepere. Neapolitani vero etiam die IIII. mensis Ianuarii memoriam in Kalendario suo celebrabant: sive quod eo die Reliquias ejus accepissent, sive quod templum ei in urbe sua eodem illo die dedicassent; quod ne Mazochius quidem dijudicavit.

Ini

Initium autem pontificatus Metrophanis cum Cupero (1) ducendum existimo ab anno cccxv. quum eum circa tempora Concilii Nicaeni decessisse constet, (2) eidemque anni x. pontificatus tribuantur ab auctore Chronici Alexandrini: (3) Της εν τῳ Βυζαντιῳ Εκκλησιας ἡγειται πρωτος Μητροφανης ετη ι. atque hunc cum eodem primum Byzantinorum Episcopum fuisse confirmo. vidit hoc Ianningus inprimis, (4) quem ceteri deinde, qui haec tractarunt, plerique omnes sequuti sunt. ejus jam sententiae Kalendarii quoque nostri testimonium accedit. esto enim, Synopsis illa Dorotheana, de qua superius meminimus, (5) Episcopos viginti duos ante Metrophanem Byzantinae Ecclesiae praefuisse tradat, et nomen etiam cujusque prodat, Andream Apostolum conditorem faciat, post hunc Stachyn, deinde Onesimum, quos Paullus Apostolus nominat, tum alios adnectat, qui et prodigiis inclaruerint: meras tamen fabulas obtrudi fatendum est, postquam ne unius quidem ex his nomen in Kalendario nostro consignatum videmus, in quo tot ejus urbis Episcopi cientur, quos certe nec Apostolorum propinquitas nec Paulli schola commendabat.

Idcirco etiam a Cave (6) dissentio, qui Synopsin illam tum confictam putavit, quum Ioannes Pontifex maximus, Iustini Aug. principatu, Constantinopolim adiit: quo tempore falsus ille Procopius, qui Latina Dorothei scripta Graece reddidisse dicitur, Synopsin primum prolatam ait a Constantinopolitanis, ut Patriarchae sui dignitatem tuerentur. nimirum si haec tum prodiisset, et fides scripto habita esset, Stachyos saltem et Onesimi nomina in Kalendarium subinde relata essent. duo enim saecula a Iustini aetate jam fluxerant, quum scriba huic operi manum admovit. quin tota fortasse controversia, quam Procopius exarsisse narrat inter Ioannem Pontificem maximum et Archiepiscopum Constantinopolitanum, cujus ne nomen quidem ciet, posterorum commentum est: neque a quoquam dubitatum, quin Episcopus Romanus in ipsa urbe regia primas ferre deberet. Marcellinus certe, qui Ioannis adventum attigit, (7) secunda illi omnia fuisse sic indicat: *Ioannes Romanae Ecclesiae Papa* LI. *anno a Petro Apostolorum Pontificumque Praesule* CCCCLXXV. *sessionis ejus, Theodorico rege pro Arianorum.*

suorum

(1) Hist. Chron. Patr. CP. n. 55.
(2) Gelas. Cyzic. Hist. Conc. Nic. l. II.
(3) p. 281.
(4) T. 1. Iun. a p. 384.
(5) ad diem xxx. Nov. n. 3.
(6) de script. Eccl. in Doroth. Synopsinum. 3.
(7) in Chron. ad an. 525.

ſuorum caeremoniis reparandis laborante , ſolus duntaxat Romanorum ſibimet deceſſorum , urbe digreſſus , Conſtantinopolim venit , miro honore ſuſceptus eſt . dexter dextrum Eccleſiae inſedit ſolium , diemque Domini noſtri Reſurrectionis plena voce Romanis precibus celebravit .

Eadem demum de cauſſa ne tres quidem illos ante Metrophanem Epiſcopos agnoſco , *Philadelphum* , *Eugenium* , *Rufinum* , quos facilis recepit Quienus (8) ex Simeonis Magiſtri Logothetae annalibus , quem ipſum Metaphraſtem eſſe , non bene credidit ; (9) ſane qui antiquos ſtudioſiſſime ſemper coluerunt , domeſticos non praetermiſiſſent Conſtantinopolitani , Epiſcopos praeſertim , et Eccleſiae parentes ſuae , quos vel eo nomine Faſtis dignos habuiſſent . ſi quid autem video , ipſa Patriarchae appellatio , quae Metrophani tribuitur , non anticipatione quadam honoris uſurpata hic eſt , ſed ad primum potius urbis Epiſcopum tamquam Patrem Patrum deſignandum . nam alios quandoque in Kalendario Archiepiſcopos ſolum appellatos vidimus , vel etiam Epiſcopos tantum , ut Paullum , (10) qui tertius a Metrophane fuit .

Dixi ſuperius , (11) Photianis auctoribus nova illa veterum Epiſcoporum nomina priſcis Byzantinis inaudita exſtitiſſe , eoque conſilio excogitata eſſe , ut non ſine cauſſa cum Eccleſia Romana de primatu contendere viderentur . nam praeterquamquod Andreas Πρωτοκλητος fuerat , ante etiam Byzantinae Eccleſiae fundamenta jeciſſe dictitabant , quam Petrus ſe Romam contuliſſet . porro a Photii temporibus ea nomina recepta eſſe , nos docet Menologium Baſilianum , in quo ad diem xxxI· Octobris legimus , (*) Ο ἁγιος Αποςολος Σταχυς Επισκοπος προχειριζεται τȣ Βυζαντιȣ παρα Ανδρεȣ τȣ ἁγιωτατȣ Αποςολȣ , κτισαντος Εκκλησιαν περαν εν Αγρυροπολει· εν ῳ ϗ συνηθροιζοντο Χριςιανοι , τον αριθμον δυσχιλιοι · ϗ διδασκων αυτȣς , εκρατησεν επι ετη δεκαεξ . ϗ εκοιμηθη εν ειρηνη . quae tamen omnia Euſebius et ceteri proximarum aetatum ſcriptores penitus ignorarunt .

Vt ut Acta Metrophanis obſcura ſunt , nec multa Ianningus e tenebris vindicare , in lucemque proferre potuit ; illud tamen in

(8) Or· Chr· T· I· p· 205·
(9) v· Cav· de Scr· Eccl· Tom· II. in Simeon·
(10) ad diem II· Sept·
(11) ad diem xxx· Nov· n· 3·
(*) *Sanctus Apoſtolus Stachys ab Andrea ſanctiſſimo Apoſtolo Epiſcopus Byzantii ordinatur , quum Eccleſiam Argyropoli aedificaſſet , in quam Chriſtianorum duo millia conveniebant , eoſque Stachys docebat . tenuit autem Epiſcopatum ad annos ſexdecim , & in pace obdormivit .*

comperto est, templum Constantinopoli stetisse honori ejus dicatum, quod Codinus ab ipso Constantino magno exstructum, ac deinde a Iustiniano restitutum affirmat. (12) tum Menaea festum ejus et in aede Sophiana, et in aede ipsius celebrari consuevisse docent, loco etiam indicato, ubi haec condita fuerat: Τελειται δε ἡ αυτȣ Συναξις εν τῃ ἁγιωτατῃ μεγαλῃ Εκκλησιᾳ· εν τῳ σεβασμιῳ αυτȣ οικῳ τῳ οντι πλησιον τȣ ἁγιȣ μεγαλομαρτυρος Ακακιȣ εν τῳ Επτασκαλῳ, id est ad sinum Ceratinum prope Navale, quod Νεωριον appellabant. (13)

(12) p. 62.

(13) v. Cang. CP. Chr. l. I. p. 56. n. 3. & 2.

AD DIEM V.

MENSIS IVNII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Ε ΕΙC ΤΗΝ ΛΙΤΗΝ ΤΟΥ ΚΑΜΠΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠΓ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕΝΕΒΗ Ο ΙΗCΟΥC ΕΙC ΠΛΟΙΟΝ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ CΕΠΤΕΜΒΡΙΩ ΚΕ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)
ΑΛΛΟ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ ΛΕΓΕΤΕ ΚΑΤΩ ΕΙC ΤΟ ΒΑΠΤΙCΜΑ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΚΓ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΠΡΟCΗΛΘΟΝ ΤΩ ΙΗCΟΥ ΟΙ ΜΑΘΗΤΑΙ ΑΥΤΟΥ, ΚΑΙ ΕΙΠΟΝ ΑΥΤΩ ✠ ΚΥΡΙΕ, ΔΙΔΑΞΟΝ κ. τ. λ.

I. Supplicationes anniversarias ob terrae motum bis jam in Kalendario nostro consignatas vidimus, ad diem xxv. Septembris, et ad diem xxvI. Octobris. at quorsum spectet hodierna, quae hic solum, nec usquam, quod sciam, alibi praescripta est, non reperio. nec sane Chronicon Paschale aut Chronographia Theophanis, nec Zonaras aut Cedrenus indicium mihi ullum hujus institutionis exhibuit. quia tamen nulla hodie calamitatis publicae mentio fit, ipsa anni tempestas argumento esse videtur, Supplicationem hodiernam frugum caussa esse institutam, ut numine implorato vastitatem ab agris depellerent. amissa enim messe, certa in tanto illo populo fames erat. porro Supplicationem hujusmodi in urbe regia habitam, ne pluviae agris nocerent, pulcre describit

bit Chrysostomus in egregia illa homilia de spectaculis: (1) Προ τριων, inquit, ἡμερων επομβρια ϗ ὑετος κατερρηγνυτο παντα παρασυρων, απ' αυτȣ τȣ ςοματος, ὡς ειπειν, την τραπεζαν ϗ γηπονων αφαρπαζων, ςαχυας κομωντας κατακλινων, τα αλλα παντα τῃ πλεονεξιᾳ της ὑγρας καταασπων ȣσιας. Λιτανειαι ϗ ἱκετηριαι, ϗ πασα ἡμων ἡ πολις ὡσπερ χειμαρρος επι τȣς τοπȣς των Αποςολων ετρεχε, ϗ συνηγορȣς ελαμβανομεν τον ἁγιον Πετρον ϗ τον μακαριον Ανδρεαν, την ξυνωριδα των Αποςολων, Παυλον ϗ Τιμοθεον. μετ'εκεινα της οργης λυθεισης, ϗ πελαγος περασαντες, ϗ κυματων κατατολμησαντες, επι τȣς κορυφαιȣς ετρεχομεν, τον Πετρον την κρηπιδα της πιςεως, τον Παυλον το σκευος της εκλογης, πανηγυριν επιτελȣντες πνευματικην, ϗ τȣς αθλȣς αυτων ανακηρυττοντες, τα τροπαια ϗ τας νικας τας κατα των δαιμονων.

Verum haec supplicatio, Aprili mense facta, indictiva fuerat et extra ordinem: quae contra in Kalendario enunciatur, stata et sollemnis erat, ut ceterae, pompa ad Campum sive Hebdomum procedente, ubi et sacrum fiebat. atque hic mos apud Latinos quoque jamdiu obtinebat, qui Graeco nomine recepto *Litanias* appellabant, (2) quarum saepe in libro Pontificali (3) fit mentio. quin et in Oriente ab Archelai Episcopi Mesopotamiae temporibus consuetudinem hanc fuisse Christianorum, docent nos in ipso initio Acta Disputationis Archelai et Manetis, quae Zacagnius edidit. captivi enim illi, quos Carrhas adducti Archelai ejusdem cura et Marcelli opibus sustentati sunt, vicem exponentes suam, veterem supplicandi ritum, de quo agimus, sic attigerunt: *Est autem nobis mos hujusmodi patrum nostrorum in nos traditione descendens, quique a nobis observatus est usque ad hunc diem*, (saeculo scilicet III.) *per annos singulos extra urbem egressi una cum conjugibus ac liberis, supplicamus soli et invisibili Deo, imbres ab eo satis nostris ac frugibus obsecrantes: quod quum tempore ac more solito celebraremus, immorantes jejunos vesper obtexit*. etc. quem quidem locum

Q 2 ab

(1) Oper. T. VI. pag. 273. B. *Ante tres dies irrumpente pluvia ingenti, atque omnia secum trahente, et ab ore, ut ita dicam, agricolarum mensam rapiente, comatas spicas dejiciente, ceteraque omnia per humidae materiae copiam devastante, litaniae & supplicationes, fuere, totaque civitas nostra quasi torrens ad loca Apostolorum currebat; advocatosque implorabamus sanctum Petrum & beatum Andream, par illud Apostolorum, Paullum item et Timotheum. post haec vero, quum ira sedata esset, audacter trajectis pelago fluctibusque, ad Corypheos accurrimus, Petrum fundamentum fidei et Paullum vas electionis, festum celebrantes spirituale, eorumque certamina praedicantes tropaea victoriasque contra daemones.*

(2) v. Libr. Pontif. in Pelag. n. 2.

(3) Ibid. in Honor. num. 4. in Adeodat. num. 5. etc.

ab iis maxime perlegi totum velim, qui Supplicationes, quas Ecclesia Catholica frequentat partim statas partim conceptivas, inventum appellant recentiorum aetatum, cui tota antiquitas refragetur. quamquam eosdem eo quoque nomine reprehendo, quod consuetudines Ecclesiae, si antiquae sint, probent; si paullo recentiores, improbent: quum utrasque, non aetas, sed Ecclesia ipsa, cujus est de his judicium, pari auctoritate tueatur.

II. Vidimus superius, post Supplicationem, quae in Campo fiebat xxv. die Septembris, adnotatum esse, *Εν δε τῳ ναῳ τȣ Θεολογȣ κατῳ*. enimvero aedem hic quoque aliquam designari, in qua hodie sacrum sollemne fieret, nemo, opinor inficietur. at illud primum investigandum est, cur adscriptum sit *εις το Βαπτισμα*. Latinorum veterum ritus fuit, ut qui baptizati essent, post annum, eodem illo die recurrente, quem *Pascha annotinum* appellabant, simul omnes, gratiarum Deo agendarum caussa, conventum in templo sollemnem celebrarent. haec nos perbene edocet Ivo Episcopus Carnotensis in libro *de Officiis Ecclesiasticis*, qui *Micrologus* vocitatur: nam capite LVI. haec habet: *Romani annotinum Pascha quasi anniversarium Pascha dicunt, quia antiquitus apud illos qui in priori Pascha baptizati erant, in sequenti anno eadem die ad Ecclesiam convenere, suaeque regenerationis anniversarium diem cum oblationibus sollemniter celebraverunt. sed quamvis hujusmodi anniversarius a paucis uspiam observetur, authentici tamen libri ipsum observari debere inveniunt, qui nobis Lectionem et Evangelium sub titulo Pascha annotini annuatim praescribunt*. porro in mentem venerat eodem fortasse spectare quod hic parum dilucide indicatur, putabamque idem valere *εις το Βαπτισμα* atque *εις την μνημην τȣ Βαπτισματος*. sed Kalendario veteri inspecto, quod e codice monasterii Grassensis descriptum erat, aliud omnino Evangelium apud Latinos eo die legi solitum animadverti: scriptum quippe inveni, *In Pascha annotina secundum Ioannem cap.* XXIII. *Erat homo ex Pharisaeis (usque) Vt omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam aeternam*. videbam etiam, in Kalendario nostro statum diem huic celebritati praescriptum, qui propterea Paschatis anniversarius haberi non posset. itaque de sollemni potius Baptismate formulam illam explicandam esse existimavi.

Scio quidem, perdiu apud Graecos obtinuisse, ut in Epiphania tantum et Paschate Baptisma palam administrarent: in quo a Latinis discrepabant, qui pro Epiphania Pentecosten, ut nunc quoque

Digitized by Google

que fit , celebritati illi destinarant. (4) nec Chrysostomi aetate quidquam immutatum erat : diserte enim homilia I. in Acta Apostolorum de Pentecoste ait, (5) Τινος ἑνεκεν ϗ ἡμεις ȣκ εν τῳ καιρῳ τȣτῳ βαπτιζομεν ; quibus verbis Latinae etiam Ecclesiae consuetudinem se agnoscere ostendit . Graecos tamen posteriores ceteris diebus , quos jam Baptismati destinatos servabant , Pentecosten addidisse , persuasum habeo . movet me quippe non parum Ioannis Moschi in suo illo Limone narratiuncula hujusmodi : (6) Εςι δε ϗ εν τη κομη Κεδρεβατοις , τη ȣση ὑπο την ενοριαν Οινοανδων (7) της πολεως , φοτισμα , ὁπερ εν τη πασχαλιᾳ ἑορτη της Αναςασεως , μονολιθον ον , αφ᾽ἑαυτȣ γεμιζεται αφνω , ϗ κρατει ἑως της Πεντηκοςης το ὑδωρ · ϗ αφνω μετα την Πηντηκοςην αφανες γινεται . scribebat autem Moschus saeculo septimo : quare mos ille apud Constantinopolitanos in usu esse potuit , ante quam Kalendarium nostrum conscriberetur .

His animadversis, alterutrum statuendum videtur , vel ad hunc diem adscriptum esse sollemnis Baptismi Evangelium , quod Pentecoste Majo extremo , aut Iunio ineunte mense celebretur ; vel sollemne Baptisma , ne vagus dies incertusque esset , huic demum diei adsignatum fuisse , eaque de caussa lectionem hic subjectam, quae festo diei conveniret . sumpta enim est ex Evangelii Lucae capite xI. in quo Dominus noster praeclaram illam formulam nobis dictavit , qua Patri omnipotenti supplicaremus : quam scilicet formulam Catechumeni ediscere , et ante Baptisma reddere debebant .

11I. Restat , ut de loco quaeramus , quem illud Κατω designet . sollemnibus Baptismi celebrandis insigne erat Constantinopoli Baptisterium prope templum Sophianum , idque vel ante Iustiniani Aug. exaedificationem amplissimum : quum ibidem Concilium a Nectario habitum fuerit , magno Patriarcharum Orientis et Episcoporum Asiae conventu . (8) hunc autem locum hic indicari ne credas : nam aedes Sophiana in media urbe erat, Campus contra ad mare . quia vero alias ea formula templum Ioannis Theologi

(4) v. comm. ad diem vI. Ian.

(5) Oper. T. vIII. p. 10. n. 6.

(6) apud Cotel. M. Eccl. Gr. T. 1I. p. 452. num. 172. *Est autem & in castello Cedrebatis, quod situm est sub finibus urbis Oenoandorum , Baptisterium , quod in Paschali Resurrectionis festo , quum uno lapide constet , ex se ipso impletur repente , duratque aqua usque ad Pentecostem , moxque transacta Pentecoste evanescit .*

(7) Hanc urbem in Lycia fuisse idem Moschus subinde tradit , quocum sentit Stephanus de *urbib.* v. Cellar. l. 11I. c. 4. n. 132.

(8) apud Hard. T. 1. Conc. p. 956.

gi in Campo situm notari vidimus, illud idem hic quoque significari quis putet: atque in eo peracta esse Baptismi sollemnia, simul atque Supplicatio Campi absoluta esset. certe aestate ingruente locum illic potius delectum, in qno Baptisma celebraretur, non est mirandum; tota enim illa regio aprica erat, ut perflatus admitteret, minusque aestuaret. neque lege ulla vetitum quis ostendat, ne Baptisma alibi, quam in Sophiano Baptisterio celebraretur. nam Trullana Synodus canone LVIII. hoc tantum cavit, ne domi fieret: (9) *Μηδαμως εν ευκτηριῳ οικῳ ενδον οικιας τυγχανοντι βαπτισμα επιτελεισθω. αλλ' οἱ μελλοντες αξιυσθαι τυ αχραντυ φωτισματος ταις καθολικαις προσερχεσθωσαν* Εκκλησιαις, *κ'ἀκεισε της δωρεας ταυτης απολαυετωσαν*.

Ceterum eodem in Campo, qui et *Hebdomus* dicebatur, templum aedificarat magnus Theodosius honori sancti Ioannis Baptistae, ut ad diem XXIII. Febr. dixi: quare vero propriora sentire videatur, qui in hoc potius celebratum Baptisma putet, tamquam in ejus sede, qui omnium Baptisteriorum praeses jamdiu habetur, et a Baptismo cognomen invenit. (10) nec illud Κατω refragatur, quum locum tantummodo infra Campum designet.

Erit tamen aliquis fortasse, qui illud Κατω ad scriptionem ipsam referendum existimet, nec aliam vocabuli vim esse, quam hanc, lectionem nempe, quae ob Baptisma eo die pronuncianda sit, infra inveniri. ceterum interpretationem hujusmodi repudiat verbum *λεγετε*, id est *λεγεται dicitur*, sive *recitandum est*, quae formula locum a loco distinguit: idque manifestius apparet ad diem XXV. Septembris, ubi *τῳ ναῳ τυ* Θεολογυ conjungitur. praeterquamquod nusquam alias in Kalendario usurpatur *το* Κατω, quum saepius tamen uni Evangelio aliud subjiciatur, unaque semper atque eadem ubique adhibita est formula, *Αλλο τῃ αυτῃ ἡμερᾳ*, quod tute recognoscere facile poteris.

AD

(9) ibid. T. III. p. 2684. *In aede oratoria, quae est intra domum, baptismus nequaquam peragatur; sed qui illuminatione ab omnibus sordibus aliena digni habendi sunt, ad catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur.*

(10) v. Paciaud. de cult. s. I. B. Diss. II. c. 2.

AD DIEM VI.

MENSIS IVNII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Ϛ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΗC ΑΓΙΑC ΜΑΜΕΛΕΧΘΗC
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΞΔ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΗΝ ΔΙΔΑCΚΩΝ Ο ΙΗCΟΥC ΕΝ ΜΙΑ ΤΩΝ CΥΝΑΓΩΓΩΝ (ΚΡΟΕΓΡΑΦΗ ΚΥΡ. Ι. ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. De sancta Martyre Mamelechtha actum superius paucis, (1) nec de illius aetate quidquam definitum a me est. sed Evodius Assemanus in Actis Martyrum Orientalium (2) martyrium ejus pertinere putat ad annum cccxxxxiiI. quippe de ipsa mentionem fieri arbitratur in historia martyrii sanctorum Narsetis Episcopi et Iosephi discipuli ejus, quam Chaldaice a Marutha Episcopo scriptam, ex codice Nitriensi Vaticano I. edidit, et Latine interpretatus est. (3) haec autem interpretationis verba sunt, post narratum aliorum martyrium: *Simili etiam exitu Christianam Fidem consecravere Abiatha, Hathes et Mamlacha virgines ex provincia Beth Garmaea, a Sapore Rege, quum forte eo in loco versarentur, supplicio affectae*. existimat scilicet Assemanus, *Mamlacham* hanc virginem plane ipsam esse Graecorum *Mamelchtham*, et *Mameltam* Latinorum. (4) enimvero in ejus sententiam libens concederem, si quae de sanctae virginis Mamlachae exitu referuntur, cum iis convenirent, quae in Menologio Basiliano legimus de Mamelchthae martyrio. sed discrimen in hoc haud leve deprehendimus. (5) primum enim nullas ei socias adscribi apparet: tum necis ejus auctores fiunt *οἱ* Ελληνες, non Rex Sapores, et genus mortis additur, quo extincta est sub ipsum Baptisma, nondum albis depositis: *Και απεκτειναν εν λιθοις ετι τα εμφωτια τȣ ἁγιȣ Βαπτισματος περιβεβλημενην*. denique aliud omnino tempus indicant, quae in fine narrantur de Episcopo, cui Rex Persarum indulserit, ut fano Dianae everso, templum exstrueret, et Mamelechthae Martyri

(1) ad diem v. Oct.
(2) Parte 1. p. 97.
(3) ibid. a p. 97.
(4) ibid. p. 102.

(5) ad diem v. Oct. *Lapidibusque obrutam interfecerunt, splendida etiamtum sacri baptismatis veste indutam.*

ri dedicaret: in quo etiam Martyris Reliquias composuisse ille dicitur.

II· Dies hic alter memoriae Martyris ejusdem dicatus non exiguum praebet argumentum, quare censeamus, Reliquias ejus Constantinopolim demum esse translatas, ejusque nomini aediculam aliquam aut templum in regia urbe consecratum fuisse. hic autem, ut diximus, (6) Translationis dies habendus esse videtur, quum ceteri Fasti nihil hodie de Mamelchtha habeant; iidem contra ad diem v. Octobris plerique meminerint. quamquam vel ipsa etiam aedis dedicatio satis caussae esse potuit, quare rursum hoc die festum ageretur: quemadmodum geminam ob id Cosmae et Damiani in regia urbe celebritatem fuisse, mox paullo ostendemus. sic Basilius Seleuciensis in altero libro, quem Protomartyris Theclae vitae subjecit, et Θαυματα appellavit, festum hujus apud urbem Dalisandum verno tempore celebratum ait, (7) quum alterius communis esset dies xxiii· mensis Septembris: ac tum nihilominus ipsam Martyrem Seleucia quotannis adeuntem incolae noctu vigilantes, ut idem testatur, videre solebant. idemque pari modo Tarsenses festum quoddam suum agere solitos scribit magni civis Pauli Apostoli, (8) quem item eo propterea ex urbe Roma ad cives carissimos, nec dubia adventus sui significatione, commeare, fama erat.

(6) ad diem v· Oct· n· 2·

(7) c· 10· p· 160· ed· Pantin·

(8) ibid· p· 160· 162·

AD DIEM XI.

MENSIS IVNII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΑ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ ΒΑΡΝΑΒΑ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠϚ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ CΥΓΚΑΛΕCΑΜΕΝΟC Ο ΙΗCΟΥC ΤΟΥC ΔΩΔΕΚΑ ΜΑΘΗΤΑC ΑΥΤΟΥ ✠ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ CΑΒΒΑΤΩ Ζ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Menologia jungunt hodie cum Barnaba Barptolemaeum: quem hic indictum praeteriri ne mirere. nondum enim Constantinopoli, quum Kalendarium nostrum scribebatur, aedes sancto illi

illi Apostolo, Reliquiis quibusdam inlatis, dicata fuerat; cujus conditor saeculo VIII. vertente fuit Iosephus Hymnographus, cultor ejus eximius: quemadmodum praeter Menaea (1) auctor quoque vitae sancti hujus Melodi testatum reliquit. (2)

Iamvero prima Barnabae facta Lucas ipse in Actis Apostolorum perscripsit: reliqua in tribus commentariis leguntur, qui non magnae auctoritatis habentur, quamquam ejus auctor, qui Ioannis Marci nomen praefert, multo ceteris antiquior est. habes autem singulos apud Papebrochium, (3) et ex omnibus summarium in Tillemontio. (4) ultimus egregiam operam navavit Mazochius, (5) rebus plerisque ad trutinam revocatis, quem legisse intersit. primum porro Cypri Archiepiscopum Barnabam facit Quienus, (6) quod is Ecclesiam illam creatis Episcopis instituerit, idemque martyrio quoque et sanguine suo consecraverit: unde inter Apostolicas numerata, atque Αυτοκεφαλος postea habita est. (7) nec de martyrio silent Acta, aut quae inde fluxerunt Menologiorum Elogia, in quibus dies item mortis passim hodiernus designatur. decessisse autem Barnabam censet Mazochius (8) anno Christiano LXXVI. qui fuit Actiacus CV. quem scilicet in Actis antiquioribus indicatum esse, erudite ingenioseque contendit. quum autem Menologia quoque et Menaea tradant, Barnabam in insula Cypro a Iudaeis simul et Graecis lapidatum esse atque igni traditum; quae quidem minus congruunt Theodori Lectoris verbis de Evangelio Matthaei επι ςηθους Barnabae invento, ut diximus ad diem XVI. Nov. corpore quippe igni tradito, cineres et ossa quae superfuerant, sine ulla corporis forma, condita esse fatendum sit: aliud contra Barnabae martyrium fuisse indicatur in *Libello Annali* sive *Kalendario Pugillari* Nicolai Alemanni necdum edito: pictus enim inibi est Barnabas cum securi, quam martyrii sui testem elata dextera ostentat; quod bene cum illa narratione componitur: sic enim sancti Martyris corpus humari integrum, et pectori ejus codex Evangelicus imponi potuit. porro libellus ille Alemanni adservatur in Bibliotheca Barberina cod. DCCCII. quem jamdiu a se descriptum Cajetanus Marinius, si forte usui esse posset, pervolvendum mihi humanissime communicavit. ipsum Pugillar e buxo

R esse

(1) ad diem III. Apr.
(2) apud Cajet. in v. ss. Sicul. Tom. II. pag. 48.
(3) T. II. Iun. a p. 421.
(4) Mem. Eccl. T. I. a p. 408.
(5) Kal. Neap. T. II. a p. 535.
(6) Or. Chr. T. II. p. 1043.
(7) v. comm. ad diem XII. Maii n. I.
(8) Ibid. a p. 570.

esse dicitur, tabellis picturatis, rudi tamen manu: in usumque Ecclesiae transalpinae confectum putatur sacculo Ecclesiae undecimo.

II. Vt diem hunc apud Cyprios antiquissimis temporibus memoriae Barnabae sacrum fuisse, Acta omnia testantur; sic ex quo sacrum Apostoli Corpus prope Constantiam repertum est cum Evangelii codice illo, quem Zeno Aug. Constantinopolim transtulit, (9) sensim Barnabae nomen in Fastos Graecos receptum crediderim. certe id maturius aliquanto relatum esse, quam Papebrochius putabat, Kalendarii nostri auctoritate comprobatur. nam ille non prius caelestium honoribus Barnabam apud Graecos cultum existimabat, quam apud Latinos, quos ante saeculum VIII. de illo meminisse vix credebat. quamquam huic quoque Papebrochii opinioni Sollierus (10) deinde refragatus est, his usus verbis. *Barnabas Apostolus in Hieronymianis apographis notus non est, utpote cujus memoriam sero admodum tam in Oriente, quam in Occidente sacris Fastis adscriptam observat Papebrochius, ipso Commentarii sui principio fere subdubitans, an quae ante tomum* II. *Martii in genuina Martyrologii Bedae editione, tamquam ipsius Bedae, verba nempe*, Barnabae Apostoli, *tradita sunt, vere Martyrologii istius, et non potius Flori censenda sint. ego vero Bedae esse existimo, hac inter alias ratione potissimum ductus, quod Rabanus, perpetuus Bedae descriptor, ipsissima illa verba hac die ponat, ne syllaba quidem aut ex Floro aut ex aliis adjuncta, ut perspicue intelligas, nullam ipsum Flori notitiam habuisse. itaque Barnabas primum a Beda in Fastis Christianis locum obtinuit, nisi antiquius sit Romanum parvum, quo etiam diserte memoratur.* quapropter ex ipso Beda nomen Barnabae sumere potuit, qui saeculo VIII. Kalendarium Neapolitanum saxo incidendum curavit.

Memoriae autem sancti hujus Apostoli in urbe regia celebratae indicium, ni fallor, primum in Kalendario nostro habemus: cujus sollemnia in templo Apostolorum peracta dixerim: neque enim aedem illi uspiam dicatam exstitisse novimus. nisi quod veri quoque simile est, festum ejus actum etiam esse in aede Protomartyris, quam in Palatio aedificarat Pulcheria Augusta; (11) quum in ea Evangelium Matthaei servaretur, quod Barnabae manu scriptum, et in hujus loculo inventum Zeno Aug. ab Anthemio

(9) v. comm. ad diem XVI. Nov. n. 2.

(10) ad Martyr. Vsuard. hoc die.

(11) Theoph. in Chronogr. ad an. 19. Theodos. jun. &c.

mio Archiepiscopo Constantiae acceperat. (12) illud demum extra controversiam est, apud Constantinopolitanos non Barptolemaeo Barnabam, uti Papebrochius putabat, (13) sed Barnabae Barptolemaeum additum in Fastis esse: quod non multo post factum credi possit, quum Menologium Basilianum hoc die utrumque memoret, et sepulcrum Barptolemaei in insula Lipare prodigiis illustre praedicet, unde Reliquias Beneventum translatas saeculo VIII. Sigebertus (14) aliique tradiderunt: ut ellogium illud ante scriptum videatur, quam Reliquiae ad Beneventanos pervenirent, saeculo nempe VIII. vertente, quo templum a Iosepho Hymnographo in regia urbe excitatum jam diximus.

Opponere hoc loco quis possit, in libello Ioannis Iejunatoris a Morino (15) edito, cui titulus est, *Ακολȣθια ϗ ταξις επι εξομολογȣμενων*, conceptis verbis mentionem illatam dierum festorum, quibus Apostoli duodecim colebantur: quos sane dies Poenitentibus esuriales non esse jubet: *Και των* IB *Αποςολων, ὁτȣ αν λαχῃ ονομα, ϗ ὁια κ'ἀν εςι ἡμερα, ειναι ακωλυτον εν βρωσει ϗ ποσει τον επιτιμωμενον*. (16) unde argumentum jure duci videtur, sub ipsum saeculi VII. initium celebratam Constantinopoli et Barptolemaei et aliorum Apostolorum memoriam, qui tamen in Kalendario nostro desiderantur. at mihi illud potius inde manifestum fit, libellum illum Ioannis, quem Morinus sumpsit e codice unico Altempsiano quingentorum annorum, aliquot additamentis auctum fuisse: quod ille idem aliis de caussis suspicatus erat, quas in praefatione exposuit. certe ne Latini quidem ipsi id aetatis singulos Apostolos nominatim honorabant. est ad manus Ioannis Frontonis Kalendarium hujus nostri aequale: in eo plures, quam in nostro desiderantur. nam nulla hic mentio est Barnabae, nulla Barptolemaei: desunt Iacobus, de quo nunc Iulio mense festum agimus, Thomas, Matthaeus, Simon, Thaddaeus, Matthias, Titus, Lucas, Marcus.

R 2 AD

(12) v. Mazoch. ibid. p. 537. et comm. nostr. ad diem XVI. Nov. porro ibidem p. 231. locum Papebrochii attulimus existimantis, Matthaei Evangelium primitus Hebraice editum esse: Barnabae vero exemplar ipso Matthaeo dictante Graeca lingua conscriptum fuisse. at nihil displicet eorum opinio, qui totum Novi Testamenti corpus lingua Hellenistica scriptum volunt; quam scilicet Apostolis & Evangelistis nativam ac vernaculam fuisse, cum Dominico Diodato facile admiserim. vide hujus dissertationem *De Christo Graece loquente*, quae Neapoli prodiit anno 1767. et quas huic opposuit Ioan. Bernardus Rossius Parmae edit. an. 1772.

(13) T. II. Iun. p. 421.

(14) In Chron. ad an. 832. Leo Ostiens. l. 1. c. 26.

(15) post comm. hist. de Poenit. pag. 77. ed. Antuer.

(16) ibid. p. 88. *Et duodecim Apostolorum cujuscumque nomen sortiatur, et qualiscumque sit dies, Poenitentia multatus liber esse debet in esu et potu.*

AD DIEM XIIII·

MENSIS IVNII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΔ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ
ΠΡΟΦΗΤΟΥ ΕΛΙCCΑΙΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΙΒ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕΘΑΥΜΑΖΟΝ ΟΙ ΟΧΛΟΙ ΕΠΙ
ΤΟΙC ΛΟΓΟΙC ΤΗC ΧΑΡΙΤΟC ΤΟΙC ΕΚΠΟΡΕΥΟΜ
ΕΝΟΙC ΕΚ ΤΟΥ CΤΟΜΑΤΟC ΤΟΥ ΙΗCΟΥ κ· τ· λ·

I· Sanctum Elisaeum hoc ipso die memorant Latini Fasti, Beda et auctore Martyrologii Romani parvi praeeuntibus: quamquam in aliquibus mentionem de eo fieri invenies IIII· kal· Sept. cujus discriminis caussa a Translatione Reliquiarum repetenda est, quam sane Molanus indicat.

Tantum autem Prophetam Chrysostomus in primis celebravit, qui et inter virginitatis amatores cum Elia et Ioanne recensuit. *Τι γαρ*, inquit, (1) *των Αγγελων απειχον, ειπε μοι, ὁ Ηλιας, ὁ Ηλισσαιος, ὁ Ιωαννης, ουτοι οἱ γνησιοι της παρθενιας ερασται; ουδεν αλλ' η ὁσον θνητη προσεδεδεντο φυσει*. et quae deinceps.

De Elisaei sepulcro meminere Paulla et Eustochium ad Marcellam suam Bethleemo scribentes, et loca singula enumerantes, quae simul visurae essent, ubi ad eas advenisset: *Ergo ne*, inquiunt, (2) *erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare . . . . . Samariam pergere, et Ioannis Baptistae, Elisaei quoque et Abdiae pariter cineres adorare?* tum Hieronymus ipse in praefatione commentariorum in Abdiam prophetam, eosdem simul jungit, de Abdia sic loquens: *Sepulcrumque ejus usque hodie cum Mausoleo Elisaei Prophetae et Baptistae Ioannis in Sebaste venerationi habetur, quae olim Samaria dicebatur*. de Translatione autem Corporis Elisaei prima, quum Alexandriam delatum est, mentionem in Theophane (3) factam reperies. de singulis demum fusius a Papebrochio actum (4) scias, cujus utique commentarium percurrisse juverit.

II· De

(1) Op· T· I· p· 331· n· 79· de Virginit· *Etenim qua re ab Angelis differebant Elias, Elisaeus, Ioannes, germani hi virginitatis amatores? nulla, nisi quod mortali natura erant obstricti*.

(2) apud Hieron· epist· 46· n· 12·

(3) in Chronogr· pag· 98· ad an· Leonis Aug· VII·

(4) T· II· Iun· a p· 784·

II. De sacris Elisaei Reliquiis particulam aliquam nactos esse Constantinopolitanos, prope certum habuit Papebrochius, quod in Synaxario Claromontano festum Elisaei sic consignatum fuerit: Τελειται δε ἡ αυτου Συναξις εν τῳ ἁγιωτατῳ αυτου Προφητειῳ. porro de aede hac Elisaeo dicata nihil Cangius. adnotavit, qui plures alias sanctis Prophetis sacras recensuit. (5)

Ad Evangelium quod attinet, ideo lectio praescripta est ex capite IIII. Lucae, quia in eo Dominus noster Iesus Elisaeum hisce verbis commemoravit: (6) Και πολλοι λεπροι ησαν επι Ελισσαιου του προφητου εν τῳ Ισραηλ· και ουδεις αυτων εκαθαρισθη, ει μη Νεεμαν ὁ Συρος.

(5) CP. Chr. l. IIII. c. 4.
(6) Luc. c. IIII. n. 27. *Et multi leprosi erant in Israel sub Elisaeo Propheta: et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.*

AD DIEM XVIII.

MENSIS IVNII

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΗ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΛΕΟΝΤΙΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΜΒ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC, ΟΥΔΕΝ CΥΓΚΕΚΑΛΥΜΜΕΝΟΝ ΕCΤΙΝ, Ο ΟΥΚ ΑΠΟΚΑΛΥΦΘΗCΕΤΕ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΟΚΤΟΒΡΙΩ ΚΕ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Graeci Latinique passim socios Leontio Martyri addunt Hypatium et Theodulum, quos ille ad Christianam professionem traduxerat. milites autem erant, et Tripoli in Phoenicia martyrium fecerunt sub Vespasiani principatu. Acta edidit et illustravit Henschenius. (1) clara vero Leontii in primis apud Tripolitanos memoria perdiu fuit: cujus memoriae insignem aedem dicaverant, quam Patres Concilii Constantinopolitani sub Mena celebrati appellant (2) προσκυνητον οικον του ἁγιου και καλλινικου Μαρτυρος Λεοντιου. ibidem postea monasterium quoque exstructum fuisse, testatur Metaphrastes in vita Euthymii: (3) et ante Metaphrastem Cassiodórius *Petrum Abbatem Tripolitanae provinciae* memoraverat.

(1) T. III. Iun. a pag. 553.
(2) apud Hard. Conc. T. II. p. 1287. *Venerandam aedem sancti invictique Martyris Leontii.*
(3) Cotel. M. E. Gr. T. II. p. 310.

rat. (4) aliud Leontii templum erat Damasci, quod a Iustiniano Aug. conditum tradit Procopius (5) nec alibi templa illi per Orientem defuisse existimandum est, quum eum Theodoretus inter clarissimos Martyres numeret, (6) quorum sollemnitates apud Christianos populari epulo celebrabantur: in quibus *αντι της παλαι πομπειας ϗ αισχρȣργιας ϗ αισχρορῥημοσυνης, σωφρονες ἑορταζονται πανηγυρεις, ȣ μεθην εχȣσαι ϗ κωμον ϗ γελωτα, αλλ' ὑμνȣς ϗ ἱερων λογιων ακροασιν, ϗ προσευχην αξιεπαινοις κοσμȣμενην δακρυοις.*

II. Pari autem studio Constantinopolitani Leontium coluisse videntur: binas enim aedes ei sacras fuisse in urbe regia, indicat Synaxarium illius Ecclesiae apud Henschenium: (7) *Τελειται δε ἡ αυτȣ Συναξις περαν εν τω Καμαριδιω, ϗ εν τω ευκτηριω οικω αυτȣ τω οντι εγγιςα της πορτης της πηγης.* sed de *Camaridio* nihil in promptu est: *portam fontis* facile est demonstrare: ea enim fuit, quae et *Aurea* dicebatur, prope quam erat, ut scribit Procopius, (8) *Πηγη αψοφητι βλυζȣσα γαληνον το ὑδωρ ϗ ποτιμον*: unde et templum proximum sanctae Genetricis Dei *ναον της Πηγης*, et *της ὑπεραγιας Θεοτοκȣ ναον εν τῃ Πηγῃ* nominabant, (9) quod Iustiniani opus fuit. (10)

(4) de div. lect. c. 8.

(5) de aedif. l. v. c. 6.

(6) serm. VIII. de Martyrib. in fine. *Pro illa veteri pompa, pro turpi obscoenitate ac impudentia fiunt modestae, castae ac temperantiae plenae festivitates, non illae quidem mero delibutae, non comissationibus leves, non cachinnis solutae, sed divinis canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentae, in quibus ad Deum preces non sine sanctis lacrimis ac suspiriis submittuntur.*

(7) ibid. p. 554. *Ejus autem Synaxis celebratur trans fretum in Camaridio, inque sacra ejus aede, quae sita est quam proxime portam fontis.*

(8) de aedif. l. I. c. 3. *Fons aquam pellucidam et haustu suavem sine strepitu emittens.*

(9) v. Cang. CP. Chr. lib. IIII. pag. 183.

(10) Codin. in Orig. p. 55.

AD DIEM XXIIII.

MENSIS IVNII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΔ ΕΙC ΤΟ ΓΕΝΕCΙΟΝ ΤΟΥ ΠΡΟΔΡΟΜΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Α

ΕΠΕΙΔΗΠΕΡ ΠΟΛΛΟΙ ΕΠΕΧΕΙΡΗCΑΝ ΑΝΑΤΑΞΑCΘΑΙ ΔΙΗΓΗCΙΝ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΠΕΠΛΗΡΩΦΟΡΙΜΕΝΩΝ ΕΝ ΗΜΙΝ ΠΡΑΓΜΑΤΩΝ κ. τ. λ.

I. Natalem Ioannis Baptistae ab antiquissimis temporibus Ecclesiae omnes communi consensu hodie celebrant: ut Kalendarium Car-

Carthaginiense, ut vetera Sacramentaria, ut Menologia omnia et Martyrologia declarant. nec repudianda Mazochii (1) opinio videtur existimantis, sollemnitatem hujusmodi ab ipso Ecclesiae exordio incohatam ad nos usque pervenisse. quod illi Augustinus tradere visus est, quum ait, (2) *Ex majorum traditione* eam esse susceptam: quippe hanc idem regulam nos docuit, ut quarum rerum per totum Christianum orbem diffusarum nullum usquam reperitur principium, eas ab Apostolica traditione procedere intelligamus.

De titulo ipso dici aliquid ex Grammaticorum placitis liceat. scriptum hic, ut ad diem vIII. mensis Septembris, EIC TO ΓΕΝΕCION. at vero Ammonius Grammaticus in libello *περι ὁμοιων ϗ διαφορων λεξεων*, quem in Thesauro Stefani reperies, eam appellationem diei Natali minus convenire scribit. *Γενεθλια*, inquit, *τασσεται επι των ζωντων, ϗ εν ῃ ἑκαςος ἡμερᾳ εγεννηθη, ἀυτη καλειται γενεθλιος ἡμερα. Γενεσια δε επι των τεθνηκοθων, εν ῃ ἑκαςος ἡμερᾳ τετελευτηκε· ὁ ȣν λεγων επι των ζωντων ακυρολογει*. (*) nec dissentit Hesychius, qui ait, *Γενεσια ἑορτη πενθιμος Αθηναιοις. οἱ δε, τα νεκυσια*. (**) has tamen Grammaticorum tricas habeto, quamdiu rem exemplis non confirmant. in Matthaei Evangelio cap. xIIII. n. 6. leges, *Γενεσιων δε αγομενων τȣ Ηρωδȣ*. idem in Marco occurret cap. vI. n. 21. quae diem Natalem viventis et regnantis Herodis designant. Suidas similiter non ad cujusquam mortem, sed ad ortum retulit: *Γενεσια ἡ δι' ενιαυτȣ επιφοιτωσα τȣ τεχθεντος μνημη*. (***)

Graeci non habent ante hunc diem *παραμονην* aut *παννυχιδα*: Latini contra, ut in Martyrologiis vetustissimis apparet, Vigiliam celebrabant, cujus et Gregorius Turonensis mentionem fecit: (3) tum praeter sacrum, quod in illa vigilia fiebat, duo alia in ipsa hodierna sollemnitate peragebantur. (4) ceteros autem ritus totamque Festi hujus historiam in praeclaro Papebrochii commentario reperies, (5) qui etiam reliqua sancti Praecursoris monumenta congessit eodem, ut uno in loco quidquid ad alias quoque ejusdem solle-

(1) in Kal. Neap. T. III. p. 714.

(2) Serm. 296.

(*) *Genethlia tribuuntur vivis, et dies, quo quis natus est, natalitius appellatur. Genesia autem de mortuis dicuntur, et is dies, quo quis decessit. quare Genesia qui vivis tribuit, is improprie loquitur.*

(**) *Genesia festum lugubre Atheniensibus. quidam mortualia esse ajunt.*

(***) *Genesia, quae quotannis redit geniti memoria.*

(3) Hist. l. x. c. 31.

(4) v. Georg. in Adone ad hunc diem, et Sacr. Gregor.

(5) T. IIII. Iun. a p. 587.

sollemnitates pertinet, simul ob oculos exhiberet. sunt vero et posteriores Paciaudi curae, qui volumen integrum idque etiam legi dignum, de cultu sancti Ioannis Baptistae perscripsit.

II· Numerum templorum, quae sancto Ioanni Constantinopolis sacraverat, indicavi superius ad diem VII· mensis Ianuarii. inter ea insigne admodum erat, quod Studius consul fecerat, monasterio adstructo, quod sanctissimorum monachorum fama clarissimum fuit; de quo Michaël Monachus in vita Theodori Studitae: (6) *Ουτος τοινυν ενταυθοι κατεσκηνωκως, ϗ παντα τα αυτȣ δια μεγεθος αρετης τῳ Θεῳ ανατεθεικως, ϗ τον περιφανη τȣτον σηκον τῳ μεγαλῳ Προδρομῳ ϗ Βαπτιςῃ ανιςα, μοναςων καταγωγιον αποταξας αυτον. εν ῳ δη ϗ ὡς εικος αλλοτε αλλοι των αποτασσομενων συνειλεγμενοι κατα καιρȣς, ϗ αρετης εργα ὁτι μαλιςα επιδεδειγμενοι ȣ διελιμπανον αλληλοις συνοντες.* locum autem designat Chronicon Paschale *πλησιον της χρυσης πορτας*, (7) quam superius memoravimus, intra urbem, ut ex Cedreno liquet. (8)

Evangelii eadem hodie lectio, quae apud nos, nisi quod Graeci ab ipso Lucae exordio incohant, quod a nobis omittitur usque ad n. LVII· unde nostra incipit; et de Zachariae cantico plusculum illi legunt, quam nos.

(6) apud Sirm· VIT· T· v· n· 29· *Hic, quum in hac urbe domicilium collocasset, et omnia sua bona ingenti excelsitate animi Deo consecrasset, praeclarum hoc templum magno Praecursori Baptistae posuit, monachorum deputans habitationi. et quidem nullo unquam tempore defuerunt, qui communem in eo vitam agentes, praeclara virtutis ac religionis suae argumenta darent.*

(7) in Heraclio p· 908·

(8) pag· 485·

AD DIEM XXVII·
MENSIS IVNII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΖ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΟϹΙΟΥ
ϹΑΜΨΩ ΠΡΕϹΒΥΤΕΡΟΥ ΚΑΙ ΞΕΝΟΔΟΧΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΝΑ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ, ΜΕ ΦΟΒΟΥ ΤΟ ΜΙΚΡΟΝ ΠΟΙΜΝΙΟΝ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ϹΑΒΒΑΤΩ ΤΗϹ Γ ΕΒΔΟΜΑΔ· ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Obiit pientissimus Sampson circa annum DXXX. (1) itaque primis Imperii Iustinianei temporibus floruit, id est multo serius, quam

quam Baronius arbitratus sit, (2) exemplum Chronici nescioquod Marcellini Comitis sequutus, in quo, domum Sampsonis hospitalem sub Anastasio Aug. absumptam incendio, tradebatur: quod in Sirmondi editione nusquam legitur.

Ex urbe Roma Sampsonem fuisse, et nobili genere natum, cujus majores cum Constantino magno cognatione devincti fuerint, scribit auctor Menologii Basiliani; qui et profusum ab eo in egenorum commoda patrimonium, atque iter Constantinopolim susceptum narrat, ut ibidem in sanctorum Prophetarum templis vitam degeret, obsecrationibus, et divinorum librorum lectioni intentus: Presbyterumque eum a Mena Patriarcha ob eximias virtutes esse factum: et exinde egenorum et aegrorum cura nunquam abjecta, Xenodochio etiam condito, multis omnino saluti fuisse, magnis quoque patratis miraculis; ac placido demum exitu in regia urbe compositum esse.

Nusquam vero patentiorem invenire campum magnus ille Sampsonis animus poterat, in quo excurreret, insignemque erga miseros liberalitatem et misericordiam exprometeret. quinquaginta illic millia egentium plebejorum aevo Chrysostomi numerabantur, quos idem divitum opulentia sustentari oportere contendebat: (3) *ποσος δε*, inquit, *αριθμος εςι πενητων; ȣκ οιμαι πλεον μυριαδων πεντε. τȣτȣς δη καθ'έκαςην ἡμεραν τρεφεσθαι, ποση αφθονια ην*; crevisse autem numerum credibile est, provincialibus ob incursiones barbarorum vertentibus solum, et regiam in urbem commeantibus: Gothi enim in primis post ea tempora Romanos fines saepe vastarunt.

II· De sepulcro sancti viri in eodem Menologio haec legas: *Το δε λειψανον αυτȣ ετεθη εν τῳ ναῳ τȣ ἁγιȣ Μαρτυρος Μωκιȣ*: unde salubres liquores manare, Synaxaria referunt, (4) *Καθ'έκαςην βρυον ιαματοφορα ναματα εις δοξαν ϗ αινον Χριςȣ τȣ Θεȣ ἡμων*. erat autem Mocii templum e praecipuis unum, antiquitate et magnitudine spectatissimum, de quo superius me egisse memini. (5)

Sed aliud quoque Constantinopoli exstabat Sampsonis monumentum, quo memoria ejus maxime commendabatur: Xenodochium scilicet ab ejus nomine appellatum, inter Sophiae templum et ae-

(1) v· Act· ss· T· v· Iun· p· 263·
(2) In adnot· ad Martyr· hoc die·
(3) Hom· xI· in Act· Ap· n· 3· T· xI· p· 93·
(4) ex Metaphrastae auctoritate, ut videre licet in Vita apud Bolland· T· v· Iun· p· 277· num· 23·
(5) ad diem xI· Maii n· 3·

dem Irenes situm; quod incendio quidem in seditione Victoriatorum deflagraverat, a Iustiniano tamen restitutum, et ampliato solo auctum ac locupletatum perdiu mansit. (6) ceterum primus Sampson, nec ne, Xenodochium illud constituerit, mihi in comperto non est: nam qui illum Presbyterum fecit Patriarcha Menas, idem ante pontificatum Xenodochio illi praefuisse dicitur. *Fuit iste Menas*, inquit Liberatus Diaconus, (7) *Praepositus Xenodochii majoris, quod vocatur Sampson*: itaque a Nicephoro (8) appellatur Ξενοδόχος τῶν Σαμψῶν.

Vel igitur operi huic manum admovit Sampson multo ante, quam Presbyter a Patriarcha crearetur, vel curam tantum domus illius suscepisse putandus est, postquam Menas ad Ecclesiam administrandam accesserat. nam ipsa quidem appellatio τῶν Σαμψῶν recentior esse potuit, et post mortem tantum usurpata, ad retinendam virtutum ejus memoriam, quae in eo potissimum loco enituerant; nec quia Ξενοδόχος cognominatus est, Domus hospitalis auctor proditur, quum ab hospitio, quod ibidem egenis quotidie atque aegrotis praebebat, eodem sensu quo Menas, Ξενοδόχος vere dici potuerit. ipsa demum Liberati verba, qui Domum illam *Xenodochium majus* appellat, antiquitatem aedificii significare videntur: quum ea fere majora nominari mos sit, quae prima fuere: tum etiam quia in illa vicinitate duo alia Xenodochia Iustinianus aedificavit, ob quae illi nomen *Majoris* haesisse dixerim. (9) ceterum Baërtius, Alemanni (10) judicium sequutus, erroris potius arguit (11) Metaphrasten atque adeo Menaea, quod Sampsonem a Mena Presbyterum creatum tradant: quum id tamen stare possit, siquidem Xenodochium illud antiquioris temporis opus habeamus.

Reliqua de vita et morte sanctissimi viri in Baërtii commentario et Actis Graecis reperies: quae a Metaphraste esse, erudita Verhovii praefatione ibidem ostenditur. (12)

AD

(6) Proc. de aedif. l. 1. c. 3.
(7) In Breviar. c. 21.
(8) In Patriarch. CP.
(9) Procop. ibid. c. 2.
(10) In not. ad c. III. Hist. Arcan. Proc.
(11) in Act. ss. T. v. Iun. p. 264.
(12) Ibid. a p. 261.

A D D I E M x x v i i I.

M E N S I S I V N I I

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΗ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ
ΜΑΡΤΥΡΟϹ ΑΒΒΑΚΥΡΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠϚ
ΤΟ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ϹΥΓΚΑΛΕϹΑΜΕΝΟϹ Ο ΙΗϹΟΥϹ
ΤΟΥϹ ΔΩΔΕΚΑ ΜΑΘΗΤΑϹ ΑΥΤΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ϹΑ.
Ζ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Quid Constantinopolitani spectarent, memoriam hodie iterum celebrantes Abbacyri sive Cyri Abbatis, cujus festum agebant quotannis die ultimo mensis Ianuarii, docet nos Menologium Basilianum, in quo ellogii hodierni lemma est, Η *Ευρεσις των Λειψανων των ἁγιων Μαρτυρων Κυρȣ ϗ Ιωαννȣ*. Reliquiae autem utriusque Martyris repertae dicuntur Alexandriae *επι Αρκαδιȣ βασιλεως ϗ Θεοφιλȣ Πατριαρχȣ Αλεξανδρειας*, quae et prodigiis ab eo tempore inclaruisse perhibentur: *μυρια θαυματα επιτελȣντα μεχρι της σημερον εις δοξαν Χριςȣ ϗ Θεȣ ἡμων, διὸν ϗ επαθον*. atque inde Inventionis orta sollemnitas: *ὧν την πανηγυριν ετησιως παντες οἱ πιςοι ἑορταζομεν*.

Quaeres vero, quaè caussa sit, cur in Kalendario nostro solus hodie Abbacyrus nominetur, quum in mense Ianuario eundem cum Ioanne martyrii socio commemoret? quemadmodum utrumque hodie etiam cient Menologia, et Fasti ipsi Slavorum atque Moscorum. (1) equidem omissum Ioannis nomen brevitatis caussa non dixerim, ut saepe in Kalendario suo factum, non semel animadvertit Mazochius. nam in hoc nostro, si quando nomina praetermittuntur, additum tamen videmus *ϗ των λοιπων* aut *ϗ των συν αυτῳ*: neque scriptor spatium habebat descriptum et loci angustiis arctatum, ut scalptor ille, qui Kalendarium Neapolitanum, definitis laterculis, in saxo incidit. ea igitur caussa mihi probabilior videtur, quod nempe Constantinopolitani de Cyri Reliquiis particulam aliquam nacti essent, de Ioannis cineribus non item. nam veteres et in templis dicandis et in Festis instituendis Reliquiarum rationem maxime habebant, quarum etiam cupidissimos Constantinopolitanos fuisse constat. fortasse autem eodem illi tempore

(1) apud Assem. Kal. un. T. vI. p. 448.

sacrum illud pignus habuerant, quo et corpora Martyrum Alexandriae inventa dicuntur. rem enim mihi quadantenus indicare videtur Chrysostomus homilia εις Μαρτυρας Αιγυπτιες, quamvis ne Cyrum quidem memorat, sed tantum Reliquias ex Aegypto adlatas. tempora certe bene conveniunt; nam ut sub Arcadii principatu reperta illa fuerunt, sic sub eodem Chrysostomus Ecclesiam Constantinopolitanam administravit. nec homilia alibi, quam Constantinopoli, habita videatur, si locum perpendas, ubi Chrysostomus ait, eas Reliquias regiae urbi pro munimento futuras, nec solum muri, sed etiam scopulorum instar: Και καθαπερ σκοπελοι τινες υψηλοι; quae Antiochiae in mediterraneis sitae nihil, at Constantinopoli, quae maxima ex parte mari adluebatur, apprime congruunt.

II. De templo, in quo cum Cyro Ioannes quoque colebatur, satis actum est superius. (2) Patres Concilii Nicaeni II. de imagine horum Martyrum meminere, quae etiamtum Alexandriae in Tetrapylo visebatur, de qua item addunt, ϗ παντοιας νοσυς εξιαται. (3) alia plura de his se emissuros Bollandiani spondent (4) in supplemento Ian.

(2) ad diem xxxI. Ian.
(3) apud Hard. Conc. T. IIII. p. 205.
(4) T. v. Iun. p. 333.

AD DIEM XXVIIII. MENSIS IVNII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΘ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΑΠΟΣΤΟΛΩΝ ΠΕΤΡΟΥ ΚΑΙ ΠΑΥΛΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΞϚ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕΛΘΩΝ Ο ΙΗCΟΥC ΕΙC ΤΑ ΜΕΡΗ ΚΑΙCΑΡΙΑC ΤΗC ΦΙΛΙΠΠΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΜΑΙΩ Α, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Etsi Pearsonii docti viri opinio fuit, (1) sanctissimos Apostolos Petrum et Paullum martyrio defunctos esse VIII. kal. Martias; vix tamen reperias, qui cum eo deinde senserint. nec sane valere illius auctoritas poterat adversus antiqua magno numero monumenta, in quibus utriusque Apostoli consignata memoria est III. *kal. Iulias*. sic enim enunciatur in vetustissimo Kalendario Bucheriano,

(1) in Ann. Cypr. ad an. 258. n. 2.

Digitized by Google

no, sic etiam in Karthaginiensi, ut ex vestigiis apparet; nam membrana ad eum diem vexata erat, ut haec tantum legerentur .... *Iul. sanctorum* ..... *Apostolorum*. adde his omnia Martyrologia et Sacramentaria Latinorum, adde Graecos cujusque generis Fastos, et Syros item et Moscos et Slavicos, qui miro omnes consensu diem hunc servaverunt: nisi quod alio etiam quidam eosdem Apostolos honorabant, ut de Ecclesia Hierosolymitana superius indicavimus, (2) quae festum agebat v. kal. Ianuarias; quidam contra festum ipsum geminabant, ut Neapolitani, qui Natalem Petri hodie, Paulli Natalem sequenti die celebrare solebant. (3) haec tanti sunt, ut communem Ecclesiarum opinionem hanc fuisse nos doceant, Apostolos hoc omnino die obiisse. neque enim, si alius dies mortis fuisset, hunc prae illo diem omnes optassent, quo martyrium eorum anniversaria sollemnitate honestarent.

Quid, quod in Consularibus Fastis diserte scriptum est, hoc eos die occubuisse? nam et in Cuspinianis, unde excerpta edidit Sollierus, (4) post Consulatum Neronis II. et Pisonis additur *His Consulibus passi sunt Petrus et Paullus Romae* III. *kal. Iul.* et in iis, quos vulgavit Ioan. Georgius Eccardus, (5) quamquam alii Consules designantur, Nero nempe et Vetus, subjectum tamen est, *Hit Consulibus passi sunt Petrus et Paullus* III. *kal. Iul.* mitto alia exempla, quae cum alibi multa, tum apud Lesleum reperire possis. (6) haec ipsa satis esse debent, ne a veteri opinione recedamus.

De anno major controversia est, quae definiri vix possit. nam veteres ipsi inter se dissentiunt, et alium alii annum adsignant. illa tamen sententia adhuc stat, quae Baronii et aliorum fuit, Apostolos lauream Martyrum adeptos anno Christiano LXVII. quam et Mazochius bonis argumentis firmavit: (7) huic proxima est, quae Tillemontio placuit (8) existimanti, martyrium Apostolorum pertinere ad annum LXVI. quas opiniones nuperrimi quoque scriptores examinarunt.

Ipsum denique festum ubique terrarum antiquissimum merito habeas. nam et in trium Augustorum lege *de feriis*, quam scilicet Valentinianus, Theodosius et Arcadius tulerunt, sic hodiernus dies

(2) ad diem XXVII. Dec.
(3) v. Mazoch. in Kal. T. III. p. 903.
(4) T. VII. Iun. P. II. p. 186.
(5) Hist. med. aev. T. 2.
(6) in not. ad Miss. Mozarab. p. 576.
(7) in Kal. Neap. T. III. p. 854. et 893.
(8) Mem. Eccl. T. 1. p. 529.

Digitized by Google

dies ceteris sollemnibus adnumeratur: *Dies etiam Natalis atque Epiphaniarum Christi, et quo tempore Commemoratio Apostolicae Passionis totius Christianitatis magistrae a cunctis jure celebratur, (in quibus etiam praedictis sanctissimis diebus neque spectaculorum copiam reseramus) in eadem observatione numeramus.*

Iam quae ad Acta pertinent sanctorum Apostolorum, quae item ad sepulcra eorum et omnis generis monumenta, in Henschenio velim (9) et Ianningo quaeras, (10) qui singula summo studio exquisivere, et amplissimis commentariis complexi sunt. nec postremas Mazochii curas negligere quisquam debet, qui Acta potissimum erudite illustravit: (11) aut qui horum omnium scripta ultimi strenue compilarunt.

II. Si urbes passim in Occidente atque Oriente Petri et Paulli memoriam veneratae, magna ubique templa honori eorum constituerunt; Constantinopolis in primis singulari studio eos coluit, nomenque eorundem, magnificentissimis templis dicatis, in pretio habuit. carebant quidem Constantinopolitani horum Reliquiis, quas semper Roma, tamquam clarissima tropaea custodivit ac sepsit: de quibus Cajus ille apud Eusebium (12) Zephyrini Pont. max. aequalis ajebat, Εγω δε τα τροπαια των Αποςολων εχω δειξαι· εαν γαρ θελησῃς απελθειν επι τον Βατικανον, η επι την οδον την Ωςιαν, ευρησεις τα Τροπαια των ταυτην ιδρυσαμενων την Εκκλησιαν. nec illi, quum postea a Gregorio magno aliquid dari sibi de sacris ossibus Paulli postulassent, cui Constantina Mauricii Aug. uxor aedem in Palatio aedificabat, impetrare quidquam potuerunt. (13) sed tamen Catenas Petri Herodianas servabant, de quibus egimus ad diem xvI. Ianuarii; tum in ipsa templorum multitudine magna ubique studii sui et pietatis incitamenta reperiebant: itaque publicam quoque supplicationem ad eorum templa quandoque indictam animadvertimus ad diem hujus mensis quintum: quae quidem, impetratis ab urbe sanctuariis, dedicata esse crediderim. haec enim Pontifices maximi Reliquiarum loco facile transmittebant. nomina demum ipsa ibidem in honore fuisse apparet, quum ea Chrysostomus (14) μεγαλα ονοματα appellet, iisque plures denominatos dicat.

Enim-

(9) T. v. Iun. a p. 398.
(10) T. vII. Iun. a p. 1.
(11) Ibid. a p. 779.
(12) Hist. Eccl. l. II. c. 25. *Ego vero Apostolorum tropaea possum ostendere. nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum, qui Ecclesiam istam fundaverunt.*
(13) Ioan. Diac. in Vit. Greg. l. III. c. 56.
(14) Hom. 52. in Act. Ap. n. 5. T. vIII. pag. 395.

Enimvero, ut templum Apostolis omnibus commune mittam, de quo saepe meminimus, Chrysostomi aevo jam templum habebant Petrus et Paullus ipsorum proprium, non illud quidem in veteri urbe, sed tamen in proximo trans fretum. sic enim ille designat in sermone, quem, ut vidimus, post supplicationem modo memoratam ad populum habuit: *Και πελαγος περασαντες, ϗ κυματων καταταλμησαντες, επι τους κορυφαιους ετρεχομεν, τον Πετρον την κρηπιδα της πιστεως, τον Παυλον το σκευος της εκλογης, πανηγυριν επιτελουντες πνευματικην*. octavo autem saeculo, quo Kalendarium nostrum jam manibus terebatur, aedes altera etiam stabat utrique Apostolo sacra ad Hormisdae aulam, quae Iustiniani privati domus fuerat: auctorque ejus idem Iustinianus Aug. fuit. *Πρωτα μεν*, inquit Procopius, (15) *Πετρῳ ϗ Παυλῳ νεων εδειματο παρα την βασιλεως αυλην, ἣ Ορμισδου το παλαιον επωνυμος ην, ενθα την οικιαν ειχεν αυτος προ του βασιλευσαι*. ipse autem Petrus proprias habebat aedes duas, quarum alteram *τον παλαιον Πετρον* dicebant, a Barsimiano Iustiniani temporibus exstructam, alteram *το Αποστολειον του ἁγιου ϗ κορυφαιου Πετρου*, de qua egimus ad diem xvI. Ianuarii: (16) ac praeterea tertiam sibi et Marco Evangelistae communem *πλησιον του κολπου του Κερατος*; (17) quamquam vix crediderim saeculo vIII. eam et Marco dicatam fuisse, quum in Kalendario nostro nulla de Marco mentio fiat. nam qui hanc memorat auctor anonymos historiae *de Depositione Vestis Marianae* a Combefisio editus, appellatione uti potuit, quae aetate sua in usu erat.

Nec minus aedes Paullo suae erant, quarum prima habenda ea est, in qua Chrysostomus, ut ad diem xv. mensis Septembris adnotavimus, aliquando concionatus esse dicitur. homilia enim illa, quam Gothis praesentibus pronunciavit, titulum praefert antiquum hujusmodi: *Του αυτου ὁμιλια λεχθεισα εν τῃ Εκκλησιᾳ τῃ επι Παυλον*. huic autem aedi cognominem alteram primum accessisse crediderim, quam a juniore Iustino in Orphanotrophio exstructam, et uni Paullo dicatam plerique tradunt, praeter Theophanem, qui et Petro tribuit. (18) tertia erat in Palatio, quam a Constantina Aug. conditam diximus, et ea ipsa esse videtur, quam Basilius Macedo refecisse, (19) magnisque sumptibus exornasse dicitur.

(15) de aedif. l. 1. c. 4.

(16) v. Cang. CP. Chr. l. IIII. pag. 115. et 16.

(17) apud Combef. Auct. T. II. p. 768.

(18) in Chronogr. ad an. vII. Iustini Iun. v. Cang. ibid. pag. 116. et comm. ad diem 14. Ian.

(19) Porphyrog. in Vit. c. 57.

tur : ceteras , quas enumerat Cangius , sequioris aevi esse duxerim , at non tamen et monasterium των ἁγιων Πετρου και Παυλου , cujus Abbas Paullus Concilio Menae subscripsit . (20) verum alio spectare puto alterum , quod Cangius ad Paullum refert , cujus Abbas appellatur Ηγουμενος της μονης Παυλινου : nomen quippe conditoris id esse arbitror proprium , non possessivum .

II. Quod reliquum est , ne illud quidem silentio praetermiserim , quod in Lectoris Theodori excerptis legimus , (21) sub Anastasio Aug. institutum esse , ut sanctorum Apostolorum sollemnia majori , quam olim fieret , celebritate in urbe regia peragerentur : quod Festo Senatore urbis Romae , qui ad Anastasium rei publicae caussa legatus fuerat , suadente atque hortante in consuetudinem venit . Επιτελουμενης δε και προτερον , inquit Theodorus , πλην εξ αιτησεως Φηστου , πολλω πλεον ηυξηθη της τοιαυτης το φαιδρον πανηγυρεως . legebant autem hodie Graeci ex Evangelio Matthaei , quae nos quoque legimus , ad Petrum unum spectantia , unde supremae illius in Ecclesiam universam auctoritatis argumenta maxime peti solent .

III. Die sequenti in Menologio Basiliano adscriptum est Η Συναξις των ἁγιων ΙΒ Αποστολων : atque idem in Sirletino erat ; sic enim titulus redditus est , *Celebritas omnium Apostolorum* . consentiunt Menaea et Fasti Ruthenici et Mosci apud Assemanum , (22) uno codice Slavico excepto , qui non secus , atque Kalendarium nostrum , nihil hoc die exhibet . porro liquet inde , sollemnitatem hujusmodi aevo posteriore esse receptam : quod factum crediderim a Concilii Nicaeni II. temporibus , pace Ecclesiae parta , quum jam Iconomachorum rabies deferbuisset . dixi autem receptam , non institutam esse : nam apud Latinos jam vetus erat et stata . habemus enim in Sacramentario Leoniano , post Natalem Petri et Paulli , precationis formulam , quae id doceat , luculentissimam : (23) *Omnipotens sempiterne Deus , qui nos omnium Apostolorum merita sub una tribuisti celebritate venerari , quaesumus ut celerem tuae propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris* . tum in Gelasiano aliae hujusmodi formulae occurrunt , (24) titulis quoque praefixis , *De Vigilia omnium Apostolorum* , *In Natali omnium Apostolorum* . Nec

(20) apud Hard. Conc. T. II. p. 1296.

(21) Hist. Eccl. l. II. n. 16. *Quamvis porro antea quoque celebrata fuisset ; deinceps post petitionem Festi longe majore splendore ea festivitas peracta est* .

(22) Kal. Eccl. un. T. VI. p. 452.

(23) num. XXI.

(24) lib. II. n. XXXIIII. et XXXV.

Nec tamen id novum, sacra illa sollemnia, quae a Latinis celebrarentur, Graecis placuisse; quemadmodum ne illud quidem rarum, quae a Graecis inventa prolataque fuissent, ab Ecclesia Romana probata atque adscita esse: ut neutrum, mea quidem sententia, in dubium, nisi temere atque injuria, vocari possit. exempla quippe in promptu sunt, quae utrumque confirment, nec diu mihi laborandum, quo plana res fiat.

V. Primum enim Graecos olim Latinis obsecundasse, tam Apostolorum XII. festo instituto, quam aucta Principis Apostolorum anniversaria celebritate, modo indicavimus. rursus diem Christi Natalem, totius Occidentis exemplo, VIII. kal. Ian. per Orientem Chrysostomi aevo agi coepisse, volumine superiore ad eum diem demonstravimus. si autem tempora paullo recentiora attingere velimus, in Menologio Basiliano festa Graecis jam communia inveniemus, quae primitus Latinorum tantum propria fuisse, ex Kalendarii nostri censu perspicuum est. nam ut Martyres omittamus illos insignes, quos illustris martyrii fama Orbi universo venerabiles fecit, ne Confessorum quidem, qui apud nos inclaruerant, nomina Graeci aut decretos honores detrectaverunt. nam Septembri mense Martinum Pontificem maximum, qui Monotheletas damnavit, recolunt clarisque Confessoribus adnumerant: Novembri vero Martinum Episcopum Turonensem et Gregorium Episcopum Agrigentinum aeque ac Latini honorant: Decembri quoque magnum Ambrosium, stato apud nos die, studiose venerantur. tum postridie kalendas Ian. Silvestrum Pontificem maximum cum laude memorant. occurrunt Februario mense clarissimi Pontifices Leo magnus et Agatho, Leo item Episcopus Catanae: Martio Gregorius magnus, Alexius Euphemiani Patricii Romani filius, Benedictus *Archimandrites Romae* appellatus. Caelestini Pontificis maximi, qui Ephesinum Concilium indixit, memoriam Aprili colunt. Majo mense Arsenium in urbe primo Diaconum, deinde in Aegypto Monachum, Iunio Sampsonem Romanum item civem celebratos reperias. Augustus demum duos alios refert, Liberium Pontificem maximum et Hosium Episcopum Cordubensem: in quibus illi nobiscum liberalius egerunt, quam optare fas esset. neque enim Hosium Latini coluisse usquam videntur: Liberii rara in Martyrologiis veteribus mentio est, nulla in recentioribus.

Haec satis, opinor, declarant, quaecumque tandem inter Grae-

cos Latinosque simultates exstiterint, Latinorum sollemnia apud eos in honore fuisse: Ecclesiaeque Romanae auctoritatem consensu quodam esse et imitatione comprobatam.

VI. Num vero Latini Graeca minus amarunt? imo et ipsi multa a Graecis mutuati sunt: quo nomine Gregorius magnus se olim a Siculis quibusdam notatum scribit, (25) velut si omnes Ecclesiae Constantinopolitanae consuetudines sequeretur: qua quidem de re ille se purgat, sed addit tamen haec: *Si quid vel ipsa, vel altera Ecclesia habet, ego et minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum*. porro de Hypapantes festo jam adnotavimus, sollemnem illum cereorum ritum, quem Ecclesia Romana retinet, facile a Graecis profectum esse: a quibus item Antiphonas duas, quae eo die, quum pompa procederet, canebantur, Gregorio magno auctore desumptas tradit Alemannus, (26) quarum altera incipiebat *Ave gratia plena*, altera *Adorna thalamum tuum Sion*. a Graecis etiam esse festum, quod nunc agimus kal. Nov. pro certo habeo. nam ut a Chrysostomi aetate celebrata Constantinopoli ostendimus (27) sollemnia *omnium totius Orbis Martyrum* Dominico die a Paschate octavo; sic duobus post saeculis idem apud nos festum per idem anni tempus actitatum reperio: quod deinde a Graecis etiam *omnium Sanctorum* appellatum, (28) apud nos kalendis Novembribus addictum est. illius quippe vestigia adhuc nec dubia manent: quotannis enim III. idus Majas memoria diei recolitur, quo Bonifacius IIII. Pontifex maximus Pantheo consecrato, comportatisque illuc plurimorum Martyrum Reliquiis, Graecam sollemnitatem Romae incohavit: quod ex Adone potissimum discere licet: ait enim, III. *idus Maii Natalis s. Mariae ad Martyres. Phoca Imperatore, beatus Bonifacius Papa in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, ablatis idolatriae sordibus, Ecclesiam beatae semper virginis Mariae et* OMNIVM MARTYRVM *dedicavit. cujus dedicationis sacratissima dies agitur Romae* III. *idus Maii*. formula vero precationis, qua nunc quoque utuntur, qui eo die in illo templo sacrum faciunt, rem pressius confirmat: neque enim usitata illa Dedicationis obsecratio fit, sed alia hujusmodi, quae Martyrum festum designat: *Concede quaesumus omnipotens Deus, ad eorum nos gaudia aeterna pertingere, de quorum nos virtute tribuis annua sollemnitate gaudere*. For-

(25) lib. VIIII. ep. 12.

(26) in comm. mss. ad Kalend. pugill. v. *Responsor. et Antiphon. s. Greg.*

(27) in coroll. vol. I. n. 2.

(28) v. vol. I. p. 14.

Fortasse vero eundem etiam diem conceptivum Bonifacius praescripserat, quem Graeci servabant: certo tamen rescire id non possumus, quum annum Panthei dedicati ignoremus: quod nihilo minus die Dominico, ut mos ferebat, consecratum esse putandum est. Papebrochius, (29) ut et diem Dominicum et diem xiii. mensis Maii adsignaret, Dedicationem peractam credidit anno dcxiii. at is annus non congruit, quo, Phoca, qui templo dedicato dona obtulisse dicitur, jam interfecto, Heraclius regnabat. Pagius contra annum dcvii. adtribuit (30) a quo non minus dissentio: nam, praeterquam quod mensis Majus, quo Dedicationis dies quotannis recolitur, alium annum requirit; quum Bonifacius hoc quidem anno, sed tamen extremo Augusto electus fuerit: illud quoque planum esse arbitror, intra quadrimestre spatium rem tantam ab eo minime perfici potuisse. nam a Phoca primum peti oportuit, ut fanum illud Ecclesiae concederet atque expiari pateretur: tum fanum ipsum purgandum remundandumque fuit, altaria construenda, loculi parandi, in quibus Reliquiae Martyrum componerentur. itaque annus mihi ejus Dedicationis statui melius posse videtur dcviii. quo anno dies Dominicus a Paschate octavus actus est viii. kal. Iun. quem utique diem conceptivum tamdiu Romae servatum crediderim, dum kal. Novembres eidem festo adtribuerentur: ex eoque tempore Dedicationis memoriam, quae primitus mense Maio vertente peracta fuerat, in iii. diem ante idus ejusdem mensis rejectam esse. Kalendarium sane, quod Allatius edidit, (31) perantiquum haec habet: iiii. *idus Majas Dedicatio s. Mariae ad Martyres. legitur Lectio cujus concurrentis hebdomadae, eo quod semper in die Dominico celebratur ipsa sollemnitas.*

Quod reliquum est, dies alios Graecorum festos nobis hodie communes esse, nemo ignorat. nec ii omnes a Baronii tantum aevo recepti sunt, quum ejus maxime cura Martyrologium Romanum auctum est. habemus germana Bedae latercula, quae jamtum praeter insignes Martyres non admodum exiguum Confessorum numerum e toto Oriente in Latinos Fastos transfusum ostendant. meminit enim idem Paulli primi Eremitae, Antonii Monachi, Gregorii Theologi, Athanasii Episcopi Alexandrini, s. Patris Pachomii, Gregorii Thaumaturgi. quid plura opus sunt, ut Romanam Eccle-

 siam

(29) in vit. s. Bonif. T. vI. Maii pag. 76.
(30) Crit. Bar. ad an. 607. n. 2. et 3.
(31) ad calcem libri de Domin. et Hebdom. Graec. ex cod. Vatic. 900. ann.

siam benevolo erga omnes animo semper ſuisse, et de sacris quoque Graecorum sollemnitatibus multa identidem delibasse statuamus? matrem nimirum haec semper se praebuit, et quot ubique virtute ac sanctitate venerabiles reperit, his tamquam filiis laetata est. neque enim vel lingua vel regio ulla quamvis barbara alienos ſacere poterat, quos sibi religio una atque una professio conjunxisset.

COM-

COMMENTARIORVM DIVRNORVM

LIBER XI·

AD MENSEM IVLIVM

FEsti hoc mense dies numerantur quindecim : rerum autem tractandarum mira varietas, ut modus adhibendus sit, ne oratio longius excurrat. nihil tamen ex iis omittemus, quae argumento cuilibet lucem afferre, et lectotis animum utilitate aliqua citra fastidium tenere possint.

AD DIEM I·

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΙΟΥΛΙΩ Α ΕΙΣ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΑΝΑΡ-
ΓΥΡΩΝ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΟΘ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΠΡΟΣΚΑΛΕΣΑΜΕΝΟΣ Ο ΙΗ-
ΣΟΥΣ ΤΟΥΣ ΜΑΘΗΤΑΣ ΑΥΤΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗ-
ΝΗ ΝΟΕΜΒΡΙΩ Α ΕΙΣ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΥΤΩΝ,
ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· In Menaeis hodie scriptum legimus, *Των ἁγιων ϗ θαυματȣργων Αναργυρων Κοσμα ϗ Δαμιανȣ των εν Ρωμῃ μαρτυρησαντων*. atqui jam ad diem I· Novembris ostensum est, unum tantum par fratrum Anargyrorum fuisse, Cosmam et Damianum Arabas, qui non alio nomine Romani haberi possunt, quam quia templum iis Ro-

Romae ad viam sacram antiquitus dedicatum est. tria autem illa paria, ut illic monuimus, tollit diei hujus clausula, qua praescriptum videmus, ut idem Evangelium legatur, quod adsignatum est ΕΙΣ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΥΤΩΝ.

Quae igitur ad eum diem de sanctis hisce Martyribus protulimus, ad hunc quoque pertinent: nisi quod quaerendum hic est, quae quondam geminatae sollemnitatis apud Constantinopolitanos caussa fuisse videatur. nihil autem mihi vero esse similius videtur, quam memoriam hodie recoli Dedicationis templi illius, quod in Basilisci aedibus a Iustino juniore et Sophia Augustis excitatum diximus. (1) suadet id Martyrologii Siculi titulus hodiernus e tabulis Ecclesiae Cephaloediensis, in quibus consignatur *Dedicatio Ecclesiae s. Cosmae*: quam Dedicationem, hoc die enunciatam, alibi etiam a se repertam esse testatur Sollierus. (2) nimirum Iustini junioris aevo Sicilia tota Graecis parebat, a Belisario jamdiu recepta, et Constantinopolitanas consuetudines paullatim amplectebatur: ut mirandum non sit, hanc quoque sollemnitatem in Siculorum fastos relatam esse, quum ad ea tempora pertineat, quibus Graecis Dominis famulandum erat, et gratam simul rem ac jucundam Principi se facere intelligebant, quem dedicati templi auctorem esse non ignorabant.

II. Sed tamen si quis malit haec de Dedicatione accipere, quae peracta sit Iustiniano ipso seniore Augusto, eamque ad templum pertinere censeat in suburbio situm, quod ille gratiae referendae caussa restituit, haud equidem repugnabo. Siciliam enim, in qua Dedicationis memoriam celebratam agnoscimus, ipse Iustini decessor Iustinianus imperio adjecerat. templi vero illius restitutio, si Procopio fides, (3) magnae omnino molitionis opus fuit, ut illud prope ab incohato refectum putare possis: itaque novae Dedicationi locum fuisse apparet. et quia sanctorum Anargyrorum praesenti ope valetudinem ille receperat, haec quoque accedebat caussa, cur optimi Principis conservatoribus honorem haberent ipsae provinciae, ne dum regia civitas, ejus scilicet templi Dedicatione in Fastos relata, quod Principis divinitus conservati monumentum erat.

AD

(1) ad diem 1. Nov. n. 2.

(2) T. 2. Iul. p. 5. in Praetermiss.

(3) de aedif. l. 1. c. 6.

AD DIEM II

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Β ΕΙC ΤΑ ΜΕΤΑΘΕCΙΑ ΤΗC CΟΡΟΥ ΒΛΑΧΕΡΝΩΝ

(ΖΗΤΗ ΕΙC ΤΗΝ ΚΔ ΜΑΡΤΙΟΥ ΕΙC ΤΗΝ ΠΑΝΝΥΧΙΔΑ ΤΟΥ ΕΥΑΓΓΕΛΙCΜΟΥ)

I. Festum hujus diei proprium in Menologiis Menaeisque sic ferme effertur, ἡ Καταθεσις της τιμιας Εσθητος της ὑπεραγιας Θεοτοκȣ, vel, ut est in codice ccxxiI. Barberino, τα Καταθεσια τȣ Μαφοριȣ της ἁγιας Θεοτοκȣ. nam hoc quoque nomine sacram illam Vestem designabant. quamquam Suidas το Κρηδεμνον explicans ait esse κεφαλοδεσμιον η Μαφοριον: ut *Maphorium*, quod et *Maphortium* dixerunt, vitta capitis aut certe capitis velamen fuisse videatur. historia exinde additur hujusmodi, Leone magno imperium administrante, viros quosdam patricio genere, eosque fratres, Galbium et Candidum, religionis caussa Hierosolymam profectos, quum in Palaestinam venissent, forte in anus Hebraeae domum, ad quam aegroti undique itabant, divertisse: illic, quum ejus rei caussam scitati essent, tandem edoctos esse, in illa domo Vestem sanctae Genetricis Dei adservari: itaque a domina postulasse, ut tantum thesaurum venerari sibi oscularique fas esset; utque admissi fuere, arcae illius formam atque magnitudinem callide studioseque esse contemplatos: tum Hierosolymam adeuntes, arcam huic persimilem clam sibi faciendam curasse, et ad anum reversos, simulato visendi studio, novam arcam supposuisse, et sacrum illud monumentum inde secum Constantinopolim asportasse. tota autem narratio ex anonymi Descriptione fluxit a Combefisio (1) vulgata, quam idem auctoris opus putat Heraclio Aug. aetate supparis, aut non multo recentius: alii vero diserte Georgio Metropolitae Nicomediensi aut Theodoro Presbytero et Syncello magnae Ecclesiae tribuerunt. (2)

Iam vero, qualiscumque ea historia sit, in qua mihi anus illa Hebraea parum placet, Festum illud Vestis Marianae exinde institutum plane ab eo diversum censeo, quod hodie in Kalendario no-

(1) In Auct. Bibl. PP. Tom. II. pag. 751. edit.

(2) v. Fabr. Bibl. Gr. T. VIII. p. 118.

Digitized by Google

nostro enunciatur: sacra enim Vestis in Blachernarum templum illata non fuerat, sed in alia aede servabatur, quam Leo et Verina Augusti dedita opera exstruxerant: haec enim verba sunt auctoris a Combefisio vulgati: (3) Θειον δε οικον ευθυς ῳκοδομησαν εν εκεινῳ τῳ τοπῳ τῳ αχραντῳ, της Θεοτοκου τουτον ονοματι μεγαλυναντες. Σορον τε εκ χρυσιου και αργυριου κατασκευασαντες, ἡ τις και νυν το ἁγιον εκεινο θησαυριζει μυστηριον, εν αυτῃ την θειαν Εσθητα κατεθεντο. quae sane de Templo Blachernarum intelligi non possunt, quod jam Pulcheria Aug. exaedificarat. rem eandem confirmat Nicephorus Callistus, qui de Leone Aug. ad quem sacrae illae exsuviae perlatae fuerant, sic scribit: (4) Ο δ' αρρητου πλησθεις ἡδονης, σφαιροειδη κατασκευασας νεων, ενθα συνεβαινε κρυπτεσθαι σεβασμιως, την θειαν και ἱεραν Σορον. κατετιθετο, ενθα νυν και ἡ τιμια Εσθης εστιν αστινης διατηρουμενη. tum paullo infra Leonis templum a Pulcheriano aperte distinguens; Λεων δη, inquit, ὁ μεγας τον Ετερον, την τιμιαν Εσθητα ταυτης· περιφανως αυτῳ καταθεμενος. idem porro esse videtur atque illud, quod Iustinianus Verinae Leonis uxori tribuit in sanctae Sophiae vicinia. (5)

II. Quid igitur in Kalendario nostro est Σορος των Βλαχερνων? equidem paucis respondeo, esse loculum ipsum, in quo sanctae Genetricis Dei corpus requieverat, jam inanem, nisi quod funebria in eo divinae Matris velamina inesse dicebantur. Translationis hujus historiam habes apud Nicephorum eundem, (6) cujus haec summa est. quaerentibus nempe Augustis Marciano et Pulcheria, quonam loco venerabile corpus sanctae Virginis Mariae requiesceret, edoctos eos esse a Iuvenali Archiepiscopo Hierosolymorum, qui Constantinopolim ob Chalcedonense Concilium advenerat, illud in terris nusquam inveniri, quod sanctissima illa anima resumpto corpore immortalem vitam in caelis viveret: at Hierosolymis esse ipsam Arcam, in qua corpus compositum olim fue-

(3) Ibid. p. 772. B. *Sacram autem aedem illico intacta illo in loco aedificarunt, Deiparae nomine insignitam. tum area ex auro argentoque parata, quae adhuc sanctum illud mysterium servat, in ea sacram Vestem condiderunt.*

(4) Hist. l. xv. c. 24. *Ille vero supra modum laetus, rotunda aede exstructa, ubi religiose condi posset, divinam illam arcam deposuit, in qua nunc etiam veneranda Vestis illaesa adservatur . . . . . . at Leo magnus templum alterum condidit, veneranda ejusdem Veste in eo deposita.*

(5) Novel. III. cap. 1.

(6) Ibid. l. xv. c. 14. at vide, quae Florentinius disserit de ipso sepulcro, in vetust. Martyrol. pag. 270. certe Theodorus Studites epist. xv. l. II. sanctam Gethsemanen memorat, *ubi*, inquit, *sepulcrum omni honore colendum Dominae nostrae Deiparae.* ἐφ' ἧ ὁ ταφος της πανσεβαστου δεσποινης ἡμων Θεοτοκου, in quo scilicet Arca illa sive ἁγια Σορος clausa fuerat.

Digitized by Google

fuerat, in eaque lintea, quibus involutum esset. his vero auditis, enixe a Iuvenali petiisse Augustos, ut eam ad se obsignatam transmitteret; ac Iuvenali studiis eorum obsequente, Constantinopolim perlatam esse, inque templo Blachernarum ab ipsis Augustis prope altare reconditum: *Οι κρατȣντες*, inquit, *την ἁγιαν εκεινην εδεοντο πεμπειν Σορον μετα των ἱερων εκεινων αμφιων, ασφαλως τη σφραγιδι ενσημηναμενον· ηδη ϗ προς Ιȣβεναλιȣ αποςαλεισαν εν τῳ παρ᾽αυτων οικοδομηθεντι μεγιςῳ νεῳ των Βλαχερνων, ὁσιαις κατεθεντο ταις χερσιν εγγιςα της ἱερας ϗ θειας τραπεζης, ετι τοις ζωσι κατειλεγμενȣ Μαρκιανȣ*. (*) atque idem de Mariana Veste haec subnectit: *Η γαρ τιμια Εσθης επι Λεοντος ȣ πολλῳ ὑςερον εκομιζετο· ἡ δε ϗ εν τῳ περιφερει ανετεθη νεῳ, ὁν Λεων ὁ μεγας εδειματο*: quae cum iis consentiunt: quae supra dicta sunt.

Habes institutae celebritatis originem, quae quamquam a Nicephoro parum antiquo scriptore traditur, absurdi tamen habet nihil, et ex antiquorum scriptis vulgata videri possit. nam alia est quaestio, falsus ne sit Iuvenalis, an ipse Augustis imposuerit, quod parum aequus suspicari visus est Tillemontius, (7) cui potior sententia erat, sanctam Genetricem Dei apud Ephesum obiisse, et illic humatam esse. de hac inferius ad diem xv. mensis Augusti dicendum erit. sed enim ne Arca illa quidem, quae a Iuvenali missa dicitur ad Augustos, commentitia eo nomine haberi potest, quod Mariae sepulcrum post Hieronymi tempora egestis, ut fertur, ruderibus detectum, in saxo excisum apparuerit. omnino enim admittendum est, corpora defunctorum in loculis ante composita, ut pollincta aromatis condirentur, tum in iisdem inlata esse in tumulum.

III. Insigne Blachernarum templum, de quo egimus ad diem xxvI. mensis Octobris, magnis laudibus extollit anonymus ille Combefisianus in historia Vestis Marianae, quam superius delibavimus: (8) *Τȣτων δε παντων των ανα πασαν την πολιν ναων τε ϗ ευκτηριων επι τῳ ονοματι της Θεοτοκȣ δοξαζομενων ϗ τιμομενων κεφαλη*

(*) *Principes petierunt, ut sancta illa cum sacris linteis ad se mitteretur, signis quam diligentissime obsignata. eandem mox a Iuvenali missam, quum aedem maximam in Blachernis aedificassent, sacris manibus prope divinam altaris mensam collocarunt, Marciano etiamtum superstite . . . . nam veneranda Vestis sub Leone non multo post adlata est: quae in aede rotunda reposita fuit, quam Leo magnus excitavit.*

(7) Mem. Eccl. T. I. p. 468.

(8) ibid. p. 753. *Ex hisce autem omnibus totius urbis templis sacrariisque, quotquot Deiparae nomini et honori dicata sunt, caput est quasique metropolis, insigne illud divinumque Blachernarum templum, cunctis amplius splendidiusque, non aliter, atque sol stellas, quae in caelo sunt, magnitudine et splendore superans.*

λη τις ωσπερ καθηςηκεν ϗ μητροπολις, ὁ εν Βλαχερναις αυτης ὑπερενδοξος ϗ θειος ναος, παντων ανεχων, παντων ὑπερλαμπων, καθαπερ παντως ανεχει ϗ ὑπερλαμπει των κατ᾽ ȣρανον αςερων ὁ ἡλιος.

Ceterum quae in hoc templo servarentur Virginis sanctissimae exsuviae, non bene omnes tenebant. nam auctor Menologii Basiliani putare se ostendit, ibidem et Vestem Marianam esse; de Galbio siquidem illo et Candido, qui sacrum pignus Hierosolymis attulerant, ait, (9) Και ηγαγον εις Κωνςαντινȣπολιν, αποθεμενοι εν τῳ προαςειῳ αυτων, Βλαχερναι λεγομενῳ· rursum de Iuvenali scribens, (10) de sepulcro non meminit, sed lintea tantum ab eo data tradit, quae τα ενταφια appellat: τοτε, inquit, ὁ μεν Βασιλευς αποςειλας ανελαβετο αυτα, ϗ απεθετο εν Βλαχερναις. quamobrem, obliterata facti memoria, contigisse puto, ut quae sollemnitas antea, ut est in Kalendario nostro, Μεταθεσια της Σορȣ των Βλαχερνων dicebatur, postea mutato titulo dicta sit ἡ Καταθεσις της τιμιας Εςητος της ὑπεραγιας Θεοτοκȣ: quae contra Nicephorus apte distinguens, et Kalendario nostro lucem affert, et narrationi suae fidem conciliat.

(9) ad hunc diem *Et Constantinopolim adlatam, in suburbio, quod Blachernas appellant, deposuerunt.*

(10) ad diem eundem n. 3. *Tum Imperator, quum ea petiisset, recepit, et in Blachernis collocavit.*

AD DIEM VII.

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Ζ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΕΥϹΤΑΘΙΟΥ, ΠΟΛΥΚΑΡΠΟΥ ΚΑΙ ΕΥΛΑΜΠΙΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΑ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙϹ, ΕΑΝ ΜΗ Ο ΚΟΚΚΟϹ ΤΟΥ ϹΙΤΟΥ ΠΕϹΩΝ ΕΙϹ ΓΗΝ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΕΙϹ ΤΗΝ ΚΓ ΤΟΥ ΦΕΒΡΟΥΑΡΙΟΥ ΜΗΝΟϹ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Nihil minus notum, quam horum historia Martyrum: nec Pinius, qui de his commentariolum scripsit, (1) vix aliud praeter nomina invenit, quae ipsa in Menaeis, quae vidit, singula hisce nostris non respondent. nam in illis pro *Eulampio* est *Evangelus*:

(1) T. II. Iul. p. 468.

gelus : qui rursum in codice Slavico Assemani (2) *Evagius* dicitur, et Martyr enunciatur *cum aliis* praeter Eustathium et Polycarpum, quibus tertius est additus. in Menologio autem Basiliano et in Sirletino omnes plane desiderantur. nec apud Latinos trigam hujusmodi reperias : solus quippe cietur Polycarpus pridie hujus diei in Kalendario Neapolitano, in quo saltem sociis indicandis locus erat. de eorundem autem martyrio haec e versiculis Menaeorum eliciebat Pinius, Eustathium igne necatum, reliquos ferro esse sublatos.

II. At mihi primus ille clarissimus potius Confessorum videtur Eustathius, Antiochiae magnae Archiepiscopus, quem Chrysostomus Martyrem etiam appellare non dubitat; (3) cujus et Reliquias aevo suo in Thracia fuisse, ubi Catholicae professionis caussa exsul decesserat, idem affirmat : *το μεν γαρ σωμα τȣ Μαρτυρος κειται εν Θρακῃ*. admonebat sane Constantinopolitanos ipsa vicinitas, ut memoriam ejus honorarent, quem Patrum primi summis laudibus commendarant. (4) vel, si serius de ejus honoribus cogitarunt, sub Zenone Aug. Festum institutum putaverim, quum sacri illius cineres *απο Φιλιππων*, ut Theodorus Lector testatur, Antiochiam denique translati sunt. (5) nec te dies moveat ab eo diversus, quem Menologium Basilianum designat. nam ut in hoc adtributum videmus diem XXII. mensis Augusti, sic in Menaeis adsignatum reperias diem XXI. Februarii, et apud Latinos diem XVI. Iulii : tum Antiochiae, indicante Chrysostomo, Festum ejus agebatur paullo ante solemnia sancti Romani Martyris, sive mense Novembri : (6) ut alii mortem Eustathii, alii initium pontificatus, alii diem exsilii, alii Inventionem Reliquiarum, alii Translationem spectasse videantur.

Polycarpus vero et Eulampius e sociis ejus esse potuerunt, quos simul in exsilium missos esse complures, auctor est Athanasius : (7) sic enim ille de Eustathio : *Και ευθυς εξοριςος αυτος τε γινεται, ϗ πολυς συν αυτῳ πρεσβυτερων ϗ διακονων αριθμος*. in Kalendario certe nulla martyrii nota est, et aliqua tamen societate conjunctos fuisse significatur.

V 2 III. In

(2) Kal. un. T. VI. p. 465.
(3) Oper. T. II. a p. 605. E.
(4) v. Baron. Martyr. ad diem XVI. Iul.
(5) Hist. Eccl. l. II. n. 2.
(6) v. Montfauc. Op. Chrys. T. II. p. 612.
(7) In Epist. ad solitar. T. I. pag. 812. edit. Par. 1627.

III· In Synaxario Claromontano adscriptum est, Τελειται δε η αυτων Συναξις εν Σεβωνια, vel ut alii legere, Σιμωνια aut Συμβυλοις. verum nullum ex hisce nominibus Cangio Bandurio ve cognitum esse video.

A D D I E M VIII·

M E N S I S I V L I I

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Η ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟC ΠΡΟΚΟΠΙΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΜΒ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΗΛΘΕ ΠΡΟC ΤΟΝ ΙΗCΟΥΝ ΟΧΛΟC ΕΚ ΤΩΝ ΜΑΘΗΤΩΝ ΑΥΤΟΥ, ΚΑΙ ΠΛΗΘΟC ΠΟΛΥ ΤΟΥ ΛΑΟΥ κ. τ. λ.

I. Non Graecia solum, sed oriens quoque atque occidens Procopii Martyris memoriam hodie celebrat, Caesareae in Palestina sub Diocletiano post primam confessionem occisi, quem Graeci sequiores Μεγαλομαρτυρα appellant. Acta ejus in Eusebio (1) habemus, unde antiquitus hausta, quae Valesius et Ruinartius Latina invenerunt, et quae Syriace scripta reperit Assemanus: (2) nisi potius censendum est, Eusebium quoque ex codice antiquiore res summatim delibasse: brevius enim de Procopio scripsit, quam ceteri. erat autem hic, ut in Latinis Actis legimus, *genere quidem Aeliensis* id est ab Hierosolymis, *conversatione autem vel habitatione Scythopolitanus: ibi Ecclesiae tria ministeria praebebat, unum in legendi officio, alterum in Syri interpretatione sermonis, et tertium adversus daemones manus impositione consummans.*

Ceterum quia ab Eusebio dicitur Πρωτος των επι Παλαιςινης Μαρτυρων, Graeci novatores subinde Ductorem ordinum fecerunt, et militaribus stipendiis clarissimum, longa historia conficta, quam apud Bollandianos pervolvere liceat. (3) inde orta opinio, quae duos Martyres Procopios statuat, a Ioanne Pinio rejecta, (4) qui unum esse Procopium ostendit, quamquam alii Lectorem, alii Ducem appellant.

II· Si

(1) de MM· Palaest· post lib·VII· Hist·Eccl·
(2) Kal· univ· T· VI· p· 467·
(3) T· II· Iul· a p· 556·
(4) ibid· p· 552·

Digitized by Google

II. Si Codino fides, quo saeculo Martyr occubuerat, eodem apud Constantinopolitanos Procopii memoria coli caepta; primumque ei templum Constantinus ipse dicavit εν τη Χελωνῃ, (5) in eo scilicet urbis tractu, quem a Testudine Χελωνην vocabant, in quo et Suidas (6) templum Procopii fuisse tradit. subinde Iustinianus eidem Martyri aliam aedem sacrasse videtur in Tauro, prope Vigilantiae sororis domum, unde τα Βιγλεντιας dicta est. fuit et alia, quam το Κονδυλιον nominabant, cujus appellationis originem Codinus hanc fuisse auctor est, (8) Δια το Κωνςαντινον τον πατερα Ιȣςινιανȣ τȣ Ρινοτμητȣ κονδυλισαι εκει τον ἱππον αυτȣ, ϗ ριψαι αυτον. at templum antiquius esse oportuit, et nomen ex facto serius inditum, postquam illic equus pugnis male habitus Pogonatum excusserat. Reliquias porro Martyris Scythopoli in Samaritide fuisse puto: templum certe illic fuisse, testatur Cyrillus Scythopolitanus in vita Sabae, in eoque sanctum hunc senem aliquamdiu mansisse: (9) Κατεμενεν εν τῳ εκεισε οικῳ τȣ ἁγιȣ Μαρτυρος Προκοπιȣ. nam οικον Graeci passim aedem sacram appellant, ut vel commentarios hosce nostros relegendo saepe deprehendes. fortasse etiam Cyrillus οικον dixit, quod eo vocabulo potissimum locus Reliquiarum designaretur: quippe ubi ossa essent, illic Martyr quodammodo habitare videbatur. nec sane raro οικȣς vocari videas eas maxime aedes, in quibus sepulcra Martyrum erant. sic Gregorius Nyssenus de templo agens, in quo s. Theodori Tironis Reliquiae erant, Οικον, inquit, (10) βλεπων ὡς Θεȣ ναον. sic Socrates, ubi Acacii Martyris templum memorat, οικον μεγιςον appellat. (11) sic Sozomenus de monumento Notariorum Martyrum ait, (12) adstructum illi fuisse ευκτηριον οικον. et alia hujusmodi.

III. Evangelii lectio e tribus Lucae capitibns petenda fuit, e sexto nempe et nono et decimo: quod eo consilio factum apparet, ut tribus locis conjunctis, in quibus Evangelista Dominum nostrum inducit aegros sanantem et malos daemones e corporibus ejicientem, tum Apostolis, ut eadem praestare possent, indulgentem, demum discipulos ab expeditione reduces accipientem et virtutem eorum nova potestate cumulantem, Martyris laudes repraesen-

(5) Codin. p. 39.
(6) v. Προκοπιος.
(7) Codin. p. 54.
(8) p. 46. *Quod Constantinus Iustiniani Rhinotmeti pater eo in loco ab equo, cui pugnum ingesserat, excussus esset.*

(9) apud Coteler. Mon. E. Gr. Tom. III. pag. 349.
(10) Orat. de s. Theod. T. II. pag. 1011. ad Morell.
(11) Hist. Eccl. l. VI. c. 23.
(12) Hist. Eccl. l. IIII. c. 3.

sentarent, paremque Apostolis miro illo in daemones imperio fuisse ostenderent: quemadmodum in Actis ejus germanis indicatum vidimus.

AD DIEM XI.

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΑ ΕΙC ΤΗΝ CΥΝΑΞΙΝ ΤΗC ΑΓΙΑC ΕΥΦΗΜΙΑC ΤΟΥ ΟΡΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΝΖ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕΙCΗΛΘΕΝ Ο ΙΗCΟΥC ΕΙC ΤΑ ΜΕΡΗ ΤΥΡΟΥ ΚΑΙ CΙΔΩΝΟC ✠ ΚΑΙ ΙΔΟΥ ΓΥΝΗ ΚΑΝΑΝΑΙΑ κ. τ. λ.

(ΑΛΛΟ ΤΗ ΑΥΤΗ ΗΜΕΡΑ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΟΔ)

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΗΡΩΤΑ ΤΙC ΤΩΝ ΦΑΡΙCΑΙΩΝ ΤΟΝ ΙΗCΟΥΝ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ CΕΠΤΕΜΒΡΙΩ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΑΥΤΗC, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ.)

I. Titulum Kalendarii nostri explicare perbene mihi videntur Patres Concilii Chalcedonensis in epistola ad sanctum Leonem Pontificem maximum, his usi verbis: (1) Θεος γαρ ην ὁ ενεργων, ϰ ἡ το συλλογον τῳ νυμφωνι ϛεφανϐσα καλλινικος Ευφημια· ἡ ὡσπερ οικιαν ὁμολογιαν, της πιϛεως παρ'ἡμων δεξαμενη τον ΟΡΟΝ, τῳ ἑαυτης νυμφιῳ δια τϐ ευσεβεϛατϐ βασιλεως ϰ της φιλοχριϛϐ βασιλιδος προσηγαγε, πασαν μεν των αντικειμενων ταραχην κατευνασασα, την δε της αληθειας, ὡς φιλην, ὁμολογιαν κρατυνασα, ϰ χειρι ϰ γλωττῃ ταις παντων ψηφοις επιψηφισασα προς αποδειξιν. hujus enim diei celebritate memoriam Graeci recolebant singularis prodigii, quod Chalcedone ad tumulum sanctissimae Martyris coram Patribus quartae Synodi oecumenicae contigisse ferebatur: quemadmodum in Menologio Basiliano describitur. nam catholicam doctrinam impugnantibus Eutychianis, nec sacro Concilio morem gerentibus, fama erat, Patres deliberando in eam sententiam venisse, ut aperto Martyris loculo, pectori ejus bina volumina imponerent, quo-

(1) apud Hard. Conc. T. II. p. 658. *Deus enim erat, qui operabatur, et quae suo thalamo concilium coronavit ornata decore victoriae Euphemia: quae tamquam propriam confessionem, fidei definitionem suscipiens a nobis, suo sponso per piissimum Imperatorem et amicam Christi Augustam obtulit: omnem quidem perturbationem contrariorum sedans, veritatis autem confessionem roborans, ut amicam, et manu ac lingua universorum decretis pro demonstratione subscribens.*

quorum alterum Catholicorum, alterum Haereticorum doctrinam contineret: ut quod illa probasset, ratum sanctumque haberetur: inlatis autem voluminibus, et arca clausa, quum sexto post die ad Martyris sepulcrum rediissent, ac rursum aperuissent, volumen Haereticorum sub pedibus ejus repertum esse, volumen contra Catholicorum in ejus manibus inventum. *Ευρον τον μεν των Αιρετικων τομον ὑπο τȣς ποδας αυτης κειμενον, τον δε των Ορθοδοξων εν τη χειρι κατεχομενον*. (*) haec facti summa est, de quo plerique Graecorum recentiorum meminere, quamquam non omnes eodem modo: (2) veterês silent, eosque inter Evagrius ipse, qui plura de Euphemia in historiam suam retulit, et Concilii Chalcedonensis Acta fusiori oratione complexus est. (3)

Porro historiam hanc totam repudiat Baronius, (4) cui absurdum visum est, Patres, veri deprehendendi caussa, ad miracula confugisse, qui sacros libros haberent et Ecclesiae Traditiones et Patrum veterum scripta. nec minus illa Stiltingo (5) displicuit, qui serius confictam putavit, caussa fingendi in Concilii verbis, quae retulimus, non inepte reperta, quod Patres professi sint, sanctae Martyris ope Concilium felici exitu esse absolutum. at si verba illa diligentius examinemus, facile, opinor, cuique appareat, insigne aliquid a Patribus praedicari, quod manifestum omnibus fuerit, et suffragium ejus certa significatione prodiderit. primum enim dicitur *ὥσπερ οικιαν ὁμολογιαν, της πιςεως παρ᾽ ἡμων δεξαμενη τον Ορον*, unde in Kalendario nostro appellatur *Ευφημια τȣ Ορȣ*: quae signum aliquod prolatum indicant, quo Patrum conventum in sede sua actum, corona veluti imposita, comprobarit: *το συλλεγον τῳ συμφωνι ςεφανȣσα*. tum illa, *την δε της αληθειας, ὡς φιλην, ὁμολογιαν κρατυνασα*, plus aliquid produnt, quam tacitum consensum favoremque ejus nulli cognitum, unde Patrum definitionibus robur accedere non constabat. nihil autem prodigii significationem magis praesefert, quam quod subsequitur, *ϰ χειρι ϰ γλωττη ταις παντων ψηφοις επιψηφισασα προς αποδειξιν*. quis enim merum in hisce verbis *τροπον* inesse contendat, et *manu ac lingua Concilio palam suffragatam esse* putet dici, quae voluntatis suae indicium dederit nullum, propitia tantum credita Patribus, et communis sententiae fau-

(*) *Invenerunt volumen haereticorum abjectum ad pedes ejus, volumen vero Orthodoxorum in manu retentum.*

(2) v. Tillem. Mem. Eccl. T. v. p. 409.

(3) Hist. Eccl. l. II. c. 3. 4. et 8.

(4) in Ann. ad an. 451. §. 12.

(5) T. v. Sept. p. 257.

fautrix? quapropter Menologii Basiliani narrationi non leve pondus afferunt Patrum Chalcedonensium verba: ut, quum prodigium aliquod a Martyre patratum enuncient, credibilia prope sint, quae factum illud comitata esse dicuntur.

Nam quod absurdum Baronio videbatur, Patres in rerum controversarum disceptatione a veterum exemplis recessisse, id utique concederem, si abjecta veri inquirendi cura, totius controversiae judicium Martyri permissum fuisse diceretur. at non ante ad eam conversi esse putandi sunt, quam Haereticorum refutata doctrina esset. itaque illi, quum recte sentire se scirent, et in eadem se fide esse certo nossent, quam Martyr professa esset, non jam sibi, sed Haereticis ad veri cognitionem Martyris testimonium prodesse voluerunt: ut qui Patrum dictis et communi Synodi consensu non movebantur, caelesti, si fieri posset, admonitione ac manifesta auctoritate compulsi, in Catholicorum denique sententiam concederent.

1I· His animadversis, Kalendarii quoque nostri testimoniis prodigium, qualecumque id fuerit, asserere pronum est. quis enim appositum illud τȣ ὁρȣ sine caussa additum putet? vel quis in illo apertam Martyris suffragationem significatam non agnoscat? nam Euphemia τȣ ὁρȣ nihil aliud est, quam Ευφημια δεξαμενη τον ὁρον, ut Patres Chalcedonenses loquuntur, sive quae definitionem amplexa est; quamquam λακωνικως dictum non diffiteor, meque non verbum, sed rem spectasse, quum reddidi *suffragantis*. vides igitur, ducentis ante annis, quam Menologium Basilianum vulgaretur, hanc Ecclesiae Constantinopolitanae opinionem fuisse, Chalcedonensium Patrum definitiones ab Euphemia Martyre miraculo esse comprobatas; eoque nomine sollemnia ibidem acta, ut facti memoria retineretur.

Quid, quod ex Evangelii lectione prodigii quoque genus pene ob oculos exhibetur, quale Patres memorant illis verbis, Και χειρι ϗ γλωττῃ ταις παντων ψηφοις επιψηφισασα προς αποδειξιν? nam praeter Evangelium, quod in altero ejus festo ad diem xvI· mensis Septembris praescriptum vidimus ex Luca, alterum etiam huic diei adsignatum est ex Matthaeo, in quo vocem ab Euphemia e sepulcro emissam significare voluerunt. huc nempe sine dubio illa trahebant, Και ιδȣ γυνη χαναναια απο των ὁριων εκεινων εξελθȣσα εκραυγασεν, αυτῳ λεγȣσα· ελεησον με, Κυριε ὑἱε Δαβιδ: et quae subinde, ἡ δε ελθȣσα προσεκυνει αυτῳ, λεγȣσα, Κυριε βοηθει μοι.

ac

ac demum illa, Τοτε αποκριθεις ὁ Ιησους, ειπεν αυτῃ· ω γυναι, μεγαλη σου ἡ πιςις. qui Graecam Latinamque consuetudinem norunt, quae semper obtinuit, ut loca Evangeliorum, quatenus fieri posset, anniversariae celebritati aptarentur, argumentum hujusmodi plurimum valere intelligent, ut opinionem illam apud Constantinopolitanos antiquam omnino et communem plane fuisse statuamus. nimirum comparatio illa erat quaedam inter Euphemiam et Chananaeam, qua indicarent, utramque praestanti fide fuisse, et Christum ab utraque Deum et Hominem agnitum esse, ac praeclara confessione praedicatum: utque Chananea Iudaeorum perversitatem notaverat, sic ab Euphemia Haereticorum perfidiam esse retusam.

Quae ad Euphemiae honores pertinent, ea relege superius ad diem xvI. mensis Septembris, quo die fusius de iis actum est. cetera, ut ibidem adnotavimus, a Stiltingo peti possunt.

AD DIEM xv.

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΕ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΚΗΡΥΚΟΥ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΤΤΗC

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΟΖ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΠΡΟCΗΛΘΟΝ ΟΙ ΤΑ ΔΙΔΡΑΓΜΑ ΛΑΜΒΑΝΟΝΤΕC ΤΩ ΠΕΤΡΩ ✠ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ CΑ. Ι., ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. In Concilio Romano, quod sub Gelasio Pontifice maximo a LXX. Episcopis celebratum dicitur anno CCCCLXXXXIIII. Acta Cerycі et Iulittae inter apocrypha rejecta legimus. (1) atque eadem a Nicephoro Confessore multo serius notata invenio canone IIII. (2) quae tamen saeculo vI. Theodorus Episcopus Iconii, conquisitis undique proborum virorum auctoritatibus conscripsit, ea sic Ruinartio probata sunt, ut ceteris, quae sincera habuit, libenter addiderit. (3)

Martyrium porro Cerycus, annorum trium puer, et Iulitta mater fecisse dicuntur Tarsi in Cilicia sub Diocletiano: idque

(1) Hard. Conc. T. II. p. 942.
(2) ibid. T. IIII. p. 1051.
(3) In Act. MM. p. 527. v. Montfauc. Palaeogr. p. 270.

Tillemontius ad annum cccv. pertinere censet. (4) corpora prope Tarsum ab ancillis sepulta, tradit Theodorus, earumque alteram ad Constantini magni tempora superstitem, demonstrasse, quo loco condita essent: tum vero permultos de sacris eorum Reliquiis particulam aliquam sibi comparasse, quam pro munimento haberent.

II. Diem Martyrii Acta eundem designant, qui Festi est apud Graecos: nam Latini, uno excepto Kalendario Neapolitano, in quo hodie cientur, ad diem xvI. mensis Iulii meminere. mirum autem, quanta in pueri Martyris nomine occurrat varietas? nam modo *Quiricus* dicitur, modo *Cyricus*, modo *Cyriacus*: at *Cerycus* tamen frequentius, quae Kalendarii quoque nostri lectio est.

Enimvero ut Tarsi Martyrum horum sepulcrum insigne fuit, sic alibi sacraria iis dicata, constat. *τον ναον τȣ ἁγιȣ* Κηρυκȣ *εν Φασιλαΐδι* memorat Moschus, (5) quam Phasaëlidem Ptolemaei (6) esse puto in Iudaea sitam non longe ab Hierichunte: quippe et proxima urbi illi vallis eodem nomine appellabatur, (7) in qua Monachos templi conditores collocat Moschus. quod autem huc maxime pertinet, Constantinopoli, Menae Patriarchae aevo, monasterium sancti Ceryci fuisse scimus, ex quo erat Marcus Abbas, qui libello subscripsit (8), *πρεσβυτερος ϗ ἡγȣμενος μονης τȣ ἁγιȣ* Κηρυκȣ. Reliquias etiam Martyrum ibidem fuisse, ambigendum non est, non modo quia aedium sacrarum dedicationes sine Reliquiis non fiebant, (9) sed etiam quia in monasteriis montis Atho, quo Monachi ex urbe regia, fractis eorum rebus, non semel confugerunt, Martyrum horum Reliquias se reperisse non uno in loco, testatur Ioannes Comnenus in Descriptione montis Atho, quam Montfauconius iterum edidit. (10)

III. Quaestio demum institui potest, quare locus ille e Matthaei Evangelio hodie legeretur, in quo de census didrachmis agitur, quae publicani a Petro solvi volebant, aut ab ipso Christo: quamobrem Dominus noster Petrum praeoccupans, *Τι σοι*, inquit, *δοκει Σιμων; οἱ βασιλεις της γης απο τινων λαμβανȣσι τελη η κην-*

(4) Mem. Eccl. T. v. p. 351.
(5) In Pr. Spir. apud Cotel. M. E. Gr. T. II. p. 390.
(6) Geogr. l. 1. c. 16.
(7) Plin. Hist. N. l. xIII. c. 4.
(8) apud Hard. Conc. T. II. p. 1296.
(9) Conc. Carthag. ibid. T. 1. p. 988. &c.
(10) in Palaeogr. a p. 433. vide pag. 436. 464. 478. 491.

η νησον; απο των ῡων αυτων, η απο των αλλοτριων; cui Petrus, απο των αλλοτριων. post quae Dominus praeclarum illud documentum subjecit: Αραγε ελευθεροι εισιν οἱ ῡοι· ἱνα δε μη σκανδαλισωμεν αυτȣς, πορευθεις εις την θαλασσαν, βαλε αγκιστρον: et quae deinceps. sed haec sane nihil ad Cerycum et Iulittam, ut in Actis eorum recognoscere licet. idcirco suspicatus sum, Constantinopolitanos in ea opinione fuisse, Iulittam hanc nostram non aliam esse, quam quae a Basilio celebratur, (11) et Caesariensis matrona fuit longe ditissima. nam haec a primario viro in judicium vocata, quum jus suum strenue persequeretur, bonaque sua repeteret, quae jam adversarius per vim et fraudem ademerat; objiciente illo, lege ei agere non licere, actionemque non esse, quod Christiana esset; nam id tum sanxerat Diocletianus; (12) novo accusationis genere nihil commota, magno animo praeter fortunas suas vitam quoque, Christianam se professa, Martyr profudit. huic vero quadrare illa videntur Αραγε ελευθεροι εισιν οἱ ῡοι, quod nempe Christiana professio obesse illi non debebat, quominus bonorum suorum domina esset, et ingenua ac libera haberetur, itaque communia libertatis jura retineret: quae tamen, ne cui offensioni esset, ἱνα μη σκανδαλισωμεν αυτȣς, ultro bonis suis cessit, tamquam si libertate excidisset; quemadmodum et Dominus noster, qui nulla lege tenebatur, nummos, qui census nomine ab aliis pendebantur, solvendos curaverat. eo autem facilius in gemina Iulitta errari potuit, quod Acta Ceryci et Iulittae corrupta fuerant, ut jam monuimus; et oratio Basilii ad manus esset, de cujus fide dubitare nemo posset.

(11) T. 1. hom. in M. Iulit. (12) Euseb. l. viii. c. 2. Lactant. etc.

AD DIEM xvi.

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΣ ΕΙΣ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΧΛ ΠΑΤΡΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΚΑΛΧΙΔΟΝΙ, ΚΑΙ ΤΩΝ ΤΙΗ ΤΩΝ ΕΝ ΝΙΚΑΙΑ', ΚΑΙ ΤΩΝ ΕΝ CONCTANTINΟΥΠΟΛΕΙ, ΚΑΙ ΤΩΝ ΕΝ ΕΦΕCΩ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΛΒ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC, ΥΜΕΙC ΕCΤΕ ΤΟ ΦΩC ΤΟΥ ΚΟCΜΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ

ΜΗΝΗ CΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Β, ΚΑΙ ΕΚΒΙ ΖΗΤΗ)
(ΚΑΙ ΤΗ ΚΥΡ· ΕΥΘΕΩC ΜΕΤΑ ΤΗΝ ΕΙΡΗΜΕΝΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΕΝ ΧΑΛΧΙΔΟΝΙ ΑΓΙΩΝ ΠΑΤΡΩΝ ΕΙCΕΡΧΟΜΕΝΗ)·
ΜΝΗΜΗ ΤΗC ΑΓΙΑC ΕΝ ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΙ CΥΝΟΔΟΥ ΤΗC ΚΑΤΑ CΕΥΗΡΟΥ ΤΟΥ ΔΥCΕΒΟΥC
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠΝΓ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕΠΑΡΑC Ο ΙΗCΟΥC ΤΟΥC ΟΦΘΑΛΜΟΥC ΑΥΤΟΥ ΕΙC ΤΟΥC ΜΑΘΗΤΑC, ΕΙΠΕΝ ✠ ΠΑΤΕΡ ΑΓΙΕ, ΤΗΡΗCΟΝ ΑΥΤΟΥC ΕΝ ΤΩ ΟΝΟΜΑΤΙ CΟΥ κ· τ· λ·

I· Cur hoc potiſſimum die ſacri Concilii Chalcedonenſis memoria primo loco proponatur, ſatis exploratum non eſt. neque enim Synodo illi, quae anno CCCCLI· abſoluta fuit, finem hodiernus dies attulit. quod ſi in Actione ultima notam temporis mendo non carere liquet, (1) extra controverſiam tamen eſt, Concilium Patrum menſe Novembri dimiſſum eſſe. itaque in die hoc legendo aliud aliquid Graeci ſequuti ſunt: nec tamen commemoratae nuper Synaxeos ſanctae Euphemiae rationem habuiſſe puto, ut quam proxime Concilii, quod illa foverat, memoriam recolerent. (2)

Enimvero quia in Conciliis efferendis ordo non ſervatur, et primum cietur, quod quartum fuit, hoc mihi indicio eſt, tria illa antiquiora non ante in Faſtos relata eſſe; imo Chalcedonenſis cauſſa ſimul omnium feſtum celebrari coepiſſe. illud ſane compertum habeo, quum Anaſtaſius Aug. ducem ſe illis praeberet, qui Chalcedonenſe Concilium nefaria proditione damnabant, primum apud Palaeſtinos Theodoſium Coenobiarcham in ſuggeſtum aſcendiſſe, et magna voce clamaſſe, (3) *Si quis quatuor ſanctas Synodos non tanti eſſe aeſtimat, quanti quatuor Evangelia, ſit anathema*. porro hac tanti viri tam aperta profeſſione multorum animos commotos eſſe, et conſilium exinde initum, ut ſanctae Synodi in ſacris Diptychis ſcriberentur. idque, ut de caelo tactus periit Anaſtaſius, ſub Iuſtino perfectum eſſe reperio. nam de hoc Cyrillus Scythopolitanus in vita Sabae (4) ſcribit: Ιυςῖνος αὐτίκα τὴν

(1) apud Hard· Conc· T· II· p· 624·
(2) In Menaeis conjungitur Concilii memoria cum Synaxi die XI· Iul·
(3) apud Bolland· T· I· Ian· p· 695· §· 32·
(4) apud Cotel· M· E· Gr· T· III· p· 326· *Statim Iuſtinus ubi imperium adſumpſit, leges tulit, quibus jubebatur, omnes eos revocari, quos Anaſtaſius in exſilium ejecerat, Synodumque Chalcedonenſem ſacris Diptychis inſeri . . . celebratoque feſto, ſexto die menſis Auguſti promulgatae ſunt divales juſſiones, et quatuor Synodi in ſacra Diptycha relatae fuerunt*.

την βασιλειαν παραλαβων, νομοις εχρησατο τοις κελευϛι τυς ὑπο Αναϛασιυ εξοριϛθεντας πανῖας ανακληθηναι, ϗ την εν Χαλκηδονι Συνοδον τοις ἱεροις ενταγηναι διπῖυχοις. mox paullo diem designat, quo res Hierosolymis peracta, nec jam Chalcedonensem solum, sed tres quoque reliquas Synodos in Diptychis scriptas testatur: Και ἑορτης γενομενης, τῃ εκτῃ τυ Αυγυϛυ μηνος ενεφανισθησαν αἱ θειαι κελευσεις, ϗ ενεταγησαν αἱ τεσσαρες Συνοδοι τοις ἱεροις διπῖυχοις. quum autem id mense Augusto Hierosolymitani peregerint, veri, opinor, simile est, Iulio mense, atque hoc ipso die apud Constantinopolitanos, regia urbe ceteris praeeunte, primum esse factum, anno DXVIII. quo Iustinus imperium suscepit. nam quae in Concilio Constantinopolitano II. Collatione II. a *glorioſiſſimis Iudicibus* de Iustiniano praedicantur, his verbis, *Sanctas quatuor Synodos majestas ipsius sacris Ecclesiae Diptychis inseri et praedicari fecit: quod ante imperium divinitus ei datum in sancta Ecclesia non procedebat*, haec mihi assentatorie potius, quam vere prolata videntur. neque enim dubitare licet, id a Iustino primum esse factum, affirmante rem Cyrillo, qui proximus eorum temporum fuit, et apud eos scribente, qui plurimum in ea controversia versati fuerant. quid, quod praeter Cyrillum Monachos Constantinopolitanos testes habemus, qui quo die, quave ratione peracta illa sint, in libello, quem Synodo sub Mena coactae obtulerunt, diserte exponunt? narrant nempe eodem illo anno, die Dominico, qui erat Iulii mensis XV. quum in templo Sophiano Ioannes Cappadox Patriarcha circa Ambonem staret, eique Clerus adsisteret magno populi conventu, communem fuisse omnium vocem mirumque consensum adclamantium, ut sacra IIII. Concilia in Diptycha referrentur, et Severus damnaretur: tum Patriarcham in Ambonem adscendisse, et multa praefatum, quibus populi motum sedaret, rem in diem proximum, id est in hodiernum distulisse: (*) Γνωριζομεν τῃ ὑμετερᾳ αγαπῃ, ὁτιπερ τῃ αυριον μνημην επιτελυμεν των εν ἁγιοις πατερων ἡμων ϗ επισκοπων γινομενων των κατα την Χαλκηδονεων μετροπολιν συναχθεντων, ϗ βεβαιωσανῖων ἁμα τοις εν Κωνϛαντινυπολει ϗ εν Εφεσῳ συναχθεισιν ἁγιοις πατρασι το συμβολον ΤΙΗ ἁγιων πατερων, των συναχθεντων κατα την Νικαιων. addunt iidem, sequenti die

(*) *Notificamus vestrae caritati, quod craſtina die perficiemus memoriam sanctorum patrum nostrorum Episcoporum in Chalcedonensi metropoli congregatorum, qui una cum sanctis patribus Constantinopoli et Epheſi congregatis confirmaverunt symbolum trecentorum decem et octo sanctorum patrum Nicaeae congregatorum.*

die promiſſi fidem a Patriarcha praeſtitam magnis totíus populí adclamationibus: tum epiſtolas referunt, quae a Patriarcha ſcriptae de ea re fuerunt ad Ioannem Archiepiſcopum Hieroſolymorum, et Epiphanium Epiſcopum Tyri, cujus item reſponſum exhibent docentis, ſe eadem peregiſſe Tyri die XVI. menſis Septembris; paullo ſerius, quam ea Hieroſolymis facta fuerant, vel quod pluſculum diſtaret, vel quod citius conventum agere non potuiſſet.

Exinde nihil quatuor hiſce Conciliis ſanctius haberi coepit: quo pertinent Iuſtiniani ipſius verba in lege VI. ad Epiphanium Patriarcham: (5) *Nullus itaque fruſtra nos turbet ſpe vana innixus, quaſi nos contrarium a ſupradictis quatuor Conciliis fecerimus, aut faciamus, aut fieri a quibusdem permittamus, aut aboleri eorundem ſanctorum quatuor Conciliorum piam memoriam ex dictis Eccleſiae Diptychis ſuſtineamus.* ſpectant eodem quae Gregorius magnus initio pontificatus ſui ad omnes Patriarchas ſcripſit: (6) *Sicut ſancti Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere et venerari me fateor: Nicaenum ſcilicet, in quo perverſum Arii dogma deſtruitur, Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur, Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorii impietas judicatur, Chalcedonenſe vero, in quo Eutychis Dioſcorique pravitas reprobatur; tota devotione complector, integerrima approbatione cuſtodio.*

Porro ad Conciliorum illorum memoriam celebrandam aliquid etiam pictorum ars contulit. nam ut monumenta illa mittam, quae Romae et Hieroſolymis fuiſſe ſcimus, Conſtantinopoli ſpectatiſſimo in loco, quem Μηλιον dicebant, ad Leonis Iſauri tempora manſerant picturae, quae Concilia illa repraeſentabant: quibus deinde quintum et ſextum additum fuerat. rem ſic perſtringit Stephanus Diaconus Eccleſiae Conſtantinopolitanae in vita ſancti Martyris Stephani junioris, quam in Analectis ſuis edidit Montfauconius. (*) Εν τȣτῳ γαρ τῳ δημοσιῳ τοπῳ εξ αρχαιων των χρονων ϗ των εκ παλαι ευσεβως βεβασιλευκοτων αἱ ἁγιαι ἐξ οικȣμενικαι Συνοδοι αιιςορημεναι ȣσαι προυπτον εφαινοντο. quamquam, ut eſt in Agathonis Diaconi *Epilogo*, Concilium ſextum a Bardane deletum fuerat, alia pictura inducta, quae paullo poſt ſublata eſt, ut iterum ibidem ſacrum illud Concilium depingeretur. ἡ της αυτης ἁγιας ϗ οικȣ-

(5) Cod. l. 1. T. 1. §. 5.
(6) lib. 1. epiſt. 25. ſub fin.
(*) *Hac enim in loca, qui publicus eſt, antiquitus ſub piis Imperatoribus ſanctae ſex Synodi Oecumenicae depictae fuerant et palam viſebantur.*

οικουμενικης ἑκτης Συνοδου αναζωγραφησις συν ταις αλλαις πεντε γεγενηται.

II. At Festi hujus ratio post saeculum VIII. immutata est, nam in Menologio Basiliano suos Conciliis plerisque dies adtributos videmus. Nicaeni enim primi memoria agitur die XXVIII. mensis Maii: Chalcedonensis unius hodie: tum Nicaeni secundi die XI. mensis Octobris. contra in Menaeis hodie sex Synodi commemorantur, quo ordine celebratae sunt: septimae autem Festum agitur Dominico die, qui primus est post diem XI. mensis Octobris.

III. Iam de Concilio etiam dicendum, quod Constantinopoli sub Mena Patriarcha coactum est anno DXXXVI. VI. nonas Majas. hujus in Menologio Basiliano mentio fit die XXV. hoc titulo: Μνημη των ἁγιων ΞΕ πατερων ἡμων των εν τῃ Ε Συνοδῳ συνελθοντων. in Kalendario autem nostro memoriae ejus celebrandae praescribitur dies Dominicus, qui diem XVI. Iulii mensis consequatur. at neuter dies Synodi absolutae proprius haberi potest, quum Actio illius ultima in diem pridie nonas Iunias referatur. (7)

Quum autem ex ipsa Synodo, cujus Acta exstant, sciamus, vocatam eam esse καθ' Ανθιμου ϗ Σεβηρου, mirabere, in Kalendario scriptum esse της κατα Σευηρου του δυσεβους, de Anthimo nihil dici. hic vero non asseram, Constantinopolitanos Patriarchae sui memoriae parcere voluisse, nec quaeram, cur ceterorum item, qui simul damnati sunt, nomina praetermissa fuerint. magna quippe erat caussa, cur Severus cieretur, qui omnium dux fuerat, et quo damnato, asseclae ejus omnes conciderant. de eo. Anastasius Antiochenus ac simul de sociis, (8) Αποβαλλεται, inquit, ἡ ἁγια Εκκλησια ϗ Ευτυχεα ϗ Διοσκορον ϗ Θεοδοσιον ϗ Πετρον ϗ Τιμοθεον ϗ Ιουλιανον ϗ Γαϊανον ϗ Βαρσανουφιον ϗ Ιακωβον ϗ τον Εξαρχον της δεκακερατου ταυτης ορχηστρας Σεβηρον. contra hunc autem potissimum magni quoque Monachi Theodosius et Sabas Anastasio Aug. scripserant Hierosolymis, tamquam omnium malorum auctorem et Catholicae Ecclesiae hostem: (9) Τουτων δε παντων αρχηγος ϗ αυτουρ-

(7) apud Hard. Conc. T. II. p. 1268.

(8) or. II. περι θειας οικονομιας apud Stevart. *Rejicit sancta Ecclesia et Eutychem et Dioscorum et Theodosium et Petrum et Timotheum et Iulianum et Gajanum et Barsanuphium et Iacobum et cornuti hujusce gregis ducem Severum.* plura vero de Haeresiarcharum epithetis congessit Isaacius Habertus in Archieratico observ. I. ad litt. Patriarch. p. 562.

(9) Cotel. T. III. M. E. Gr. pag. 316. *Porro horum omnium auctor et opifex exstitit qui pridem et ab initio Acephalus et Aposchista est, Severus, quique Antiochiae Antistes in exitium animae suae communisque reipublicae, Deo ob peccata nostra permittente, promotus est, nec non sanctos patres nostros, qui*

Digitized by Google

τȣργος καθεϛηκεν ὁ αιωθην ϗ εξαρχης Ακεφαλος ϗ Αποϛιϛης Σευηρος, ὁ της Αντιοχεων προεδρος, επ᾽ολεθρῳ της οικειας ψυχης ϗ της κοινης πολιτειας, κατα Θεȣ συγχωρησιν, δια τας αμαρτιας ἡμων προβληθεις, ϗ τȣς ἁγιȣς πατερας ἡμων αναθεματισας, τȣς την Αποϛολικην πιϛιν την ορισθεισαν ϗ παραδοθεισαν ἡμιν δια των ἁγιων πατερων των εν Νικαιᾳ συνελθοντων, δια παντων βεβαιωσαντας ϗ εν αυτῃ παντας φωτιζοντας.

IIII. Acta haec Synodus fuit εν τῃ φιλοχριϛῳ ϗ βασιλευȣσῃ Κωνϛαντινȣπολει, νεᾳ Ρωμῃ, προκαθεζομενȣ τȣ δεσποτȣ ἡμων τȣ ἁγιωτατȣ ϗ μακαριωτατȣ Αρχιεπισκοπȣ ϗ Πατριαρχȣ Μηνα, εν τῳ Μεσαυλῳ τῳ δυτικῳ τȣ σεβασμιȣ οικȣ της Δεσποινης ἡμων, της ἁγιας ενδοξȣ Θεοτοκȣ ϗ αειπαρθενȣ Μαριας, τȣ οντος πλησιον της ἁγιωτατης μεγαλης Εκκλησιας. (10) templum porro indicari hoc loco existimat Cangius, (11) quod a Leonis magni uxore Verina Aug. aedificatum esse superius adnotavimus. (12) congruunt sane Iustiniani verba, (13) a quo dicitur ὁ προσκυνητος οικος της ἁγιας ενδοξȣ Παρθενȣ ϗ Θεοτοκȣ Μαριας, ὁ προς τῳ ἁγιωτατης μεγαλης Εκκλησιας γειτονηματι κειμενος. at Μεσαυλον δυτικον atrium ipsius templi occidentale esse censet Valesius, (14) quamquam vetustiores Graeci portam mediam inter ανδρωνιτιν et γυναικωνιτιν privatarum aedium Μεσαυλον appellabant, non item atrium. sed multa vult usus, quem penes loquendi arbitrium est.

Synodo autem huic praeiverat Agapetus Pontifex maximus, qui Rege Theodato urgente Constantinopolim profectus fuerat. jam enim Anthimum honore abire coëgerat, Mena ei suffecto, et Severum cum toto illo Monophysitarum grege damnarat. Patres numero sexaginta quinque convenisse, legimus in Menologio Basiliano: at ex Actis subscripsisse apparet in Actione IIII. septuaginta quatuor, omnes Episcopos praeter quinque inferioris ordinis, qui tamen Episcoporum suorum vice fungebantur: in Actione v. quae et ultima, nonaginta.

V. Illud

Apostolicam fidem definitam et traditam nobis a sanctis patribus Nicaeae congregatis per omnia confirmaverunt, in eaque cunctos illuminant, anathemate ferit.

(10) apud Hard. ibid. p. 1188. *In Deo carissima et imperatrice Constantinopoli nova Roma, praesidente Domino nostro sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo et Patriarcha Mena in Mesaulio Occidentali venerabilis domus Dominae nostrae sanctae et gloriosae Dei Genetricis perpetuaeque Virginis Mariae, quae est prope sanctissimam magnam Ecclesiam.*

(11) CP. Chr. l. IIII. p. 86.

(12) ad diem II. Iul. n. I.

(13) Novel. III. c. 1. *Venerabilis aedes sanctae gloriosaeque Virginis Deiparae Mariae, quae sita est in vicinia sanctissimae magnae Ecclesiae.*

(14) ad Evagr. l. IIII. c. 3.

V. Illud demum rogabis, opinor, quaenam in Festi hujus institutione mens fuerit Ecclesiae Constantinopolitanae? neque enim existimare licet, caelestes eam honores decernere voluisse tot simul Patribus, quorum in numero fuisse aliquos minus probabiles, nemo habeat ambiguum. atqui rem nobis explicat Menologium Basilianum, in quo post narratam Haereticorum damnationem haec subjecta leguntur: *Εκ τοτε ȣν ἑορταζȣσα ἡ τȣ Θεȣ Εκκλησια την τοιαυτην αναμνησιν, δοξαζει τον Θεον*. sacri igitur conventus memoria celebrabatur gratiarum Deo agendarum caussa, qui numine suo ad rectam doctrinam tuendam Episcoporum animos erexerat et confirmarat.

AD DIEM xx.

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Κ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΠΡΟΦΗΤΩΝ ΗΛΙΟΥ ΚΑΙ ΜΩϹΕΩϹ ΚΑΙ ΑΑΡΩΝ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΟΒ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΠΑΡΑΛΑΜΒΑΝΕΙ Ο ΙΗϹΟΥϹ ΤΟΝ ΠΕΤΡΟΝ ΚΑΙ ΙΑΚΩΒ ΚΑΙ ΙΩΑΝΝΗΝ (ΖΗΤΗ ΕΙϹ ΤΗΝ ϛ ΑΥΓΟΥϹΤΟΥ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΕΤΑΜΟΡΦΩϹΙΝ)

I. Eliam unum hodie memorant tam veteres Graecorum Fasti, quam recentes Latinorum: titulus autem Menologii Basiliani est *ἡ πυρφορος αναβασις εις ȣρανȣς Ηλιȣ τȣ Προφητȣ*. in hoc porro de Moyse agitur die IIII. mensis Septembris, de Aarone nusquam: quem contra Latini celebrant kalendis Iuliis.

Enimvero praeclaros de singulis commentarios Bollandiani scripsere, de Elia Cuperus, (1) de Moyse Stiltingus (2) Sollierus de Aarone: (3) qui etiam de cultu Sanctorum Veteris Testamenti egregia quaedam praeposuit, quae legisse haud parum intersit. praeterquam quod praeclara etiam illa sunt, quae Papebrochius non uno loco disseruit de origine, quam Sodales Karmelitae ab Elia se ducere olim contendebant: adversus quem multa prodiere

 grandi

(1) T. v. Iul. a p. 4.
(2) T. II. Sept. a p. 6.
(3) T. I. Iul. a p. 7.

grandi volumine comprehensa : quae tamen Conradus Ianningus brevi epistola facile refutavit . (4)

II. Gregorius Nazianzenus, qui jambis triginta totidem fere Eliae miracula eleganter perstrinxit, (5) idem epigramma scripsit hoc titulo: *Εις το Μαρτυριον Ηλιȣ το καλȣμενον Χηρειον:* (6) quasi diceret *viduae domum*; totum sane epigramma est de vidua Eliae hospite apud Sareptam Sidoniae : sed tamen Constantinopoli ne, an alibi Martyrium illud sive Χηρειον exstiterit , nullo indicio demonstravit : et veri mihi similius videtur, in eo epigrammate domum viduae designari, quae Sareptae in templum mutata visebatur: de qua Ioannes Phocas, apud Allatium in Συμμικτοις, Itinerarii sui n. VII. (*) *Μετα την Σιδωνα, το Σαραφθα καςρον περι το κλυσμα της θαλασσης τεθεμελιωται, ϗ Ναος τȣ Προφητȣ Ηλιȣ επι τῃ οικιᾳ της ξενισασης αυτον χηρας, μεσον τȣ πολισματος ἱδρυται.* ceterum a saeculo v. monasterium in regia urbe fuisse , compertum habeo , cui Eliae nomen impositum erat . in Concilio enim Chalcedonensi damnationi Eutychis subscripsit *Ευσεβιος πρεσβυτερος ϗ αρχιμανδριτης μονης Ηλια :* (7) cui postea praefuisse videtur Silas, qui Menae Patriarchae aevo subscripsit libello monasteriorum, *πρεσβυτερος ϗ ἡγȣμενος μονης των Ηλια.* (8)

Sed si quis haec minus certa putet , et nomen aliunde petitum existimet, extra controversiam omnino est , templum honori Eliae Prophetae a Zenone Aug. in Petrio fuisse dicatum , quod bello Persico voverat, non sine exercitus totius consensu , qui et pecuniam ad opus perficiendum contulit . (9) rem confirmat Porphyrogennetes , qui illud ipsum a Basilio Macedone restitutum testatur . (10)

At vero Moysi et Aaroni nullum Προφητειον Constantinopoli excitatum reperio : quae mihi caussa esse videtur, quare in Kalendario , temporum ratione posthabita , primus Elias scriptus sit. templo enim ejus addita postea Sacraria crediderim Moysis et Aaronis, primo Eliae loco relicto, a quo templum appellabatur,

AD

(4) Antuerpiae an. 1693.
(5) Op. T. II. p. 204. Iamb. XVII.
(6) ibid. p. 195. Iamb. III.
(*) *Post Sidonem Saraphtha est castrum ad mare situm, et in oppiduli medio templum stat Prophetae Heliae, ubi viduae domus erat, quae ipsum hospitio accepit.*
(7) apud Hard. p. 79.
(8) ibid. p. 1280.
(9) Codin. p. 47.
(10) in avi vita c. 54.

AD DIEM xxv.

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΕ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΗC ΑΓΙΑC ΟΛΥΜΠΙΑΔΟC
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΙΑ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC: ΠΑΝΤΑ ΜΟΙ ΠΑΡΕΔΩΘΗ ΥΠΟ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟC ΜΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΙΑΝΟΥΑΡΙΩ Κ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Viduam illam sanctissimam hodie Graeci honorant, cui magnus Chrysostomus hoc titulo scribebat: (1) Τῃ Δεσποινῃ μυ τῃ αιδεσιμωτατῃ ϗ θεοφιλεςατῃ Διακονῳ Ολυμπιαδι. hanc Latini colunt xvI. kal. Ianuarias: nihil tamen de die mortis ejus exploratum habemus; idque unum constat, obiisse eam ante annum ccccxx. quo Palladius historiam Lausiacam texebat. (2)

Nobilissimo genere ortam Olympiadem, omnes consentiunt: neptis enim erat Ablabii, qui sub Constantino magno praefectura Praetorii functus est: sed ex filia ne Olympiade, an ex filio, adhuc ignoramus. in Menologio Basiliano dicitur θυγατηρ Ανυσιυ τυ Κομητος, in Sirletino *Anysii Secundi Comitis filia*: demum Palladius Helenopolitanus patrem ejus facit *Seleucum Comitem*: (3) qui fortasse idem et *Anysius Secundus* dicebatur, nec alius erat atque Ανυνδος, in quo nomine mendum esse videtur. certiora autem de marito ejus Nebridio traduntur, de quo non semel in Principum legibus mentio fit: (4) et unde Praefectum urbis regiae illum fuisse discimus. nuptias Constantinopoli celebratas esse liquet, quas Episcopi plures praesentia sua honestarunt: (5) eamque cum viro fuisse ad menses viginti, in ambiguo non est. (6) itaque veri esse similia non videntur, quae de virginitate ejus in Menologio Basiliano legimus: Νυμφη δε μονον χρηματισασα, γυνη δε υδειος. τυ γαρ λαβοντος αυτην προς Κυριον εκδημησαντος, παρθενος ἅμα ϗ χηρα διεμεινε. (*)

 Ce-

(1) Montfauc. op. Chys. T. III. p. 527.
(2) Tillem. Mem. Eccl. T. xI. p. 439.
(3) Hist. Laus. c. 144.
(4) Cod. Theod. T. vI. p. 374. 2. etc.
(5) Greg. Naz. epist. 57. p. 815.
(6) v. Tillem. Ibid. p. 420.
(*) *Sponsa tantum appellata, nullius tamen uxor: qui enim eam duxerat, quum ad Dominum migrasset, ipsa virgo simul et vidua remansit.*

Ceterum aliae eam virtutes sanctissimis quibusque matronis parem fecerunt, quae maxime eminent in septemdecim epistolis, quas ad eam scripsit Ioannes Chrysostomus. quamquam alii quoque Episcopi doctrina et sanctitate clarissimi, quum junior etiamtum esset, magno in pretio habuerant, quos inter Nectarius Patriarcha dignam censuerat, quae in Diaconissarum collegium cooptaretur. sed tibi evolvendus est accuratus Tillemontii commentarius, (7) quo ille omnes spectatissimae Viduae virtutes ac laudes complexus est.

II. Monasterium virginum Constantinopoli ab Olympiade conditum esse, auctor est Nicephorus, (8) qui et leges eidem ab ea praescriptas tradit. de hoc tamen veteres Patres silent, nisi huc trahere velimus Gregorii Nysseni verba, qui Cantici Canticorum interpretationem, quam rogatu Olympiadis aggressus fuerat, sic eam adloquens incohavit: (*) *Απεδεξαμην ὡς πρεπȣσαν τω σεμνῳ σȣ βιῳ ϗ τη καθαρᾳ σȣ ψυχῃ την περι τȣ Ασματος των Ασματων σπȣδην*. nam *Σεμνος βιος* monasticum plane vocabulum erat, unde *Σεμνειον* Suidae est *Το μοναςηριον, εν ᾧ μονȣμενοι οἱ Ασκηται τα τȣ Σεμνȣ Βιȣ μυςηρια τελȣσι*. (*)

Addit idem Nicephorus, Olympiadem Nicomediae in Bithynia diem suum obiisse: corpus vero ad Bosporum in aede sancti Thomae e regione urbis regiae primum esse humatum: inde saeculo VII. Constantinopolim denique in monasterium ejus translatum fuisse. sed haec Cangius silentio praeterivit; Tillemontio autem Nicephori narratio prope commentitia videtur, (9) quae potissimum ad sepulturam et translationem pertinet. multa sane et mira ille nectit prodigia, Sergii nescio cujus auctoritate fretus, qui vitam Olympiadis scripsisse ferebatur, tum etiam ex communi historia, nullo certo auctore: ut non immerito contemnendus videatur.

AD

(7) Ibid. a p. 416.

(8) Hist. Eccl. l. XIII. c. 24.

(*) *Gratum et acceptum fuit mihi studium de Cantico Canticorum, quod et coram et tuis ad nos exposuisti litteris, religiosae isti vitae, puraeque animae tuae conveniens.*

(*) *Locus secretus, in quo Ascetae sanctioris vitae mysteriis initiantur, a turba remoti.*

(9) ibid. p. 636.

AD DIEM ·XXVI·

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚϚ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ϹΥ-
ΜΕΩΝ ΤΟΥ ΕΙϹ ΜΑΝΔΡΑ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΧΓ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΗΚΟΛΟΥΘΗϹΑΝ ΤΩ ΙΗϹΟΥ
ΟΧΛΟΙ ΠΟΛΛΟΙ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΟΚΤΩΒΡΙΩ Γ,
ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Invenerat olim Papebrochius in codice Graeco Bibliothecae Mazarinianae vitam Simeonis cujusdam junioris, Hegumeni in monasterio sancti Mamantis in Xerocerco, eique adnexa Miracula decem et octo, et opuscula praeterea quaedam moralia. ibidem etiam adnotatum erat, memoriam ejus hodie coli. sed haec omnia parum illi placuerant, itaque nec, ut sibi describerentur, curaverat. perlecta autem Allatii diatriba de Simeonibus, invenisse se ait, (1) ibidem ex Oratione XIII· ipsiusmet Xerocercensis Simeonis, (2) *vero similius reddi, vixisse eum anno Christi* M. LXXXXII· *quando omnis fere Graecia Catholicam Latinorum communionem abjecerat, et nascebatur inter Monachos nova de Thaboritico lumine haeresis, cujus propugnator praecipuus Gregorius Palamas, Simeonis istius auctoritate plurimum usus fuit, quemadmodum explicat idem Allatius*, (3) *ac demum ex praedictis scriptis probat, Omphalopsychorum et Massilianorum dogma ipso Simeone auctore inter Hesychastas conceptum et propagatum fuisse*.

Haec quum animo imbibisset Sollierus, ut in Sirmondi et Chiffletii Synaxariis nomen hodie reperit Simeonis τȣ̃ ἐν Μάνδρᾳ, de Papebrochiano illo Simeone sermonem in his esse duxit: itaque in *Praetermissis* memoria hujus enunciata, subjecit ex Papebrochii sententia quae sequuntur: (4) *Sed quia de erroribus accusatur, neque satis nobis liquet, an, et quo pacto eos expurgarit, ita quidem, ut publicum ac receptum passim cultum habuerit; ideo ipsum hic praetermittimus, donec de eo sufficienter constiterit*. tum alio loco de Chiffletii Synaxario, prope indignatus, sic queritur: (5) *At.*

(1) ad Ephem· Gr· ad diem XXI· Iul·
(2) ibid· p· 310·
(3) ibid· p· 173· et 177·
(4) T· VI· Iul· p· 230·

Atque item Ms. Divionense nostri Petri Francisci Chiffletii (ad diem xxvII·) *collocat memoriam sancti patris nostri Simeonis Archimandritae, cui ridicule et citra ullius assensum additur* in Mandra: *de qua videndus Commentarius praevius ad Acta junioris Stylitae* xxIIII· *Maii* §. 2. is nempe, quem Ianningus conscripserat. (6)

Atqui, pace Sollieri dicam, Synaxaria illa alium Simeonem designant, atque eum omnino, quem hodie Kalendarium nostrum refert, in quo Mamantinus ille Hegumenus, tribus fere saeculis junior, locum habere non potuit. est autem hic Simeon ille idem senior Stylites, de quo jam egimus ad diem I· Septembris.

II· Rem totam Evagrii auctoritate planam faciam. primum enim Evagrius ipse non unum tantum honori ejus diem dicatum fuisse nos docet. nam ubi de prodigio stellae agit, quae quandoque supra locum, quem ille incoluerat, palam collucere solebat, quamque ipse etiam viserat, diserte ait, Ο δη *γινεται μονον εν τοις του παναγιου μνημειοις*. (7) jam et locum, in quo haec fiebant, *Mandram* appellatum idem testatur, et qualis esset, qualemve oculis ipse suis usurpasset, sic enarrat: Ε*ποθουν το τεμενος τουτο δη του* Α*γιου θεασασθαι. διεστηκε δε* Θ*εουπολεως σταδιοις μαλιστα τριακοσιοις, κειμενον προς αυτην του ορους την κορυφην.* Μ*ανδραν οἱ επιχωριοι καλουσι, της ασκησεως, οιμαι, του παναγιου* Σ*υμεωνου την προσηγοριαν τῳ χωρῳ καταλιποντος. διηκει δε το προσαντες του ορους σταδιους εικοσι.* templum subinde, quod Antiochenses Simeonis memoriae ibidem exstruxerant, describit his verbis: Η *δε του νεω οικοδομια συγκειται μεν σταυρου δικην, εκ των τεσσαρων πλευρων στοαις κοσμουμενη. παρατεταχαται δε ταις στοαις κιονες εκ λιθου ξεστου πεποιημενοι ευπρεπως, ευ μαλα την οροφην εις ὑψος επαιροντες. το δε γε μεσον,* Α*υλη ὑπαιθριος εστι μετα πλειστης ηξειργασμενη της τεχνης, ενθα ὁ τεσσαρακονταπηχυς ισταται* Κ*ιων, εν ᾧ τον ουρανιον διηνυσε βιον ὁ επι γης ενσαρκος* Α*γγελος.*

(5) ibid· p· 310·

(6) T· v· Maii p· 298·

(7) Hist· Eccl· l· 1· c· 14· *Quod quidem non nisi diebus festis, quibus sancti viri memoria quotannis recolitur, fieri solet·*

Visere porro viri sanctuarium cupiebam· distat autem illud ab urbe Antiochia stadiis fere trecentis: situm in ipso montis vertice· Mandram indigenae vocant; quod nomen a sanctissimo Simeone ei loco inditum videtur, eo quod illic asperiori disciplina sese exercuisset· et montis quidem acclivitas ad viginti usque stadia protenditur·

Templi autem fabrica formam crucis refert ex lateribus quatuor ornata porticibus· ex adverso illis oppositae sunt columnae e lapide polito pulcre fabrefactae, quibus tectum venuste admodum in sublime attollitur· in medio atrium est subdivale summo artificio elaboratum: in quo Columna illa stat quadraginta cubitorum, in qua terrenus ille Angelus caelestem vitam exegit·

Promissa barba, et capite tiara obvoluto, sicuti consueverat·

λος. demum e cancellis, quos porticus illae habebant, stellam illam, quam memoravi, saepius a se visam affirmat: ab aliis vero ipsum etiam Simeonem conspectum esse circum volitantem, την ὑπηνην καθειμενον, την κεφαλην τιαρᾳ κεκαλυμμενον, ὥσπερ ειωθει. in eum autem locum ingredi fas viris esse, feminis non item: itaque has a porta prodigium contemplari.

Ecce igitur tibi festi, de quo agimus, originem, ac simul tituli illius explicationem εις την Μανδρα, sive, ut in Synaxariis legit Sollierus, του εν Μανδρᾳ. Encaenia nimirum celebrari hodie puto dedicati templi, memoriamque prodigiorum illorum coli, quae quotannis iterabantur, et quorum Antiochenses potissimum testes erant. nec mirandum est, Constantinopoli quoque sollemnitatem ejusmodi receptam esse, quo sancti Stylitae Reliquias (8) perlatas esse indicavimus: praesertim quum tanti viri nomen ubique clarissimum esset, ac virtutum ejus fama orbem terrarum implevisset.

III. Huc praeterea facit Evangelii Lectio, qua anniversarii illius festi celebritatem designare voluisse mihi videntur, populis undique ad Columnam illam etiamtum confluentibus: quemadmodum olim frequentaverant, quum ex ea sanctus Simeon caelestis doctrinae praecepta dabat. haec enim Evangelii sunt verba: Και ηκολουθησαν αυτῳ οχλοι πολλοι απο της Γαλιλαιας ϗ Δεκαπολεως ϗ Ιεροσολυμων ϗ Ιουδαιας ϗ περαν του Ιορδανου· ιδων δε τους οχλους, ανεβη εις το ορος, ϗ καθισαντος αυτου, προσηλθον αυτῳ οἱ μαθηται αυτου· ϗ ανοιξας το στομα αυτου, εδιδασκεν αυτους, λεγων· Μακαριοι οἱ πτωχοι τῳ πνευματι, et quae deinceps.

IIII. Si denique illud quaeratur, quidnam stationi Simeonis nomen fecerit *Mandram*, id ego ab ipso vocabulo non obscure significari existimo. nam Μανδραι Hesychio sunt ἑρκη, φραγμοι, αυλαι, σηκοι βοων ϗ ἱππων. porro quia Simeon annos septem et quadraginta intra illos limites in montis vertice vitam duxit, nec pedem inde unquam extulit, tamquam in septo clausus, εν τινι μεν στενωπῳ, ut Evagrius scribit, (9) ετεσι δεκα τον αγωνα διανυσας· εν δε κιοσι βραχυτεροις ἑπτα, ϗ επι τεσσαρακονταπηχυν ετη τριακοντα: propterea circumscriptus ille locus Μανδρα της ασκησεως του παναγιου Συμεωνου dictus est, qui alio nomine ἑρκος aut φραγμος etiam dici

(8) ad diem 1. Sept. n. II.

(9) ibid. lib. 1. c. 13. *Decem scilicet annos in quodam angiportu; in brevioribus autem columnis, septem: triginta demum annos in columna quadraginta cubitorum laborioso certamine perfunctus.*

dici poterat. ceterum ex quo monasteria ipsa *Mandrae* appellari coepta, unde et praepositi eorum Archimandritae vocati sunt, Monachi, quos solitariae vitae amor in secretiora loca abduxisset, non jam in Mandra habitare dicti sunt, quod Mandra communis esset Monachorum simul viventium sedes, id est Coenobium; sed in Laura vivere, quam Euthymius, ut in ejus vita legimus, Coenobio opponit: Sabae enim etiamtum juveni dixisse fertur, (10) Ου χρη, τεχνον, νεον οντως σε ϗ αγενειον οντα, διατριβειν κατα την Λαυραν· λυσιτελης γαρ μαλλον τοις ουτως εχουσιν η εν Κοινοβιω διαγωγη. atque illi postea Εγκλειστοι audiere (11) sive Inclusi, ut Secundinus ille *servus Dei inclusus*, ad quem exstat praeclara Gregorii magni epistola, (12) quandoque etiam Ησυχασται et Αναχωρηται, ut Iustinianus testatur. (13)

(10) apud Cotel· M· E· Gr· T· II· p· 274· *Non oportet, fili, quum adolescens sis et adhuc imberbis, in Laura te morari: multoque utilius isti aetati est in coenobio vivere.*

(11) Teod· Stud· in Testam· n. VI·

(12) lib· VIIII· epist· 72·

(13) Novel· c· 3·

AD DIEM XXVII·

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΖ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟC ΠΑΝΤΕΛΕΗΜΟΝΟC

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΛΗ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC, ΤΑΥΤΑ ΕΝΤΕΛΛΟΜΑΙ ΟΙΜΙΝ, ΙΝΑ ΑΓΑΠΑΤΕ ΑΛΛΗΛΟΥC (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ CΑ· ΤΗC Γ ΕΒΔΟΜΑΔ· ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Pantaleemon Graecis est, qui Latinis Pantaleo, cujus hi quoque memoriam hodie celebrant a Baronii aetate: nam veteres die proximo posteriore celebrabant, uti jam Sollierus adnotavit: (1) quamquam ex eorum numero Kalendarium Neapolitanum eximendum est, in quo Graeca consuetudo retinetur. at vero Acta ejus omnia, quae exstant, plane rejicit, et commentitia habet Tillemontius. (2) tu de iis judicium Bollandianorum (3) expendito.

Sed

(1) ad Vsuar· die 28· Iul·

(2) Mem· Eccl· T· V· p· 642·

(3) T· VI· Iul· a p· 397·

Sed tamen Nicomediensem Martyrem omnes agnoscunt, ac multis certaminibus sub Maximiano palmam adeptum putant. auctor Menologii Basiliani mansisse ad aevum usque suum Nicomediae testatur quasdam sanguinis et lactis maculas, quod amputato capite emiserat: ὅπερ, inquit, μεχρι της σημερον φαινομενον, παρεχει τοις προσερχομενοις πασι πιςοις ιαματα. (*) atque hunc Martyrem esse, quem Theodoretus (4) cum clarissimis illis numerat, quorum jamdiu sollemnia passim celebrabantur, Tillemontius non ambigit, (5) quod alius hujus nominis Martyr non occurrat: quamquam Silburgius admonuerat, (6) se nomen Παντελεημονος in uno Augustano codice reperisse. ceterum, quaecumque ejus loci sit lectio, Δημοθοιναι illae Theodoreti, ut semel moneam, Kalendarii nostri aevo sublatae jam erant: jamdiu enim esse desierant, quales ab eo describuntur, (7) earumque tollendarum justa Episcopis caussa fuerat. de quo argumento Muratorii Disquisitio in *Anecdotis* ejus est, cui titulum scripsit *De Agapis sublatis*.

II. Actam hodie Constantinopoli Synaxin in Pantaleemonis templo, Menaea indicant: Τελειται δε ἡ αυτȣ Συναξις εν τη αυτȣ επωνυμω Εκκλησια. controversia autem est, quot numero aedes illi sacrae in regia urbe fuerint. nam minus liquet, eandem ne omnes, qui meminere, an diversam designent. binas tamen demonstrare videtur Codinus, alteramque Theodorae Aug. Iustiniani uxoris opus facere, (8) alteram Nicolai Patricii. (9) suam Zonaras quoque memorat, quam Narseti tribuit, (10) qui sub Phoca rebellavit. at extra urbem alia sine dubio stabat ad promontorium in freto, Euxinum versus, quam Iustinianus Procopio teste, (11) quia vetustate corrupta fuerat, a solo restituit, et omni cultu exornavit. erit vero, quantum ego opinione auguror, tempus, quo tantorum operum, quae regiam urbem ornabant, vestigia persequi, et accuratius loca quaeque describere nostris hominibus liceat: quum barbaris, ut speramus, ejectis, et aditu fortissimorum exercituum victoriis patefacto, artes quoque et disciplinae eo tandem religione duce redibunt, ac Principali patrocinio suffulta eruditio obstructum nihil aut inaccessum offendet.

(*) *Quod hodie etiam cernitur, et iis omnibus, qui religiose accedunt, remedia praebet.*
(4) Ελλην. παθημ. serm. VIII. de MM. in fin.
(5) ibid. p. 156.
(6) in not. ad edit. suam p. 190.
(7) v. Comm. ad diem XXVIII. Iun. p. 134.
(8) ex Or. CP. p. 52.
(9) p. 48.
(10) p. 65.
(11) de aedif. l. 1. c. 9.

AD DIEM XXVIIII.

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΘ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟC ΚΑΛΛΗΝΙΚΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΛΗ
ΕΙΠΕΗ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΓΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC, ΤΑΥΤΑ ΕΝΤΕΛΛΟΜΑΙ ΥΜΙΝ, ΙΝΑ ΑΓΑΠΑΤΕ ΑΛΛΗΛΟΥC (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ CA. ΤΗC Γ ΕΒΔΟΜΑΔ. ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Graeci Latinique hoc die Callinicum honorant; sed in horum Fastos sero relatum constat, apud illos jamdiu clarus erat, ac templum Gangris in Paphlagonia habebat, ubi martyrium fecit. in eo enim sanctum Macedonium, qui ab Anastasio Aug. in exsilium ejectus fuerat, sepultum esse, Theophanes tradidit. (1) Acta ejus a Metaphraste esse putantur, (2) quorum auctoritatem elevat Tillemontius, (3) utut ab antiquo scriptore et Martyris prope aequali desumpta videri possint.

Quo tempore vixerit Callinicus, Menologia non definiunt, neque in Actis indicium aliud, quam hoc, Της ειδωλικης μανιας επικρατουσης, unde Acta exordium ducunt. nam judicis, cui nomen Sacerdoti erat, quique eum Ancyrae primum in quaestionem abripuit, ignota aetas est. de patria hoc accepimus, (4) Martyrem e Cilicia fuisse. Baronius tamen numerare Callinicum videtur inter eos Martyres, qui Decianae cladis temporibus per Asiam sublati sunt. nam ad oram Martyrologii sui hoc die adnotavit, se de Callinico in Annalibus egisse. (5) verum in his de alio omnino sermo est, quemadmodum socii Martyres declarant, quorum nos etiam ad diem XIII. mensis Decembris mentionem fecimus: quique in Florentinii etiam Martyrologio occurrunt ad diem XXVII. et XXXI. mensis Ianuarii.

Addit idem, *Olim autem festum sancti Callinici celebrari solitum fuit* VIII. *kal. Novembris, ut apparet ex Actis sacrosanctae Synodi Chalcedonensis. ea enim die sexta Actio ejus Concilii est habita.*

(1) in Chronogr. p. 138.
(2) v. Pin. T. VII. Iul. a p. 39.
(3) Mem. Eccl. T. V. p. 798.
(4) in Menol. Basil. et Sirlet.
(5) ad an. 254. n. 22.

Digitized by Google

ta. at haec omnino ex errore scripta sunt. celebrata quidem est Actio vI· ut in ipso exordio legimus, *τη προ οκτω καλανδων Νοεμβριων*, at non die Martyri huic dicato, sed *εν τη ἁγιωτατη Εκκλησια της ὁσιας ϗ Καλλινικȣ Μαρτυρος Ευφημιας*, quae Martyr alias etiam ab iisdem Patribus Chalcedonensibus Καλλινικος appellatur, id est *bona victrix*, sive *invicta*: utriusque enim generis est ea vox, ut aliae apud Graecos Latinosque multae. inde factum, ut dies ille Callinico huic nostro dicatus putaretur.

iI· Aedem Callinico sacram urbs quoque regia habuit, eamque geminam, si Menaeis fides. *Τελειται δε ἡ αυτȣ Συναξις πλησιον της Ιȣςινιανȣ γεφυρας, ϗ πλησιον τȣ Πετριȣ*. ac primam quidem illam ad pontem Barbyzae sitam antiquis temporibus exstructam fuisse, confirmat Porphyrogennetes, (6) qui eandem a Basilio Macedone refectam scripsit. de altera, quae in Petrio ponitur, nihil compertum habeo.

(6) In avi vita c. 63.

AD DIEM xxx·

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Λ ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΣΤΡΑΤΙΩΤΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΑΗ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟΣ ΤΟΙΣ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙΣ, ΤΑΥΤΑ ΕΝΤΕΛΛΟΜΑΙ ΟΙΜΙΝ, ΙΝΑ ΑΓΑΠΑΤΕ ΑΛΛΗΛΟΥΣ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΣΑ· ΤΗΣ Γ ΕΒΔΟΜΑΔ· ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Multis olim placuisse Ioannis et Petri et Paulli nomina, scripsit Dionysius Alexandrinus: (1) *Πολλȣς δε ὁμωνυμȣς Ιοαννη τῳ Αποςολῳ νομιζω γεγονεναι· οἱ δια την προς εκεινον αγαπην, ϗ το θαυμαζειν ϗ ζηλȣν, αγαπηθηναι τε ὁμοιως αυτῳ βȣλεσθαι απο τȣ Κυριȣ, ϗ την επωνυμιαν την αυτην ησπασαντο· ὥσπερ ϗ ὁ Παυλος πολυς ϗ δη ϗ ὁ Πετρος εν τοις των πιςων παισιν ονομαζεται*. in horum nu-

 me-

(1) apud Eus. Hist. Eccl. vII. c. 25. *Ac plurimos quidem fuisse opinor Ioanni Apostolo cognomines: qui propter singularem erga illum benevolentiam, et quod hominem mirarentur ac suspicerent, et perinde, ac ille, a Domino diligi ambirent, hoc cognomentum adamaverint: quemadmodum ex fidelium liberis multos Paulli Petrique nominibus appellatos videmus.*

mero et Ioannes hic noster haberi possit, professione quidem miles, at animo et factis Christianus. titulus Menologii Basiliani lauream martyrii non tribuit: cui congruit inscriptio Menaeorum Bibliothecae Ambrosianae: *Μνημη τȣ μακαριȣ Ιωαννȣ τȣ Στρατιωτȣ*. Sed in Kalendario nostro legitur *Αϑλησις*, quae vox martyrium designat. nec discrepant Ephemerides Moscae, in quibus sago et chlamyde indutus, crucem insigne Martyrum praefert: cui propterea Papebrochius adscripsit *Miles Martyr*.

Ceterum Acta desiderantur, quorum loco Sollieri commentarius esse debet. (2) auctor Menologii Basiliani meruisse Ioannem scribit *επι Ιȣλιανȣ τȣ παραβατȣ*, quumque ad Christianos comprehendendos mitteretur, nemini fugam interclusisse, et multorum etiam inopiam suppeditato victu levasse. haec si Iuliano nota fuere, viam Ioanni ad martyrium munire potuerunt. quia vero Iulianus martyrii laudem Christianis invidebat, sic fortasse Ioannem sustulit, ut alia mortis caussa esse plerisque videretur. itaque factum est, ut eum pauci Martyrem praedicarent.

II. In eodem Menologio sepultus dicitur Ioannes *εν τοπῳ, ενϑα ϗ οἱ ξενοι ετιϑεντο*; at in urbe ne regia, an alibi, non explicat: sed tamen de Constantinopoli sermonem esse pro certo habeo. nam ibidem ad portam, qua itur Hadrianopolim, erat *Πολυανδριον*, unde et Porta Polyandrii dicebatur. scio, Codinum tradere, huic nomen a virorum multitudine impositum, qui Theodosii iunioris aevo collapsos muros ad eam usque Portam intra diem sexagesimum refecerunt: (3) sed interpretatio Codini inepta est, quam ipsa scilicet appellatio repudiat: nam *Πολυανδριον* nil aliud Hesychio, quam *ταφος πολυχωρητος, μνημα*: Suidae vero, quod magis etiam favet, *το ϑρυλλȣμενον παρα πολλοις ξενοταφιον*.

Tum quae in Menologio sequuntur, apertius urbem eandem indicare videntur: haec quippe de sacri Corporis inventione legimus: (*) *Εγνωσϑη δε ὑςερον γυναικι τινι δι' αποκαλυψεως· ὁς αυτῃ επιςας, την τε εν τῳ βιῳ πραξιν αυτȣ, ϗ ὁ επεκεκλητο ονομα, διεσαφησε. ϑαυματȣργων δε ϗ αλλα πολλα, επεχει ϗ τȣς δρασμȣς των δȣλων*. haec certe melius de ipsa urbe regia, quam de alia quacumque explicentur.

Enim-

(2) T. VII. a p. 148.
(3) v. Cang. CP. Chr. l. 1. p. 51.
(*) *Novissime autem mulieri cuidam per visionem innotuit: ei enim apparens vitae actus nomenque suum indicavit: miracula autem plurima patrat, sed servorum in primis fugam cohibet.*

Enimvero qui haec probet, facile et illud dabit, sacrum Ioannis Martyris Corpus e Polyandrio in templum Ioannis Evangelistae esse translatum. nam in Synaxario Claromontano scriptum est Η δε τουτου Συναξις τελειται εν τῳ σεπτῳ Αποςολειῳ του ἁγιου Αποςολου ϗ Ευαγγελιςου Ιωαννου του Θεολογου, πλησιον της αγιωτατης μεγαλης Εκκλησιας, de quo jam diximus ad diem xxvI. mensis Septembris.

AD DIEM xxxI.

MENSIS IVLII

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΛΑ ΕΙC ΤΗΝ ΠΡΟCΚΥΝΗCΙΝ ΤΩΝ ΤΙΜΙΩΝ ΞΥΛΩΝ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΤΚΘ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΤΟΥ ΗΓΕΜΟΝΟC ΟΙ CΤΡΑΤΙΩΤΑΙ ΠΑΡΑΛΑΒΟΝΤΕC ΤΟΝ ΙΗCΟΥΝ ΕΙC ΤΟ ΠΡΑΙΤΩΡΙΟΝ CΥΝΗΓΑΓΟΝ ΕΠ'ΑΥΤΟΝ ΟΛΗΝ ΤΗΝ CΠΕΙΡΑΝ ✠ κ. τ. λ.

I. Apud recentiores Graecos aut nulla hodie sanctae Crucis mentio fit, ut in Menologio Basiliano et Sirletino, aut proxima tantum sollemnitas enunciatur, quae die primo Augusti celebrabatur, ut in Menaeis, in quibus hic occurrit titulus, Προεορτια του τιμιου ϗ ζωοποιου Σταυρου. diem tamen in Kalendario nostro signatum agnoscere videntur Menaea Bibliothecae Ambrosianae, unde Bollandianis multa excerpere licuit: nam hi ad diem xxx. Iulii in *Praetermissorum* serie haec referunt: (1) *Egressio Crucis a palatio (intellige Constantinopolitano) et accessus juxta magnam Ecclesiam* etc. *donec tandem per totam urbem circumferatur contra morbos hoc mense quam aliis frequentiores, intelligitur ex Menaeis nostris Mss. excerptis e Bibliotheca Ambrosiana*. nimirum pridie prolatam Crucem esse declarant, ut in Sophianum templum delata, hodierno die ibidem proponeretur, et προσκυνησις fieret, quam Kalendarium nostrum designat.

Quum autem certam Adorationis caussam demonstrari videamus, ut nempe ingruentes per aestatem morbi depellerentur, alia quaerenda non est, quam nec facile quisquam indicare potuerit. nam si quis suspicari velit, institutam hujus diei celebritatem ad me-

(1) T. vI. Iul. p. 129.

memoriam retinendam Crucis in caelo a Constantino visae, dies nequaquam congruit: ostentum enim illud refertur in diem VI. kal. Novembres. (2) sin diem agi anniversarium malit τȣ εν ȣρανιοις φανεντος σημειȣ τȣ Σταυρȣ εκ φωτος εν Ιεροσολυμοις οφθεντος, de quo exstat epistola Cyrilli Hierosolymitani ad Constantium Aug. (3) prodigium item hoc ad diem alium pertinet, quem idem Cyrillus accurate in eadem epistola consignavit: (4) Εν γαρ, inquit, ταις ἁγιαις ταυταις ἡμεραις της ἁγιας Πεντηκοςης, Νοναις Μαϊαις περι τριτην ὡραν παμμεγεθης Σταυρος εκ φωτος κατεσκευασμενος, εν ȣρανῳ, ὑπερανω τȣ ἁγιȣ Γολγοθα, ϗ μεχρι τȣ ἁγιȣ ορȣς των Ελαιων εντεταμενος εφαινετο. neque vero Crucis de Persis receptae memoria hodie celebrata est, quae in Martyrologio Labbeano et Corbejensi, item in aliis, agitur XIII. kal. Septembres, hoc titulo, *Hierosolymis Reversio sanctae Crucis*.

II. At erit fortasse, qui censeat, diem hunc *Inventioni* recolendae adtributum esse: neque enim in toto Kalendario de hac uspiam injecta mentio est. verum, ne in reliquis quidem Graecorum Fastis sollemnitatis ejus vestigia ulla reperias; sive quod Festum hujusmodi Graeci non haberent, sive quod certo statoque die non agerent, eique, ut putavit Baronius, (5) tertium a Paschate diem adsignassent: quamquam id apud Hierosolymitanos tantum obtinuisse recte statues, Paullinum Nolanum sequutus, (6) qui haec testata reliquit: *Ita*, inquit, *ut Crucem Christi decuit, experimento resurrectionis inventa et probata Crux Christi est, dignoque mox ambitu consecratur condita in passionis loco basilica, quae auratis corusca laquearibus, et aureis dives altaribus, arcano positam sacrario Crucem servat, quam Episcopus urbis ejus quotannis, quum Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium promit.*

(2) v. Iacut. Hist. Cruc. Const. p. 68.
(3) in Oper. Cyrill. post Catech.
(4) ibid. n. 4. *Nam in his sanctis sanctae Pentecostes diebus, nonis Maiis circiter horam tertiam Crux permagna e luce constructa, in caelo super sanctum Golgotham, et usque ad sanctum olivarum montem expansa apparuit.*
(5) in Martyr. ad diem III. Maii.
(6) epist. XI. ad Sever.

COM-

COMMENTARIORVM DIVRNORVM

LIBER XII.

AD MENSEM AVGVSTVM

VLtimus quoque anni Graeci mensis in Kalendario nostro festos dies habet quindecim: quorum quidam in regia orbe praecipui, maximeque digni, quos commentatione illustremus. nec ceteros tamen tamquam ad exitum properantes praeteribimus: quum in iis etiam quaedam adnotari non minus intersit.

AD DIEM I.

MENSIS AVGVSTI

ΜΗΝΗ ΑΥΓΟΥϹΤΟΥ Α ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΚΚΑΒΑΙΩΝ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠϚ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙϹ, ΙΔΟΥ ΕΓΩ ΑΠΟϹΤΕΛΛΩ ΥΜΑϹ ΩϹ ΠΡΟΒΑΤΑ ΕΜΜΕϹΩ ΛΥΚΩΝ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΑΙΩ ΚΒ ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Latinis aeque ut Graecis, antiquum est Festum Machabaeorum: quippe tam in Kalendario Carthaginiensi, quam in Polemei Silvii laterculis indicatum videmus, ne dum in Kalendario Neapolitano, quod Graecorum Fastos saepe imitatur. Ambrosius vero in epistola ad Theodosium, quae quadragesima est primae clas-

classis ; monachos memorat, qui *psalmos canentes ex consuetudine usuque veteri pergebant ad celebritatem Machabaeorum Martyrum*. titulum Festi in Menaeis de more ampliorem invenies: Των ἁγιων ἑπτα Μαρτυρων των Μακκαβαιων ϗ τȣ διδασκαλȣ αυτων Ελεαζαρȣ, ϗ της μητρος αυτων Σολομονης. porro nomen matris, της ἁγιας Σολομωνιδος, legimus etiam in Menologio Basiliano ; in antiquioribus non occurrit : ut Gregorio Nazianzeno et Ioanni Chrysostomo, qui eam summis laudibus celebrarunt, ignotum fuisse videatur.

Non ubique tamen actam Machabaeorum memoriam, docet nos idem Nazianzenus in ipso orationis exordio: (1) Τι δε οἱ Μακκαβαιοι; τȣτων γαρ ἡ παρȣσα πανηγυρις, ȣ παρα πολλοις μεν τιμωμενων, ὁτι μη μετα Χριςον ἡ αθλησις, πασι δε τιμασθαι αξιων, ὁτι περι των πατριων ἡ καρτερια. neque affirmare licet, orationem ab eo Constantinopoli pronunciatam esse: loci enim indicium in ea nullum est, quod jam Tillemontius animadvertit, (2) nec ab iis, qui commentarios in eum scripserunt, quidquam de ea re adnotatum invenio. at certe Festum sollemne erat apud Antiochenses, ut Chrysostomus declarat initio homiliae primae εις τȣς ἁγιȣς Μακκαβαιȣς, ϗ εις την μητερα αυτων. (3) sic enim orationem illam incohavit: Ὡς φαιδρα ϗ περιχαρης ἡμιν ἡ πολις ϗ τȣ παντος ενιαυτȣ λαμπροτερα ἡ σημερον ἡμερα, ȣ τȣ ἡλιȣ φανερωτεραν ακτινα της εωθινης προς την γην αφιεντος σημερον, αλλα τȣ φωτος των ἁγιων Μαρτυρων ὑπερ αςραπην απασαν την πολιν ἡμιν καταυγασαντος. quae autem ad martyrium pertinent, e divinis maxime libris collecta exhibet et illustrat Sollierus. (4)

II· Quis in urbe regia aedem sanctis hisce Martyribus dedicarit, adhuc ignoramus: exstitisse tamen Heraclii Aug. aevo, exploratum est. ejus enim mentio fit in Chronico Alexandrino: (5) Ελθοντων πλησιον τȣ σεβασμιȣ οικȣ των ἁγιων Μακκαβαιων περαν εν Συκαις, quae XIII· urbis regio erat, quam *Iustinianas* appellabant.

A D

(1) Orat. 22· p· 397· *Quid autem Machabaei? horum enim nomine diem hunc festum agitamus: qui quamvis apud multos non honorentur, quia non post Christum decertarunt, digni tamen sunt, qui ab omnibus honore afficiantur, quoniam pro legibus institutisque patriis fortem animum praestiterunt*·

(2) Mem· Eccl· T· VIII· p· 393·

(3) Oper· T· II. p· 622· *Quam speciosa nobis et laeta civitas? quam toto anno splendidior haec dies? non sole clariores, quam more solito, radios in terram effundente, sed sanctorum Martyrum luce plus, quam fulgur, totam nobis civitatem irradiante*·

(4) T· 1· Aug· a p· 5·

(5) anno XIIII· Heracl· Aug·

A D   D I E M   I I.

M E N S I S   A V G V S T I

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Β. ΑΘΛΗϹΙϹ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ Ζ ΠΑΙΔΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΕΦΕϹΩ .

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ϹΝ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙϹ,
ΠΡΟϹΕΧΕΤΑΙ ΑΠΟ ΤΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ
ΜΗΝΗ ϹΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Κ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Hactenus tres potiſſimum dies, alium ab aliis, honori ſeptem Dormientium dicatos eſſe apud Graecos ſciebamus, diem ſcilicet quartum menſis hujus, quo memoria eorum colitur in Menologio Sirletino, quod Menaea ſequuntur, diem Octobris viceſimum ſecundum, quo in communi Menologio cientur, ac diem viceſimum tertium ejuſdem menſis, quo memorantur in Baſiliano itemque in codice Barberino. quartus his accedit hodiernus ex Kalendario noſtro, quem aliis in Faſtis nuſquam conſignatum inveni. ſic apud Latinos non unus arriſit dies: nam Kalendarium Vaticanum (1) ad diem XXVII. menſis Iunii ſic meminit, *In Epheſo revelatio ſanctorum* VII. *dormientium*, quo die item de his agunt Rabanus, Notkerus, Ado vulgatus. contra Vſuardus tribuit his diem XXVII. Iulii, quem diem Martyrologium Romanum adhuc ſervat. demum in codice Corbejenſi apud Florentinium adſignatur eiſdem dies decimus menſis Auguſti, his verbis, *In Epheſo Natalis ſeptem dormientium*. hujuſce autem varietatis cauſſae afferri ſolent illae, quod alii diem martyrii ſequuti ſint, alii Inventionem Reliquiarum aut Tranſlationem celebrare voluerint, quidam etiam templi Dedicationem potius recolendam exiſtimarint.

Iam horum Acta, qualiacumque ad nos uſque pervenere, apud Bollandianos (2) recognoſcere potes. nomina vero non eadem omnia apud Graecos, quae apud Latinos. In Menologio Baſiliano initium ellogii eſt hujuſmodi: Ουτοι οἱ ἁγιοι Μαξιμιλιανος, Ιαμβλιχος, Μαρτινιανος, Διονυσιος, Ιωαννης, Κωνςαντινος ϗ Αντωνινος ὑπερχον επι Δεκιυ τυ βασιλεως εν Εφεσῳ. at in ectypis Muſei Victorii e ve-

(1) Cod. 3806.

(2) T. VI. Iun. a p. 37.5

e veteri gemma, quae Kalendarii nostri aetati suppar habetur, (3) haec singulis Martyribus singula nomina leguntur adscripta, *Constantinus*, *Maximianus*, *Ioannes*, *Malchus*, *Martinianus*, *Danesius*, *Saerapio*.

Idem porro monumentum duo nos docet, primum, Martyres eos habitos esse, alterum, pueros fuisse, ab aetate, non a servitute sic appellatos. nam et martyrii instrumentum quisque refert appositum, clavam aut facem aut securim, simulque caput exhibet nimbo cinctum, quem veteres caelestium insigne esse voluerunt: tum quisque puerili aetate effictus est, ut vix ephebi fuisse putandi sint. itaque ille gemmae scalptor nihil etiamtum inaudierat de longo illo somno, cui sese dedisse ferebantur, in spelunca prope Ephesum abditi, quo tempore Decius in Christianos saeviebat: qui demum somnus casu excussus esset Theodosii iunioris aetate, aperta forte spelunca, in quam ducentos ante annos confugerant. neque enim vivis etiamtum et dormientibus instrumentum illud mortis, quam non subiissent, addidisset.

Ceterum sic quemque expressit scalptor, velut si placide omnes dormirent. Christianus quippe artifex norat, quam saepe mors sacris in litteris somnus dicatur, utque conditoria Martyrum Κοιμητηρια a dormiendo appellata essent: tum beatissima maxime in pace Martyres quiescere duxit, quorum corpora caelo destinata certam immortalitatem adeptura sint bonorum omnium adquisitione suavissimam. nihil autem planius, inde famam ortam esse, septem hosce Martyres sub Theodosio iuniore experrectos, rursum omnes in hominum lucem venisse, quod sub illius principatu corpora eorum integra reperta essent, et in templum translata omnium se oculis prodidissent: quumque nummi cum Decii Aug. imagine in crumenis eorum inventi essent, totam denique historiam esse confictam, et a Graecis primum, postquam illud scribendi genus adamare coeperant, litteris consignatam, in Latinorum quoque manus, qualis nunc legitur, transmissam esse.

II. At totum hocce septem Dormientium commentum post saeculum septimum, non ante, passim esse receptum, Kalendarii nostri titulus prope demonstrat. nam et martyrium diserte enunciat, et nullam de Martyrum somno mentionem facit: Αθλησις των

(3) in Diss. ed. Romae an. 1741.

ταν ἁγιων Ζ παιδων των εν Εφεσῳ. nec minus certamen Martyrum designat praescripta Evangelii lectio, atque ille maxime locus, Εγω γαρ δωσω ὑμιν ϛομα ϗ σοφιαν, et qui proxime sequitur, Παραδοθησεσθε δε ϗ ὑπο γονεων ϗ αδελφων, et illa Και θριξ εκ της κεφαλης ὑμων ȣ μη απεληται, quae ad corporum intactorum inventionem spectare videntur.

III. Memoriam horum Martyrum apud nationes plerasque in honore fuisse, Bollandianorum commentarius, quem Actis praeposuere, satis abundanter declaravit. ex Kalendario autem nostro Constantinopolitanos ipsos non ultimos eorum cultores fuisse discimus: quamquam de templis monumentisque honori eorundem dicatis intra urbem regiam nihil mihi hactenus investiganti reperire licuit.

AD DIEM V.

MENSIS AVGVSTI

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Ε ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΗϹ ΑΓΙΑϹ ΙΑϹ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ϹΚΕ
ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΔΙΗΡΧΕΤΟ Ο ΙΗϹΟΥϹ ΤΗΝ
ΙΕΡΙΧΩ, ΚΑΙ ΙΔΟΥ ΑΝΗΡ ΟΝΟΜΑΤΙ ΚΑΛΟΥΜΕΝΟϹ
ΖΑΚΧΑΙΟϹ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΚΥΡ. ΙΕ ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Bis de Ia Martyre meminit Menologium Basilianum, nempe die III. mensis hujus, et die XI. mensis Septembris: nec dubium, unam eandemque esse, quae utrobique laudatur. Latini a Baronii aetate recolunt III. nonas Aug. quem diem Menologium Sirletinum Martyrologii Romani censoribus indicaverat. capta autem dicitur Ia in finibus Romanis, et in Persidem abducta, illic martyrium fecisse εν τῳ πεντηκοϛῳ τριτῳ ετει της βασιλειας Σαβωριȣ: quem annum designant Syriaca etiam Acta Evodii Assemani; (1) arbitraturque Pinius (2) respondere anno Christiano CCCLX.

Controversia est, alia ne sit Ia, an eadem illa Martyr, quae in Menaeis *Eudocia* appellatur. Nam nihil inter se differunt, quae de utraque leguntur. (3) si unam autem eandemque esse cum Pinio statuamus, Reliquias quoque ejus, pridie hujus diei, Con-

Aa 2 stan-

(1) MM. Orient. T. 1. p. 134.
(2) T. 1. Aug. p. 328.
(3) v. Pin. ibid.

stantinopolim relatas esse fatendum erit. hunc enim titulum die III. hujus mensis Menaea habent: Η ανακομιδη των λειψανων της οσιας μητρος ημων και Μαρτυρος Ευδοκιας. nec appellatio illa της οσιας μητρος ημων repugnat, quae anum fuisse Eudociam significat: quippe et Ia provecta aetate martyrii lauream adepta dicitur, πρεσβυτατην εχουσα την ηλικιαν. (4) Translationis quoque designandae caussa praescriptum hodie apparet, ut Zacchaei Evangelium legeretur, in quo illa occurrunt, quae de sacris Reliquiis in urbem inlatis quadantenus explicari possent, Σημερον γαρ εν τῳ οικῳ σου δει με μειναι. και σπευσας κατεβη, και υπεδεξατο αυτον χαιρων. nec illa minus, Οτι σημερον σωτηρια τῳ οικῳ τουτῳ εγενετο.

II. Nec vero sacrae aedis honore apud Constantinopolitanos Iam Martyrem caruisse quis putet. stabat enim aedes nomini ejus dicata ante Iustiniani tempora: quam ab hoc restitutam esse Procopius testatur: (5) idemque urbem ingredientibus ad laevam Portae Aureae sitam fuisse tradit, quae prima ad meridiem patebat, a Theodosio magno exstructa, et ab aureis ornamentis Χρυση Πορτα appellata fuerat. (6)

(4) In Men. Bas. die 4. Aug.
(5) de aedif. lib. 1. c. 9.
(6) v. Cang. CP. Chr. lib. 1. p. 52.

A D D I E M VI.

M E N S I S A V G V S T I

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Ϛ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΕΤΑΜΟΡΦΩϹΙΝ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΗΜΩΝ ΙΗϹΟΥ ΧΡΙϹΤΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΟΒ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ✠ ΠΑΡΑΛΑΜΒΑΝΕΙ Ο ΙΗϹΟΥϹ ΤΟΝ ΠΕΤΡΟΝ ΚΑΙ ΙΑΚΩΒΟΝ ΚΑΙ ΙΩΑΝΝΗΝ ΤΟΝ ΑΔΕΛΦΟΝ ΑΥΤΟΥ, ΚΑΙ ΑΝΑΦΕΡΕΙ ΑΥΤΟΥϹ ΕΙϹ ΟΡΟϹ ΥΨΙΛΟΝ κ. τ. λ.

I. Antiquam in Graeca Ecclesia diei hujus sollemnitatem produnt orationes Patrum, quas post Fabricium (1) Assemanus (2) ab Ephraemo Syro exorsus permultas enumerat. at serius apud Latinos instituta videtur, quum Sollierus (3) eam primum a Vuan-

(1) Bibl. Gr. T. VIII. p. 88.
(2) Kal. un. T. VI. p. 518.
(3) ad Vsuard. hoc die.

Vuandelberto cieri affirmet, qui Lotarii Aug. aequalis fuit. ejusdem autem aetatis est Kalendarium Neapolitanum, in quo item Festi hujus mentio fit: nec majoris antiquitatis haberi potest Kalendarium Hieronymianum Lucense, in quo id consignatum reperit Florentinius. (4) neque eundem diem Latini omnes servarunt, quum alii diem XXVI. alii XXVII. mensis Iulii adtribuerint. (5)

Ipsa porro Festi celebritas apud Graecos potissimum magna admodum erat: nam et pridiana sollemnia agebant. itaque in Menaeis ad diem V. leges: Προεορτια της ἁγιας Μεταμορφωσεως τȣ Κυριȣ ϗ Θεȣ ϗ Σωτηρος ἡμων Ιησȣ Χριϛȣ. num id apud Latinos etiam diu obtinuerit, non teneo: sed aliquandiu receptum ostendit Georgius: (6) *Miſsale*, inquit, *plenarium Vaticanum* MMMMDCCLXX. *ad diem* V. *Auguſti Miſſam habet* In Vigilia Transfigurationis Domini nostri Iesu Christi; *et die* VI. *Miſſam de eadem* Transfiguratione *cum orationibus et praefationibus propriis utroque die*.

Illud Graecorum tantummodo proprium, ut Festum in plures dies protraherent, quod me Niconis Pandectes edocuit: (7) Των Ιεροσολυμων μεν το Τυπικον ἡμερας οκτω ἑορταζει, των δε Στȣδιων τεσσαρας. ceterum haec sequiosis aevi consuetudo habenda est.

II. Actam hodie memoriam sanctae Transfigurationis in templo Sophiano, extra controversiam esse arbitror. ibidem enim Dominicae sollemnitates pleraeque omnes celebrabantur, ut alibi ostendimus. quin et Constantinus ille, quicumque fuit, qui opus *de caeremoniis Aulae Byzantinae* conscripsit, satis antiquus auctor, haec litteris mandavit: (8) Επι δε της ϛ τȣ Αυγȣϛȣ μηνος ἡμερας εκτελειται ἡ Προελευσις μετα αλλαξιματος εν τῃ μεγαλῃ τȣ Θεȣ καθολικῃ Εκκλησιᾳ, additque, post sacra sollemnia convivium ibidem publicum Augusto et amicis ejus apparari.

Evangelii demum lectio hodie eadem Graecis, quae Latinis, ex Matthaeo, qui prodigium illud Thaboris primus edisseruit: Thaboris, inquam, montis Galilaeae, *in quo tranſfiguratus est Dominus*, ut Hieronymi (9) sententia fert, quam scriptores pro-

pe

(4) Vetust. Mart. p. 735.
(5) v. Georg. in Adone ad hunc diem.
(6) ibid. p. 356.
(7) apud Cotel. M. E. Gr. T. III. p. 443.
(8) lib. II. c. 52. p. 450. *Sexto autem die mensis Auguſti fit Proceſsio cum permutatione vestium ad magnam Dei Catholicam Ecclesiam*.
(9) Epist. 108. ad Eustoch. n. 13.

pe omnes sequuntur. ipsum Matthaei locum egregio in primis commentario declaravit exornavitque Chrysostomus, quem et legisse intersit. (10)

(10) hom. 56. in Matth. Op. T. VII. a pag. 565.

AD DIEM VII.

MENSIS AVGVSTI

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Ζ ΜΝΗΜΗ ΤΩΝ ΑΒΑΡΩΝ ΕΝ ΒΛΑΧΕΡΝΑΙϹ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΡΚΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΚΔ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ✠ ΕΧΕΤΕ ΠΙϹΤΙΝ ΘΕΟΥ ✠ ΑΜΗΝ ΓΑΡ ΛΕΓΩ ΥΜΙΝ ✠ ΟΤΙ ΟϹ ΑΝ ΕΙΠΗ ΤΩ ΟΡΕΙ ΤΟΥΤΩ κ. τ. λ.

I. Heraclio Aug. bellum adversus Persas gerente, Chaganus dux Avarum, sive, ut a Suida appellatur, ὁ αρχηγος των Σκυθων, barbaris undique excitis, Constantinopolim obsedit, foedere violato Persis obsequutus, quos hostes habere debebat. jamque turres machinasque moenibus admoverat, et quantum erat spatii a porta Polyandrii ad portam τȣ Πεμπτȣ, milite occuparat: (1) Blachernas etiam tenebat, quae tum extra urbis muros erant. interea, ut est in Menologio Basiliano, Λιτανευσας ὁ τȣ Θεȣ λαος, ϗ ὁ Πατριαρχης (is erat Sergius, qui ad Monotheletas descivit) βαςαζοντες την εικονα της ὑπεραγιας Θεοτοκȣ, ηφανισε τȣς πολεμιȣς. (*) in ipsa autem pugna Chaganus dixisse ferebatur, (2) Εγω θεωρω γυναικα σεμνοφορȣσαν, περιτρεχȣσαν εις το τειχος, μονην ȣσαν. itaque sanctae Genetricis Dei auxilio urbem servatam esse omnes fassi sunt, et tanti beneficii memoriam quotannis recolendam censuerunt.

Pertinent haec ad annum DCXXVI. qui Heraclii Aug. XIII. erat, et a consulatu ejusdem XV. numerabatur. Avares vero, aedibus sacris quibusdam incensis, excessisse dicuntur die VIII. mensis Augusti: sed diei hujus in Kalendario habita ratio videtur, quod hic pugnae dies fuisset. II. Qui

(1) in Chron. Alex. p. 393.

(*) *At Dei populus et Patriarcha, publicis precibus institutis, circumferentes sanctissimae Genetricis Dei imaginem, hostes exterminarunt.*

(2) in eod. Chron. p. 397. *Venerandam ego matronam video, quae sola muros percurrit.*

II. Qui haec fusius exposuit, auctor Chronici Paschalis, quod minus vere Alexandrinum dici solet, illud quoque adnotatum reliquit, barbaros in ea incursione nihil aedi Blachernarum aut sanctae Arcae nocuisse. sed tamen ingens tractus illius calamitas Principem admonuit, ut ducto muro pulcherrimum illud templum moenibus clauderet: Και απεκλεισθη εσωθεν ο ναος της παναγιας Θεοτοκȣ ϗ η αγια Σορος. πρωην γαρ εξωθεν τȣ τειχȣς ην. (*)

III. Lectio Evangelii Marcum cum Luca jungit, quod Latini facere numquam ausi. primum nempe ex Marco illa pronunciabant, Εχετε πιςιν Θεȣ, et quae deinceps, ut loco monuimus; tum illa addebant ex Luca, Κ'αγω υμιν λεγω· αιτειτε, ϗ δοθησετε υμιν, et reliqua: apposite, opinor, sed fortasse minus religiose, quia de altero Evangelio sumpta ea esse non indicabant. lege tamen quae in Lectionibus Marci variantibus adnotabimus.

Atque haec quidem Lectio erat, quam anniversariae calamitatis illius memoriae aptaverant. ipso enim calamitatis tempore ex Evangelio Lucae legebatur ab initio cap. XIII. Παρησαν δε τινες εν αυτω τω καιρω απαγγελλοντες αυτω περι των Γαλιλαιων, ὧν το αἷμα Πιλατος εμιξε μετα των θυσιων αυτων. exstabat enim Ακολȣθια εις επελευσιν βαρβαρων ϗ επιδρομας εθνων, ut videre licet in Euchologio, (3) cui deinde additus quoque est Κανων παρακλητικος εις την υπεραγιαν Θεοτοκον επι προσδοκια πολεμȣ. (4)

(*) *Clausumque intus est sanctissimae Deiparae templum et sancta Arca. antea enim extra muros erant.*

(3) Goar. p. 812.

(4) ibid. p. 813.

AD DIEM X.

MENSIS AVGVSTI

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Ι ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΛΑΥΡΕΝΤΙΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΛΗ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC, ΤΑΥΤΑ ΕΝΤΕΛΛΟΜΑΙ ΥΜΙΝ, ΙΝΑ ΑΓΑΠΑΤΕ ΑΛΛΗΛΟΥC (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ CΑ. ΤΗC Γ ΕΒΔΟΜΑΔ. ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Vt nihil sanctissimi Laurentii martyrio clarius, sic nemo unquam Martyr honores ejus et gloriam aequavit. Fasti Ecclesiarum

rum antiquissimi nomen Laurentii omnes referunt, initio ducto a Bucheri Kalendario, et Carthaginiensi et Silviano, quibuscum cetera sive Kalendaria sive Martyrologia hodie consentiunt: praeterquam quod templa honori ejus ubique dicata, quae adhuc manent, et imagines effictae, (1) quas vitrei Museorum Christianorum orbes nunc quoque exhibent. *sub Decio* martyrium ejus consummatum in Actis legimus: sed mendum in nomine esse, et *sub Valeriano* scribendum fuisse, vidit jam Baronius (2) probeque ostendit. tum de his latius in commentario suo Pinius, cetera item complexus, (3) quae invictissimi Martyris memoriam et virtutes illustrant. quamquam huic quoque accessio facta est non levis, vita a Francisco Pozzio rursus perscripta, quae Romae edita est anno M. DCC. LVI.

De patria autem Laurentii legenda tibi *Dissertatio historica* Francisci Perezii Bayeri, qui de Hispanis suis optime mereri voluit, Damaso illis et Laurentio adsertis ac vindicatis. (4) nomen fortissimo huic athletae a pueritia impositum parentes ejus a cognomine Martyre sumpsisse videri possunt, quem memorat Cyprianus epistola XXXV. quippe et notus Hispanis Africanus Martyr Laurentius esse debuit, in eorum prope conspectu lauream meritus; et in more jam apud Christianos erat, ut infantes pueros sanctorum virorum nominibus insignirent. cujus consuetudinis testem habemus Chrysostomum quoque, Antiochenos Homilia XII. in epist. I. ad Corinth. reprehendentem, quod veteres Christianos in ea re minus sequerentur. *Και γαρ ἡνικα αν καλεισθαι το παιδιον δεῃ, αφεντες απο των ἁγιων αυτο καλειν, ὡς οἱ παλαιοι το πρωτον εποιουν, λυχνους ἁψαντες, και ονοματα αυτοις επιτιθεντες, τῳ διαρκεσαντι μεχρι πολλου το παιδιον ποιουσιν ὁμωνυμον, εντευθεν πολυν αυτο στοχαζομενοι βιωσεσθαι χρονον.* (*)

II. Magnum enimvero vel apud Constantinopolitanos Laurentii nomen fuit ab ipsis Pulcheriae Augustae temporibus. nam aedes exstabat Laurentio sacra *εν Πουλχεριαναις*, quam a Basilio Macedone restitutam affirmat Porphyrogennetes: (5) eaque fuisse videde-

(1) v. Buonar. Osserv. p. 67. 103. etc.
(2) in Martyr. ad hunc diem.
(3) T. II. Aug. a p. 485.
(4) ed. Romae an. 1756.
(*) *Nam quum infanti nomen imponere oportuerit, non sanctorum nomine, ut veteres olim faciebant, illum appellant: sed accensis lucernis, quibus nomina indunt, nomen nato imponunt illius, quae diutius lucem dederit, hinc conjicientes futurum, ut diu vivat.*
(5) In avi vita c. 62.

detur, quam ab ipsa Pulcheria exstructam, Theodorus Lector perscripsit: (6) Εκτισε δε ϗ ευκτηριȣς οικȣς Πȣλχερια πολλȣς, τον εν Βλαχερναις, τον Χαλκοπρατιων, τον Οδηγων· μεθ᾽ ὧν ϗ τον Λαυρεντιȣ τȣ Μαρτυρος. nec alia est, in quam eadem Augusta Reliquias intulisse dicitur sanctorum Stephani, Laurentii et Hagnae: (7) Επι της αυτȣ βασιλειας (Theodosii fratris) απετεθησαν τα λειψανα των ἁγιων Στεφανȣ ϗ Λαυρεντιȣ ϗ Αγνης εν τῳ Μαρτυριῳ τȣ ἁγιȣ Λαυρεντιȣ, τῃ εικοςῃ πρωτῃ τȣ Σεπτεμβριȣ μηνος. cujus Translationis memoria saeculo VI. etiamtum agebatur, Theodoro eodem teste, qui tum florebat: Και τελειται, inquit, μεχρι σημερον εκεισε τῃ αυτῃ ἡμερᾳ ἡ μνημη αυτων.

Antiquam alteram aedem Laurentio dicatam stetisse εν αριςερᾳ τȣ κολπȣ, id est ad laevam sinus Ceratini, testatur Procopius, (8) qui eam a Iustiniano Aug. refectam tradit: in qua etiam particulam illam *de Craticula beati Laurentii Martyris* collocare voluisse putandus est, quam ipsum ab Hormisda Pontifice maximo per Legatos ejus Constantinopoli degentes petiisse, indicavimus ad diem XVI. Ian. monasterium praeterea de sancti Laurentii nomine appellatum sub ejusdem principatu, vel extremis Iustini senioris annis conditum in regia urbe fuisse a Theodoro Hegumeno, subscriptio hujus nos docet in libello Monasteriorum, qui in Concilio sub Mena lectus est: (9) Θεοδωρος ελεῳ Θεȣ πρεσβυτερος ϗ ἡγȣμενος μονης τȣ ἁγιȣ Λαυρεντιȣ, ὑπ᾽ εμȣ χαριτι Θεȣ συςασης, ὑπογραψας εδεηθην.

Aliam demum aedem huic nostrae similem, quae in campo Verano est, honori Laurentii apud Constantinopolitanos opere subitario exstructam fuisse, in qua post varias ambages coeco Imperatori oculi restituti fuerint, leges in Petri Damiani epistola, (10) qui rem ab Alphano Archiepiscopo Salernitanorum se audisse profitetur. ceterum bonus ille Alphanus, qui factum Constantinopoli didicerat, nec Augusti nomen tenebat, qui sanatus fuerat, nec hujus uxorem nominabat, a qua aedem illam excitatam dicebat,

Vol. II. B b nec

(6) Hist. Eccl. l. 1. n. 5. *Aedificavit autem Pulcheria et Ecclesias complures: eam scilicet, quae est in Blachernis, item eam, quae est in Chalcopratiis: aliam quoque, quae dicitur Hodegorum, item Ecclesiam sancti Laurentii Martyris.*

(7) idem lib. II. num. 64. *Eo regnante depositae sunt Reliquiae sanctorum Stephani, Laurentii et Hagnae in Martyrio sancti Laurentii die* XXI. *mensis Septembris.*

(8) de aedif. l. 1. c. 6.

(9) Act. V. apud Hard. T. II. p. 1180. *Theodorus misericordia Dei Presbyter et Abbas monasterii sancti Laurentii, a me Dei ope constituti, rogatus subscripsi.*

(10) lib. VIII. epist. 5.

nec tempus denique, quo ista contigissent, ullo modo designare poterat.

AD DIEM XIIII·

MENSIS AVGVSTI

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΔ ΕΙC ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟC ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΠΘ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC, ΕΓΩ ΕΙΜΙ Η ΘΥΡΑ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ CΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Β, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

ΑΛΛΟ ΤΗ ΑΥΤΩ ΗΜΕΡΑ ΕΙC ΤΗΝ ΠΑΝΝΥΧΙΔΑ ΤΗC ΚΟΙΜΗCΕΩC ΤΗC ΠΑΝΑΓΙΑC ΘΕΟΤΟΚΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Γ

ΕΝ ΤΑΙC ΗΜΕΡΑΙC ΕΚΕΙΝΑΙC ΑΝΑCΤΑCΑ ΜΑΡΙΑΜ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΜΑΡΤΙΩ ΚΔ, ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Is est Apameae in Syria Episcopus, Theodosii magni aetate a cultoribus idolorum necatus, quod Deorum fana, ac Iovis potissimum insigne delubrum evertisset. rem pluribus narrat Sozomenus (1) et Theodoretus, (2) a quo Marcellus appellatur *ὁ θεῖος, ζέων τῷ πνεύματι κατὰ τὴν τοῦ Ἀποστόλου νομοθεσίαν*. exstant et Martyris Acta, quae tamen Pinius, alias auctoritates sequutus, posthabuit. (3)

Meminit Marcelli hoc die tam Menologium Basilianum, quam Sirletinum, ne dum Menaea: eundemque Latini, sero tamen, in Fastos suos retulerunt. carum autem Apameensibus nomen fuisse Marcellum, alter hoc nomine indicat Marcellus ille Abbas, de quo egimus ad diem XXVIII· mensis Decembris: erat enim hic civis Apameensis, qui virtutem clarissimi Martyris alio vitae genere imitatus est.

II· Templum in regia urbe sancto huic Martyri dicatum non invenio: at sacrarium habuisse videtur in aede Ioannis Baptistae prope Sphoracii domum, de qua saepe incidit mentio. in Sirmondi enim et Chiffletii Synaxariis ad hunc diem adscriptum est, Τε-

λεῖται

(1) Hist· Eccl· l· VII· c· 15·

(2) Hist· Eccl· l· V· c· 21· *Vir plane divinus, et juxta praeceptum Apostoli, spiritu fervens*·

(3) v· T· III· Aug· a p· 115· et p· 155·

λειται δε ἡ αυτȣ Συναξις εν τῳ Προφητειῳ τȣ ἁγιȣ Ιωαννȣ τȣ Βαπτιϛȣ εν τοις Σφορακιȣ.

III. Iam idem hic dies ad sollemnitatem sequentis diei ex parte pertinet. erant hodie, ut in Menaeis legimus, Προεορτια της Κοιμησεως της ὑπεραγιας Θεοτοκȣ, vel, ut in Kalendario nostro, Παννυχις της Κοιμησεως, quae tertia est Vigiliarum, quas solas hic memorari diximus. hanc vigiliam praeibat et comitabatur jejunium, cujus institutionem valde antiquam agnoscit Anastasius Caesariensis saeculi xI. scriptor: (4) Η προ της Κοιμησεως της ὑπεραγιας Θεοτοκȣ Νηϛεια παραδεδομενη εϛιν εξ ἁγιων πατερων ϗ θειων πατριαρχων. tum id jejunium passim servatum ait, Constantinopoli praesertim, cujus sane studium erga sanctam Genetricem Dei omnibus aetatibus maxime enituit: Και εντιμως ταυτην φυλαττȣσι πασαι αἱ πολεις ϗ χωραι των ορθοδοξων, εξαιρετως ἡ μεγαλοπολις ϗ ευδαιμων Κωνϛαντινȣπολις ϗ ἡ μεγαλη Εκκλησια. erat autem jejunium dierum quindecim: quod quia solvere quidam coeperant sanctae Transfigurationis die, Leonis Sapientis lege cautum est, ut ille quoque dies esurialis haberetur. itaque ὁλη, inquit, ἡ Νηϛεια των δεκαπεντε ἡμερων φυλαττεται παρα πασι, ϗ καθαρως νηϛευεται.

(4) apud Cotel. T. III. Mon. Eccl. Gr. pag. 437. *Iejunium, quod praecedit sanctissimae Deiparae Dormitionem, a sanctis patribus divinisque Patriarchis traditum est. et honorifice illud servant cunctae urbes ac regiones orthodoxorum, praesertim magna felixque civitas Constantinopolis, magnaque Ecclesia.* et p. 438. *Integrum jejunium quindecim dierum a cunctis servatur, et jejunatur pure.*

AD DIEM xv.

MENSIS AVGVSTI

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΕ ΕΙC ΤΗΝ ΚΟΙΜΗCΙΝ ΤΗC ΠΑΝΑΓΙΑC ΘΕΟΤΟΚΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΚΒ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΕΙCΗΛΘΕΝ Ο ΙΗCΟΥC ΕΙC ΚΩΜΗΝ ΤΙΝΑ ✠ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ CΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Η, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Saeculo vIII. quo nempe Kalendarium nostrum descriptum esse ostendimus, quadraginta amplius templa hodierno die in regia urbe patebant, festo apparatu nitentia, tantae celebritatis causa.

sa. nam de quinquaginta tribus, quae Cangius enumerat, (1) pleraque omnia primis amplificatae urbis saeculis exstructa fuerant. sollemnia tamen in Blachernis potissimum acta, non est ambigendum, ubi ἁγια Σορος religiosissime servabatur. quamquam et in aede Παντανασσης, unde monasterio cuidam nomen erat, adnotat idem, celebrata esse τα ὁσια τῃ Μεταστασει της Θεομητορος: (2) nec minori ornatu cultuque diem hunc sollemnem fuisse reperio apud monasterium της κεχαριτωμενης, cujus Typicum Irene Aug. dictavit. nam capite LVIII. quod est περι της κατα την κοιμησιν της Θεοτοκȣ ἑορτης, quam et πρωτην appellat, jubet Augusta hoc die suspendi αργυρα πολυκανδηλα τα πολυφωτα, et alia hujusmodi ornamenta cum cereis et facibus, totum ut templum splendide colluceret: addi et suffimenta, siquidem Ηγȣμενῃ placuisset; tum ad monasterii ostium panes egentibus ac nummos distribui, et suas quoque sororibus sportulas in mensa dari. ceterum haec ad aetatem paullo recentiorem spectant.

Iam vero antiquissimus Festi hujus titulus est ἡ Κοιμησις της παναγιας Θεοτοκȣ, quem Latini quoque imitati sunt. nam Sergius Pont. max. ante annum DCC. ut in Libro Pontificali legimus, (3) *Constituit, ut diebus Adnunciationis Domini, Dormitionis et Nativitatis sanctae Dei Genetricis semperque virginis Mariae, ac sancti Simeonis, quod Ypapanti Graeci appellant, litaniae exeunt e sancto Hadriano, et ad sanctam Mariam populus occurrat*. tum in Martyrologiis Bedae, Adonis, Vsuardi, et in aliis item, Festum enunciatur *sanctae Mariae Dormitio*, vel, ut in Kalendariis Allatii et Frontonis, *Sollemnia de pausatione sanctae Mariae*. (4)

Nec tamen recentes appellationes sunt Μεταστασις apud Graecos, *Adsumptio* apud Latinos: antiqua imo est utraque non minus, quam Κοιμησις et *Dormitio*. in Menologio Basiliano quum lemma sit ἡ Κοιμησις της ὑπερενδοξȣ Δεσποινης ἡμων Θεοτοκȣ, in elogio scriptum est, (*) Οτε ὁ Κυριος ἡμων ϗ Θεος προσλαβειν ευδοκησε την ἑαυτȣ μητερα, δι' Αγγελȣ αυτῃ την αυτης Μεταστασιν κατεμηνυσεν. Ado autem et Vsuardus, qui hodie habent, *sanctae Mariae Dormitio*, pridie hujus diei Vigiliam sic indicant, *Vigilia Adsumptionis sanctae Mariae*. atque hanc vocem et Sacramentaria vetera

(1) CP. Chr. l. IIII. a p. 82.
(2) ibid. p. 94. n. 32.
(3) T. I. p. 313. n. 14. ad Vignol.
(4) v. Sollier. in Vsuard. ad hunc diem, Item Georg. in Adon. p. 407.

(*) *Quum placuisset Deo Genetricem suam ad se adsumere, ipsi per Angelum Translationem ejus adnunciavit.*

vetera et pleraque Martyrologia usurpant, quae cuique recognoscere licet. in quibusdam vero binas esse sollemnitates reperias, ut mortis quidem memoria agatur die xvIII. mensis Ianuarii, Adsumptionis hoc die. (5)

Inde porro, quid Latinis esset *Adsumptio*, satis apparet; nec dubium, idem fuisse, atque Graecorum Μεταςασιν. at rem melius sollemnes Ecclesiae precationes et Patrum scripta declarant. ecce tibi ex Sacramentario Gregoriano obsecrationis formulam huic diei adsignatam: *Veneranda nobis, Domine, hujus diei Festivitas opem conferat salutarem, in qua sancta Dei Genetrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum de se genuit incarnatum: qui tecum vivit etc.* ejusdem autem Gregorii magni aevo scribebat alter Gregorius, Episcopus Turonensis: (6) *Dominus susceptum Virginis Corpus sanctissimum in Paradisum deferri jussit, ubi nunc resumpta Anima cum electis ejus exultans aeternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur.*

II. Quid Graeci? vel tum etiam, quum Festum hodiernum Κοιμησιν appellabant, Festum Adsumptionis nihilo secius se agere profitebantur, et sacrum Virginis Corpus caelo receptum hoc die esse credebant. editam jamdiu habemus orationem sancti Modesti, qui Zacharia Patriarcha anno DCXIII. in Persidem abducto, vicaria potestate Hierosolymitanis diu praefuit, eoque demortuo, Patriarcha factus est. eam nempe rogatu Petri Philippi Strozzae Canonici pientissimi vulgavit Giacomellus, (7) Latinamque fecit. est autem illa ipsa, quam sic memorat Photius: (8) Ανεγνωσθη τȣ αυτȣ (Modesti) επιγραφην εχων (λογος), Εγκωμιον εις την Κοιμησιν της παναγιας Θεοτοκȣ. nihilo tamen minus adsumptum Modestus praedicat sanctae Dei Matris Corpus, et in caelesti sede locatum frui aevo aeterno affirmat: Χαιροις, inquit, (9) παναγια Θεοτοκε, ὅτι ὁ βα-

(5) v. Florent. in vetust. Martyr. a p. 263. et Lesleum in Missal. Mozarab. p. 586.

(6) lib. de mirac. c. 4.

(7) Romae 1760. e cod. Sangerm. Bibl. Coislin. p. 389.

(8) Cod. 275. pag. 1537. *Lectus o nobis est sermo ejusdem hoc titulo, Laudatio de Dormitione sanctissimae Deiparae.*

(9) ed. Giacom. pag. 40. *Salve Deipara sanctissima, quoniam rex gloriae Dominus Iesus, qui te elegerat, ut regia quoedam ejus spiritalis esses in terris, utque per te caelesti nos regno donaret, in hoc te esse simul voluit, corpore intacto, et prae omnibus gloriosam, ad Patris sui et Spiritus gloriam . . . . . Propterea sane ut mater quoque gloriosa auctoris vitae atque immortalitatis Christi Servatoris nostri Dei ad vitam revocatur ab ipso, ut corpore etiam intacto simul in perpetuum sit, ipso eam e sepulcro excitante atque ad se adsumente, ut idem unus novit, cui gloria et imperium cum Patre sanctoque Spiritu nunc et semper et in saecula saeculorum. amen.*

ὁ βασιλευς της δοξης, κυριος Ιησȣς, ὁ αιρετισαμενος σε γενεσθαι αυτȣ νοεραν βασιλειαν επι γης, ϗ δια σȣ δωρησαμενος ἡμιν την επȣρανιον αυτȣ βασιλειαν, εν ταυτῃ σε ειναι συσσωμον εν αφθαρσιᾳ, ϗ παντων ενδοξοτεραν προσεταξεν εις δοξαν τȣ Πατρος αυτȣ ϗ τȣ Πνευματος. atque idem orationem concludit, rursus rem eandem Hierosolymitanos suos docens his verbis: *Διο δη ϗ ὡς μητηρ πανενδοξος τȣ χορηγȣ της ζωης ϗ αθανασιας Χριςȣ τȣ Σωτηρος ἡμων Θεȣ ζωοποιειται ὑπ᾽αυτȣ συσσωμος εν αφθαρσιᾳ εις αιωνας, τȣ εκ ταφȣ εγειραντος, ϗ προσλαβοντος αυτην προς ἑαυτον ὡς αυτῳ μονῳ εγνωσαι, ᾧ ἡ δοξα ϗ το κρατος συν τῳ Πατρι ϗ τῳ ἁγιῳ Πνευματι, νυν ϗ αει ϗ εις τȣς αιωνας των αιωνων. αμην.* quae utique, non privatis mandata sunt litteris, sed coram Ecclesia ab ejus magistro et doctore pronunciata.

Alias his auctoritates Patrum subnectere possem, in quibus antiqua Ecclesiae sententia eminet, vitam Virgineo Corpori redditam adserentis. sed quia plura hujusmodi habes in libello optimae frugis, quem Franciscus Strozza a fratre incohatum perfecit atque edidit, (10) illud, utilius et gratius fore puto, si Michaëlis Glycae epistolam nondum vulgatam hic proferam, quae tota est de hoc argumento, nec inscite in Patrum doctrina versatur. debeo hanc amico candido vereque benevolo Vito Giovenazzio, qui eam Neapoli in adversariis Scipionis Sgambati reperit; quae et in codice Vindobonensi descripta est, quem Lambecius memorat. (11)

Μιχαηλ τȣ Γλυκα Επιςολη
τῳ τιμιωτατῳ μοναχῳ, κυριῳ
Αλυπιῳ,
περι τȣ πως ἡ Μεταςασις της
αειπαρθενȣ γεγονεν,
ϗ ει αληθως εκ ταφȣ εγηγερται,
κατα την εκ νεκρων τȣ Κυριȣ
ϗ Σωτηρȣς ἡμων εγερσιν.

Michaelis Glycae Epistola
reverendissimo monacho, domino
Alypio, (12)
quomodo peracta sit Adsumptio
perpetuae Virginis,
et an revera e sepulcro excitata
fuerit,
instar resurrectionis e mortuis
Domini et Servatoris nostri.

Περι δε των συμβεβηκοτων τῃ αειπαρθενῳ τȣ Κυριȣ Μητρι κατα την

De iis vero, quae perpetuae Virgini Domini Matri contigerunt

(10) Romae 1766. l' Assunzione al Cielo della Madre di Dio etc.

(11) Cod. Theol. 233. Comm. l. v. florebat autem Glycas in Sicilia sub Initium saeculi XII. ut plerique Criticorum censuere; ut Allarius Oudinusque arbitrantur, saeculo XV.

(12) Lambec. ibid. Κυριῳ Αλυπιῳ τῳ εγκλειστῳ etc.

την αυτης Κοιμησιν, τι χρη ϗ λεγειν; παρατιθησι μεν ουν την αγιαν αυτης ψυχην, ως οἱ θειοτατοι περι τουτου διαλαμβανουσιν ὑμνογραφοι, ταις χερσι του υἱου αυτης ϗ θεου· ϗ τουτου ενεκεν αμφιβαλλειν ουκ ευλογον. ὁρα γαρ, ὁτι ϗ οἱ δικαιοι πολλακις, ἡνικα των ὡδε μετιστανται, οπτασιας ἁγιων τεθεανται, ϗ θειων ὑμνων εν ουρανοις αυτηκοοι γενονται. καθα δη ϗ ὁ Διαλογος περι τουτου διαλαμβανει θειος Γρηγοριος. ϗ ου τουτο μονον, αλλα ϗ αυτος εκεισε πολλακις ὁ Χριστος επιφαινεται. τινος ενεκεν; ὁπως αἱ των δικαιων ψυχαι τας οπτασιας ὁρωσαι, ϗ των ὑμνων ακουουσαι κατα γε τον της εξοδου καιρον, την εκ του σωματος ανωδυνως διαζευξιν φερωσιν· ὁποιον δη ϗ πρεσβυτερου διηγειται τινος εν τη της Νουρσιας χωρα διαγοντος, ὁτι τελευτων εκεινος Πετρον ϗ Παυλον ἑωρακεν, ϗ ἑωρακως ελεγεν, ερχομαι, ερχομαι, ευχαριστω, ευχαριστω. ει δε ταυτα ουτως εχει, ει καθ' ον εκδημουσι καιρον οἱ δικαιοι οπτασιας ὁρωσι, δι' ἡν αιτιαν ὁ λογος ηδη φθασας εγνωρισε· πολλῳ μαλλον επρεπε τον Χριστον εμφανισθηναι τη παναμωμῳ αυτου Μητρι προς αυτον ηδη κατεπειγομενη την εξοδον.

runt in ipsius Dormitione, quid attinet dicere? tradit enimvero sanctam animam suam, ut beatissimi de ea re hymnorum auctores edisserunt, filii sui Deique manibus: qua de re minime consentaneum rationi est ambigere. animadverte enim, ut justi etiam saepe, quum hinc discedunt, visiones sanctorum intuentur, et divinorum in caelis hymnorum auditores fiunt, quemadmodum et beatus hac de re Gregorius Dialogus pertractat. (13) neque id tantum sed etiam ipse illic Christus saepenumero apparet. quam ob caussam? ut justorum animae, dum eas visiones conspiciunt et hymnos audiunt sub migrationis tempus, sine doloris sensu discidium a corpore ferant. quale est, quod ille de quodam Presbytero degente apud Nursiam refert, (14) qui, quum vita excederet, Petrum et Paullum vidit, intuitusque dicebat, venio, venio, ago gratias, ago gratias. quod si haec ita se habent, et quo tempore justi excedunt, visiones conspiciunt ob eam caussam, quam modo praecedens expressit oratio, multo magis decuit, Christum apparere Matri suae omnis labis experti, quae jam ad ipsum profectionem maturabat.

Επι γαρ τουτῳ ϗ ὁ θειοτατος Γαβριηλ της εκδημιας εκεινης κηρυξ σελ-

Propterea enim sanctissimus Gabriel peregrinationis illius mittitur

(13) lib. IIII. c. 11. 12. 13. et seq.
(14) ibid. c. 11. ex interpretatione Graeca Zachariae P. M.

Digitized by Google

στελλεται. ὁπως δε ἡ παναμωμος αυτη δια θανατου προς ζωην μετεβιβαζετο σωματι τε και πνευματι, δεδηλωκε μεν θαυμασιως ὁ θειοτατος Ανδρεας ὁ Κρητης· ουχ ἡττον δε τα περι τουτου και ὁ ὑμνογραφος μεγας Κοσμας εναργως σοι παριστησι λεγων· „ Νικητικα μεν βραβεια ηρω κατα της φυσεως, αυτη „ Θεον κυησασα, ὁμως μιμουμενη „ δε τον ποιητην σου και υἱον ὑπερ „ φυσιν, ὑποκυπτεις τοις της φυ„ σεως νομοις. διο θνησκουσα συν „ τῳ υἱῳ, εγειρῃ συνδιαιωνιζουσα. „ ὁρα λοιπον συνετως, επειδη γαρ ειπεν, ὁτι συν τῳ υἱῳ εγειρῃ συνδιαιωνιζουσα, εδειξε προφανως, ὡς ακολουθως εκεινῳ και τεθνηκεν αυτη, και μικρον επι τῳ ταφῳ πεσουσα, παλιν εγηγερται. οἱ δε γε το Εγειρῃ επι μελλοντος εκλαμβανοντες ου μοι δοκουσι κατα λογον ορθον αποφαινεσθαι. ει γαρ και ἡ παναγιος οψεποτε την κοινην εγερσιν εγερθηναι εμελλεν, ουκ αν Εγειρῃ παροξυτονως, αλλ' Εγερεῖ περισπωμενως ειπεν αν ὁ θειος Κοσμας. ουτω γαρ και ὁ μεσος μελλων πρωτος επι τουτοις εκφερεσθαι ειωθεν. το δε Εγειρῃ παροξυτονως ενταυθα λεγομενον, ου μελλων, αλλ' ενεστως εστι παθητικος· ὁθεν αδυνατον εστι τῳ ενεστωτι κεχρησθαι, ὡς μελλοντι. καλως δε ειπεν ενταυθα το Εγειρῃ συ-

tur praeco. quomodo autem immaculata Virgo per mortem ad vitam corpore animaque transiverit, ad omnium admirationem beatissimus Andreas Cretensis exposuit: (15) *nec minus quae huc pertinent, Hymnographus ille magnus Cosmas* (16) *tibi ob oculos ponit, quum ait:* Vitricia tropaea de natura extulisti, pura Deum enixa, simulque factorem et filium imitata tuum supra naturam, naturae succumbis legibus. idcirco aeque ac filius mortua, excitaris simul semper victura. *ceterum scite animadvertas, quum dixit, cum filio excitari simul semper victuram, aperte indicasse, ipsam perinde, atque illum, et mortuam esse, et postquam paullum in sepulcrum lapsa esset, rursum exsuscitatam. porro qui verbum* Εγείρῃ *pro futuro accipiunt, non ii mihi ad rectam rationem videntur exigere. nam si et ipsa Virgo purissima sero tandem in communi resurrectione revictura esset, non ille accentu in penultima adpicto,* Εγείρῃ, *sed in ultima vocali circumflexo dixisset* Εγερεῖ. (17) *sic enim primum medii futurum in similibus efferri solet. istud vero* Εγείρῃ, *quod retracto accentu hic usurpatur, non futurum, sed prae-*

(15) quatuor huic orationes de dormitione sanctae Mariae tribuit Fabricius Bibl. Gr. T. VIII. p. 116. 117.

(16) is est Cosmas Hierosolymitanus, Episcopus Majumae in Palaestina circa an. DCCXXXII. cujus hymnos mire extollit Suidas. (in Ιωαν. Δαμασκ.) vide Fabric. Bibl. Gr. T. X. pag. 117.

(17) vel sine accentu το Εγερει futurum agnoscitur, Attico scilicet more, pro Εγερεῖ.

συνδιαιωνίζȣσα· επειδη ϗ ἑτερα σωματα εγερθηναι μεν εφθασεν εκ νεκρων, αλλ᾽ ȣ δη ϗ τη εγερσει παρμειναν. πεπ]ωκασι γαρ την τελευ]αιαν εκεινην αναμενοντα εγερσιν.

praesens passivum est: itaque fieri non potuit, ut praesente tamquam futuro uteretur. pulcre vero hic dixit, Excitaris simul semper victura; *quandoquidem et alia corpora resurrectionem utique maturarunt, sed in vita, quam acceperant, non permanserunt. cecidere enim, extremam illam resurrectionem praestolatura.*

Αλλα ϗ το παρα τȣ Αγγελȣ Γαβριηλ δοθεν αυτη βραβειον; τȣτ᾽ εςιν ὁ τȣ φοινικος κλαδος, καθα φησιν ὁ θειο]α]ος Πατριαρχης Γερμανος, συμβολον νικης θανατȣ ην, ϗ ζωης αμαραν]ȣ εκτυπωμα, ὁποιον δη ϗ επ᾽ αυτῳ τῳ Χριςῳ οἱ των Εβραιων πεποιηκασι παιδες, ἡνικα επι το παθος ηγγικεν, ἁτε δη κατα θανατȣ τα νικητηρια φεροντι.

At insigne illud victoriae, quod ei datum est ab Angelo Gabriele, hoc est palmae ramus, quemadmodum ait beatissimus Patriarcha Germanus, (18) *symbolum devictae mortis erat, et vitae immortalis expressa effigies, quale et ipsi Christo Hebraeorum pueri obtulere, quando passioni factus est proprior, tamquam victoriae signa contra mortem ferenti.*

Οτι δε συν αυτῳ τῳ σωματι μετεςη των ωδε ἡ παναχραντος τȣ Χριςȣ Μητηρ, ϗ αυτῳ δεδηλω]αι τῳ Μεταφραςῃ, ταφῳ μεν παραδοθηναι λεγοντι το παναγιον αυτης σωμα, παρα δε τȣ υἱȣ αυτης ϗ Θεȣ εις ȣρανια ϗ θεια παραπεμφθηναι σκηνωματα· ϗ τον λογον, ὡς φησι, πιςȣται Ιȣβεναλιος ὁ των Ιεροσολυμων θειος Επισκοπος, την τȣ Θωμα διηγησαμενος απολειψιν, ϗ την εις ὑςερον αυτȣ επι τῳ ταφῳ προ-

Quod vero cum corpore hinc translata sit immaculata Christi Mater, ostendit ipse Metaphrastes, qui ait, (19) *tumulo quidem sanctum ejus corpus inlatum esse, et a filio ejus ac Deo in caelestia at divina tabernacula transmissum fuisse: eamque narrationem, inquit, Iuvenalis sanctus Hierosolymorum Episcopus confirmat, Thomae absentiam exponens, et ejus subinde adventum ad sepulcrum, at-*

(18) tres sermones de Dormitione sanctae Mariae a Combefisio editi (T· I· Auct· novi) nomen Germani praeferunt: Oudinus autem non Germani, qui Patriarcha Constantinopolitanus fuit ab anno DCCXV· sed Germani alterius esse contendit, qui Ecclesiae Constantinopolitanae praefuit ab anno MCCXXII· neque ab eo in his dissentit Caves, aut Ceillierus (Hist· gen· des aut· sacr· T· XVIII· pag· 70·)

(19) Metaphrastae Διηγησις incipit Οι κατα καιρον Πεντηκοςης· Fabr· Bibl· Gr· T· VIII· pag· 117·

προσελευσιν, ϗ την παρ᾽ αυτῳ τῳ ταφῳ γεγονυιαν παρ᾽ αυτου κατεξετασιν. οἱ γαρ Αποςολοι τηνικαυτα διανοιγηναι τον ταφον κελευουσιν, ἁτε τον Θωμαν ὁρωντες επι τη απολειψει πολλα δυσχεραινοντα, ϗ ὁ μεν ταφος ηνοιγετο, ὁ δε θησαυρος εντος ην ουδαμου· μονα δε τα ενταφια κειμενα, καθα δη ϗ επι του ὑιου αυτης ἑυρεθη ταυτα, μετα την εκ νεκρων εκεινου αναςασιν.

Οτι δε ἡ αυτη ϗ επι της Θεομητορος εμελλε γενεσθαι αναςασις, ϗ ταυτην εκ νεκρων εγερθηναι καθα δη ϗ τον ὑιον αυτης, ὁ μακαριος Δαβιδ εδηλωσεν ειπων· „ Αναςηθι, Κυριε, εις την αναπαυ„σιν σου, συ ϗ ἡ κιβωτος του ἁ„γιασματος σου „ αλλα ϗ εν οἱς ὁ Προφητης ὑτω κατα λεξιν ελεγε· „ Παρεςη ἡ βασιλισσα εκ δεξιων „ σου εν ἱματισμῳ διαχρυσῳ, πε„ριβεβλημενη πεποικιλμενη „ την αειπαρθενον Μητερα του Κυριου· ϗ ὁτι συσσωμος συσσωμῳ παραςησεται τῳ ὑιῳ ϗ δεσποτη αυτης, ὡς ὁ μεγας επι τουτοις φησιν Αθανασιος. εν ἱματισμῳ γαρ διαχρυσῳ ειπων, αυτοτε το της παναγνου σωμα ὑπεζωγραφησε, ϗ ἡν αφθασιαν εμελλε παραδοξως ενδυσασθαι. ϗ μη θαυμαζε τουτου ἑνεκεν. επειδη γαρ τα δυο των πρωτοπλαςων σωματα τη λυμη της φθορας ὑπεπεσε δια την παραβασιν, κ᾽αντευθεν το τοιουτον εφερπον κακον διαδοσιμον εφ᾽ἁπαν

atque factum ab eodem in ipso tumulo examen. tum enim Apostoli sepulcrum aperiri jusserunt, quod Thomam de absentia sua multum conquerentem intuerentur; et tumulus quidem patuit, sed thesaurus minime intus erat: sola autem sepulcralia jacebant, quemadmodum et de filio ejus talia reperta sunt, postquam ille e mortuis resurrexit.

Quod porro et Genetricis Dei perinde atque filii ejus resurrectio futura esset e mortuis, beatus David illis verbis ostendit: (20) Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et Arca sanctificationis tuae. *sed et in iis, in quibus Propheta ad verbum sic est loquutus,* (21) Adstitit Regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate, *perpetuam Virginem Domini Matrem indicavit, eamque corpore praeditam filio dominoque suo corpore praedito adfuturam, quemadmodum de bis agens magnus dicit Athanasius.* (22) *nam ubi ait* in vestitu deaurato, *corpus immaculatae Virginis adumbravit, et quam immortalitatem praeter omnem consuetudinem esset acceptura. neque idcirco mirere. nam postquam duo corpora eorum, qui primo formati fuerat, corruptionis labe ceciderunt ob culpam, atque inde ma-*

(20) Psalm. CXXXI. n. 8.
(21) Psalm. XXXXIIII. n. 10.

(22) nihil tale in Athanasii scriptis nunc Critici agnoscunt.

παν γεγονε το ανθρωπινον· δια τουτο ϗ νυν πρωτως δυο σωματα την φθοραν αποτιναξαμενα, απαρχη της ελπιζομενης αφθαρσιας γεγονασιν.

Αλλα ϗ του διαληφθεντος ανωθεν ὑμνογραφου Κοσμα λεγοντος, αδιαφθορον τω ταφω τηρηθηναι αυτης το σωμα, ϗ συνδοξασθηναι θεια μεταστασει τη απο των γηΐνων επι τα ουρανια, την αυτην ακολουθιαν επι τω Χριστω ϗ τω Μητρι αυτου γεγονεναι σαφεστατα διδασκομεθα. συνελθοντες ϗ γαρ επι τω ταφω αυτης κοινως οἱ Αποστολοι, εσθητος ϗ ζωνης πλεον ουκ ευροντο. προς γε τοις ειρημενοις του τοιουτου λεγοντος ανδρος, ὁτι „ Νενικηνται „ της φυσεως οἱ ὁροι εν σοι, παρ„ θενε αχραντε· παρθενευει γαρ „ τοκος, ϗ ζωην προμνηστευεται „ θανατος „ την εκ νεκρων αυτης αριδηλως μανθανομεν αναστασιν. ἡ γαρ προσθηκη του Εν σοι μεγαλοφωνως βοα, ὁτι εν σοι μονη μετα Χριστον οἱ ὁροι της φυσεως ενικηθησαν· πως δε εν αυτη ϗ μονη ενικηθησαν, ει μη γεγονεν ὁπερ κ'αν τη εγερσει του Χριστου παραδοξως εγενετο; ϗ τι χρη πολλα λεγειν; ει μη πνευματι ϗ σωματι καταδεξομεθα ζην την Μητερα της ζωης, ουκ αν εν αυτη νικηθηναι τους ὁρους της φυσεως ειπωμεν. νενικηνται ουν εν αυτη της φυσεως οἱ ὁροι κατα γε τον ποιητην μεγαν Κοσμαν, ὁτι γεννησασα παρθενος αυθις εμεινε,

malum bujusmodi proserpens haereditarium factum est in omne nomen humanum; propterea etiam nunc primum duo corpora, corruptione ab se repulsa, facta sunt primitiae speratae incorruptionis.

Quin et Hymnographo Cosma, cujus ante meminimus, dicente, corpus ejus in sepulcro incorruptum servatum esse, et gloriam consequutum translatione divina e terrenis ad caelestia, eandem in Christo atque in ejus Matre consequutionem rerum factam esse, clarissime edocemur. nimirum una ad sepulcrum ejus convenientes Apostoli, nihil praeter vestem zonamque repererunt. tali igitur viro post haec dicta addente, Victi in te sunt, Virgo illibata, naturae limites: namque partus virginalis est, et mors vitam procatur, *perspicue resurrectionem ejus e mortuis ediscimus. additio enim illa* In Te *magna voce clamat, in te sola post Christum naturae limites esse superatos. quomodo autem in ipsa ac sola superati sunt, nisi factum sit id, quod et in resurrectione Christi admirabiliter factum est? et quid opus est plura conferre? nisi spiritu et corpore admittamus vivere Matrem vitae, minime in ea naturae limites superatos dicemus. superati igitur in ea naturae limites sunt juxta magnum poetam Cosmam, quia enixa, Virgo remansit,*

ϗ ὁτι θανȣσα ζωην αυθις εζησε κρειττονα ϗ βελτιονα. μη ȣν αμφιβαλλε. δεδεικται γαρ, ὁτι κατ'εκεινο το μερος εζησε καθο παντως ϗ τεθνηκε, ϗ τȣτȣ χαριν ελεγε τȣς ὁρȣς εν αυτῃ νικηθηναι της φυσεως. αλλα μη απιςει τοις λεγομενοις. ευδηλον γαρ, ὡς ει γε μη τῳ σωματι θανειν αυτην ϗ ζησαι παλιν ειπωμεν, ȣκ αν ευρεθειη νικησασα τȣς ὁρȣς της φυσεως. το γαρ ζην μετα θανατον αυτῃ ϗ μονῃ τῃ ψυχῃ κοινον εςι παντως ϗ της ανθρωπινης φυσεως ιδιον. αλλ' επι τῃ παναγιῳ Μητρι τȣ Κυριȣ τοιȣτον τι δοξαζειν ȣκ ὁσιον, ȣδαμȣ νενικηκε λοιπον τȣς ὁρȣς της φυσεως. αλλ' ȣκ εςι τȣτο, ȣκ εςιν, ειγε κ'ανταυθα τῳ θειῳ Μελῳδῳ πειθεσθαι αξιον.

Και περι μεν τȣτων ȣτως. ὁ δε θειοτατος Γερμανος ϗ εν ἑτερῳ λογῳ αυτȣ εις την Κοιμησιν εκδοθεντι κατα ρημα ϗ ταδε διεξεισι· „ Ζῃ σȣ το πνευμα δια παντος, „ ϗ ἡ σαρξ σȣ διαφθοραν ȣκ ὑπεμεινε ταφȣ. παντα επισκεπτῃ, „ ϗ ἡ επισκοπη σȣ προς παντας, „ ὡςε κ'αν οἱ οφθαλμοι ἡμων κεκρατηνται τȣ μη βλεπειν σε, „ αλλα συ παναγια τοις αξιοις „ ἑαυτην εκφανιζεις. ἡ γαρ σαρξ „ ȣκ εμποδιζει τῃ δυναμει ϗ ενεργειᾳ τȣ πνευματος σȣ. „ τȣτο δε

sit, et quia mortua, vitam rursum adepta est potiorem atque meliorem. ne ergo ambigas: nam demonstratum est, illam sui parte vixisse, qua obierat, atque hanc ob caussam ille ait, in ea naturae limites esse superatos. neve fidem dictis detrectes. manifestum enim est, nisi eam corpore atque anima revixisse a morte dicamus, non inveniri, quo pacto naturae limites superarit. quippe vivere sola anima post mortem commune est ac proprium humanae totius naturae. sed de immaculata Domini Matre tale aliquid sentire non licet; neque enim illa naturae limites superasset. verum non id fas est, non id fas est: siquidem hic quoque divino vati credere convenit.

Haec de his quidem ita. sed sanctissimus Germanus in altero item sermone suo de Dormitione, qui editus est, haec ad verbum prosequitur: (23) Vivit tuus spiritus omnino, et caro tua corruptionem non subiit sepulcri. omnia prospicis, et tua in omnes inspectio est, ut licet oculi nostri vincantur, ne te adspiciant, at tu sanctissima dignis te ipsam ostendis: neque enim caro vim impedit et potestatem spiritus tui. *hoc autem pulcre di-*

(23) hanc orationem Combefisius primam fecit. locus autem hic occurrit pag. 1452. verum quaedam variant in edita: sic enim se habent: . . . ȣκ ὑπεμεινε ταφης. παντας επισκεπτῃ, ϗ ἡ επισκοπη σȣ, Θεομητορ, επι παντας. reliqua a Glyca carptim delibata, ut videre ibidem licet in Auct. Combef. T. 2.

δε καλως ὁ διαληφθεις εφη θειος ανηρ· επειδη γαρ ἡ της παναγιου σαρξ εκ νεκρων εγερθεισα, κουφη τε γεγονε ϗ πνευματικη προς αφθαρσιαν, ἅτε δη μεταςοιχειωθεισα, καθα δε ϗ ἡ παναγια του Κυριου σαρξ, ευπετως ὧδε κἀκεισε μεταβαινειν ουδαμως εκωλυετο. προς δε γε τοις ειρημενοις ϗ ταδε φησιν ὁ θειοτατος Γερμανος· „ Το μεν „ σωμα σου το παρθενικον, ὅλον „ ἅγιον, εναλλαγεν μεν προς ακ- „ ραν αφθαρσιαν ζωης, σωον δε „ τουτο ζωοτελες ϗ ακοιμητον ὡς „ σκευος ὑπαρχον θεοδοχον. ερρέ- „ τω λοιπον ὁ θανατος, ερρέτω „ ταφος, ερρέτω χους επι σοι Θεο- „ τοκε. „ ου ταυτα δε μονον, αλ- λα ϗ αυτος ὁ Σωτηρ, ὡς ὁ θειος φησι Γερμανος, ουτω προς αυτην εοικε λεγειν, ἥνικα των ὧδε μεθιςατο, „ Μη διςαζε, προσανακλει- „ τι τῳ μνηματι, ϗ παρευθυς ερ- „ χομαι παραληψομενος του συνοι- „ κειν εν εμοι. ὡς γαρ εγω, ϗ συ „ μετα την του λειψανου καταθε- „ σιν, προς ζωην αυτικα μετατε- „ θηση. „

Καλως ουν επι τουτοις ὁ διαλεφθεις Γερμανος ελεγεν, Ερρετω θανατος επι σοι Θεοτοκε. αλλ' ενταυθα προσεχειν αξιον, ει γε τεως ερευνητικως, ου μην γε παροδευτικως τας ἁγιας επερχεσθαι βουλῃ γραφας. προσεχε ουν, ει γαρ αυτος ὁ θανατος ουδεν αλλο εςιν, η ψυχης απο σω-

dicit modo memoratus sanctus vir. nam quia immaculatae Virginis caro e mortuis excitata, levis facta est ac spiritalis ad incorruptionem, velut in alterius elementi conditiones versa, sicuti et sanctissima Domini caro, huc atque illuc celeriter transgredi minime prohibebatur. tum hujusmodi dictis haec quoque addit beatissimus Germanus: Corpus tuum virgineum, totum sanctum, in omnimodam quidem vitae incorruptionem immutatum, at salvum idem et vivens et vigil, ceu vas Deo plenum, est. procul igitur mors, procul sepulcrum, procul pulvis post te, Dei Mater, recedat. (24) *haud vero haec tantum, sed, ut idem sanctus Germanus ait, Servator ipse quum illa hinc abiret, sic ad eam loqui videbatur:* Ne dubites, reclinare in monumento, et statim venio te suscepturus, ut mecum habites. nam ut ego, ita et tu post reliquiarum depositionem, ad vitam illico restituere.

Bene igitur de hisce ait laudatus Germanus, Procul post te mors recedat, Dei Mater. *verum hic animum adhibere oportet, siquidem antea indagando, non transeundo, sacras litteras adire velis. attende igitur; nam si ipsa mors nihil aliud est, quam ani-*

(24) in Auct. Combef. Tom. 1. Orat. II. pag. 1464.

σωματος χωρισμος, εφθανε δε ϗ ἡ παναγνος πειραν εν αληθεια τουτου λαβειν χωρισμου, πως ελεγεν, Ερρέτω θανατος επι σοι Θεοτοκε; ϗ ταφος μεν ερρέτω, ϗ χους ὡσαυτως ερρέτω, καλως ἐλεγ᾽ ὁ θειος εκεινος ανηρ. ουτε γαρ ὁ ταφος ετι κατειχεν αυτην, ουτε διαφθοραν ἡ ασπιλος αυτης εδεξατο σαρξ. ερρέτω δε θανατος επι σοι Θεοτοκε, κεχωρισμενης ουσης απο γε του σωματος, ὡς οἱ πλειους ἡγηνται, της ἁγιας εκεινης ψυχης; τουτο μαθειν αξιουμεν, τουτο διδαχθηναι παρακαλουμεν. αλλ᾽ ουκ εχοιεν αν τι ϗ λεγειν, ὡς οιμαι. φαινεται γαρ, ὡς ει γε ϗ επ᾽ αυτῃ τῃ παναγνῳ διεστησαν απ᾽ αλληλων ἡτε ψυχη ϗ το σωμα· τουτο γαρ ὁ θανατος· αλλα ϗ αυθις αμφοτερα ταυτα συνηλθον εις ἑν, ὡς εντευθεν αυτην ειναι ϗ αθανατον εις το διηνεκες. ϗ τουτου χαριν ὁ διαληφθεις ελεγε θειος ανηρ, Ερρέτω θανατος επι σοι Θεοτοκε. δια γαρ τουτο ϗ φοινικος αυτῃ κλαδος ὑπ᾽ Αγγελου εδιδοτο, κατα θαιατου ηδη δεχομενῃ τα νικητηρια. ει γαρ ϗ θανατῳ ὑπεπεσε τῳ νομῳ της φυσεως, αλλ᾽ ὑπερφυως αυτον αφ᾽ ἑαυτης απεσωθησε, παραπλησιως, ὡς ειρηται, τῳ γεννηθεντι εξ αυτης.

animae a corpore ſeparatio, et immaculata Virgo diſcidii hujus experimentum revera ante cepit; qua ratione ait, Procul poſt te mors recedat, Dei Mater? *bene quidem ſanctus ille vir dixit,* Procul ſepulcrum ac procul *item* et pulvis. *nam neque illam tumulus poſtea continuit, neque corruptelam caro ejus illibata ſuſcepit. at illa* Procul poſt te mors recedat, Dei Mater, *quum ſancta illa anima, ut plurimorum opinio eſt, a corpore abjuncta fuerit, illa, inquam, intelligere cupimus, illa doceri volumus. ſed neque quidquam, opinor, opponere alii poſſint. apparet enim, etsi in ipſa etiam Virgine immaculata diviſio fuerit animae a corpore, in quo ſita mors eſt; rurſum tamen ea in unum conveniſſe, ut exinde immortalis illa perpetuo foret: eamque ob cauſſam memoratus vir ſanctus ait,* Procul poſt te mors recedat, Dei Mater. *ob hanc enim rationem et palmae ramus Angeli manu ipſi datus eſt, quae jam victricia ſigna de morte referebat. ut ut enim naturae lege morti ſuccubuit, ſupra naturam tamen a ſe illam repulit, ad ejus prope exemplar, ut diximus, quem genuerat.*

Και τουτο εστιν, ὁπερ ὁ μακαριος εφη Δαβιδ, „ Αναστηθι Κυριε „ εις

Atque hoc eſt, quod beatus dixit David: Exſurge Domine, in re-

„ εις την αναπαυσιν σου, συ και ἡ „ κιβωτος του αγιασματος σου „ τι τουτου σαφεστερον, ει γε τεως επεσθαι τοις ἁγιοις πατρασι και διδασκαλοις ἡμων ανεχομεθα; και αυτος γαρ ὁ μεγας, ὡς οιμαι, Κοσμας εκειθεν ορμωμενος ελεγε, „ Διο θνησκουσα συν τῳ υἱῳ εγειρῃ συνδιαιωνιζουσα „ ὡς ειναι δηλον εντευθεν, ὁτι νεκρωσιν μεν ὑπεστη και αυτη, ὡς και ὁ γεννηθεις εξ αυτης, ψυχης απο σωματος δηλαδη χωρισμον, ου κατεσχεσθη δε παρ' αυτης. ει γαρ τουτο δωσομεν, ει νεκρον ὁπουδηποτε το σωμα κειμενον ην, ουκ αν εκαλει ζωοτελες αυτο και ακοιμητον, ουκ αν ελεγε, „ συν τῳ υἱῳ εγειρῃ „ συνδιαιωνιζουσα. „

Προς δε γε τοις ειρημενοις και ὁ θειοτατος Ανδρεας ὁ Κρητης αυτην ταυτην εισαγει την παναγνον ουτω λεγουσαν, „ Τῃ μεν ψυχῃ μεγαλυνω τον Κυριον, και αγαλλιωμαι „ τῳ πνευματι· τῳ σωματι δε „ μεταλλαττομαι και μορφουμαι την „ εν χαριτι θεωσιν. „ τα αυτα τοις διαληφθεισιν αινιττεται και επι τῃ Κοιμησει της παναμωμου ψαλλομενον Κοντακιον ουτωσι κατα λεξιν διαλαμβανον. „ Την εν πρεσβειαις „ ακοιμητον Θεοτοκον, και προστασιαις αμεταθετον ελπιδα ταφος „ και νεκρωσις ουκ εκρατησεν, „ ευδηλον παντως, ὁτι προς την οντως διεβιβασ-

requiem tuam, tu et Arca sanctificationis tuae. *quid boc manifestius, quamdiu sanctorum Patrum et magistrorum nostrorum vestigiis insistamus? nam et ipse, ut arbitror, magnus Cosmas hinc progressus ajebat*, Idcirco aeque ac filius mortua, excitaris simul semper victura: *ut inde manifestum fiat, ipsam pridem mortalitati cessisse, quemadmodum qui ab ea natus est, anima scilicet ac corpore abjunctis, at non in mortis mancipio retentam esse. nam si boc dabimus, si mortuum alicubi corpus jaceret, non illud perfecte vivens ac vigil appellaret, neque illa diceret*, Aeque ac filius excitaris, simul semper victura.

Praeter baec autem, quae dicta sunt, sanctissimus Andreas Cretensis ipsam immaculatam Virginem sic loquentem inducit: (25) Anima quidem Dominum magnifico, et spiritu exulto; corpore vero immutor, et divinam a caritate speciem induo. *similia bis, quae dicta sunt, indicat etiam quod in purissimae Virginis Dormitione canitur Contacium, sic ad verbum edisserens*: (26) Genetricem Dei in dignitate vigilem, et spem honoribus immutabilem nec sepulcrum nec mortalitas possederunt. *manifestum*

(25) apud Combef. in Andr. Cret. orat. 1. pag. 120.

(26) Menaea ed. Ven. 1673. in Aug. p. 83. ubi et haec adduntur: ὡς της ζωης Μητερα προς την ζωην μετεστησεν ὁ μητραν οικησας αειπαρθενον.

βασθη ζωην συν ἅμα τη ψυχη ϗ τῳ σωματι. ει δε ταυτα ȣτως εχει, ψευδεται προφανως ὁ λογος εκεινος, ει ϗ επιγραφην εχει τȣ Θεολογȣ Ιωαννȣ, ὁ λεγων ϗ εν παραδισῳ αποκεκομισθαι το παναγιον αυτης σκηνωμα, ϗ αφθαρτον εκεισε διαφυλαττεσθαι, ταυτα τȣ ποιητȣ μεγαλȣ Κοσμα, πυλας ȣρανιȣς επαρθηναι λεγοντος, ϗ Αγγελȣς ὑμνησαι, ϗ τον Χριςον αυτον ὑποδεξασθαι το της παρθενιας αυτȣ Μητρῳον κειμηλιον. ὁσα γαρ επ' αυτῳ τῳ Χριςῳ πεπραχθαι τα θεια φασκȣσι λογια, ταυτα δη ϗ επ' αυτῃ τῃ παναμωμῳ των ὡδε απαιρȣσῃ συμβεβηκε γερα· ϗ γαρ ὡσπερ ὑιος ταυτα Μητρι εχαριστο.

stum adeo est eam ad vitam, quae vere vita sit, anima simul et corpore esse traductam. quod si haec ita se habent, mentitur plane illa narratio, etsi inscriptionem praefert Ioannis Theologi, quae ait, (27) in Paradisum esse translatum sanctum ejus tabernaculum, ibidemque incorruptum adservari, quum magnus poeta Cosmas sublatas dicat fuisse caeli portas, et Angelos hymnum cecinisse, atque a Christo ipso maternum virginitatis thesaurum susceptum esse. nam quaecumque in Christo facta esse, divina ajunt eloquia, eadem in ipsa immaculata Virgine, quum hinc abscederet, decora contigerunt: haec quippe ut filius Matri dona concessit.

III. Habes in Glyca quae aliorum item Patrum sententia fuerit, qui aliquando in Ecclesia Hierosolymitana versati sunt, ut Iuvenalis, ut Cosmas Melodus, ut Andreas Cretensis. unde illud quoque patet, Graecos in ea opinione perdiu fuisse, Dominam nostram Hierosolymis, non Ephesi, vita esse defunctam: in quorum sane vicinia locum etiam, ubi sepulta fuerat, indicabant Gethsemanen, ut την ἁγιαν Γεθσημανην se videre ait Theodorus Studites in epistola ad Patriarcham Hierosolymorum, εφ' ᾧ ὁ Ταφος της πανσεβαςȣ δεσποινης ἡμων Θεοτοκȣ. animadvertendum autem est, hujus sententiae eum maxime auctorem haberi, qui Concilio Ephesino adfuerat, Iuvenalem Patriarcham Hierosolymorum, de quo egimus ad diem II. mensis Iulii. quare fatendum est, a Iuvenali in primis longe aliter, quam Tillemontius volebat, (28) accepta esse

(27) cujus meminit post Lambecium et Montfauconium Fabricius Bibl. Gr. T. VIII. pag. 117. et ante hos Epiphanius Monachus et Presbyter in libro περι τȣ βιȣ της ὑπεραγιας Θεοτοκȣ ab Aloysio Mingarellio edito in Anecd. Rom. T. III. p. 41.

(28) Mem. Eccl. T. I. p. 467. et 461.

esse illa Concilii verba ad Clerum populumque Constantinopolitanum scribentis, damnatum Ephesi Nestorium, Ενταυ ὁ θεολογος Ιωαννης, ϗ ἡ Θεοτοκος παρθενος ἡ ἁγια Μαρια. (29) nisi potius dicendum sit, haec esse additamentum e margine perperam in contextum postea relatum. primum enim, illa si demas, oratio non modo nihil hiat, sed etiam felicius fluit: quod prolatis epistolae periodis duabus, quas illa verba intersecant, planum fiet: Ουδεις τολμησας τῳ ιδιῳ κτιςῃ εναντιωθηναι, εμεινεν εκτος θειας δικης, αλλ' ευθυς, ὁσον ἡκε ϗ εις ανθρωπινην οψιν, ημειφθη μερικως, δια το την τελειοτεραν αμοιβην τῳ μελλοντι καιρῳ κατ' αυτυ φυλαττεσθαι. ὁθεν ϗ Νεςοριος, ὁ της δυσσεβυς αιρεσεως ανακαινιςης, φθασας εν τη Εφεσιων, ... τυ συλλογυ των ἁγιων πατερων ϗ επισκοπων ξενωσας ἑαυτον, ϗ κακῳ τῳ συνειδοτι απαντησαι μη τολμησας, μετα τριτην κλησιν, ψηφῳ δικαιᾳ της ἁγιας τριαδος ϗ της αυτων θεοπνευςυ κρισεως κατακεκριται, ϗ εκβεβληται εγγραφως επι πραξεως ὑπομνηματων πασης ἱερατικης αξιας.

Tum si Patres verba illa, post εν τη Εφεσιων, ipsi vel invita addidissent, profecto iidem initio Actionum multo commodius de sepulcro sanctae Genetricis Dei aliquid adjecissent: qui tamen locum Concilii his tantum ubique verbis indicarunt: Εν τη αγιωτατη Εκκλησια τη καλυμενη Μαρια. nec vero Ioannes Antiochenus, qui apud Senatum Constantinopolitanum questus est per epistolam, (30) sibi et suis a Cyrillo et Memnone Ephesi interclusa esse templa, ne sepulcra Martyrum et Ioannis Evangelistae tumulum venerari possent, de monumento sanctae Virginis tacuisset, quod prae ceteris in pretio esse debebat, siquidem Ephesi, non Hierosolymis, esse constabat. quid, quod multo ante Polycrates Episcopus Ephesinus, ut scribit Eusebius, (31) quum Victori Pontifici maximo ostendere vellet, se non sine majorum exemplo celebrare Pascha luna quartadecima, sic eos, qui Ephesi sepulti

 erant,

(29) apud Hard. Conc. T. 1. pag. 1444. *Vbi Theologus Ioannes, et Deipara Virgo sancta Maria*: quae alii non ad sepulcrum, sed ad templum retulere.
Nemo unquam creatori suo obsistere ausus, divinam vindictam evasit, sed, quantum quidem humanus adspectus consequi potuit, statim aliquam suppliciorum partem, (siquidem plenior retributio contra ipsum in futuro saeculo reservatur) dependit. quare et Nestorius impiae haereseos instaurator, quum in Ephesiorum civitatem pervenisset, ... a sanctorum Patrum et Episcoporum coetu ultro seipsum abalienans, malaeque conscientiae reatu impeditus accedere non audens, post trinam citationem justa sanctae Trinitatis sententia, divinoque Patrum judicio condemnatus, et omni sacerdotali dignitate privatus est: atque illius condemnatio et exauctoratio scriptis mandata, et in Actorum commentarios relata est.

(30) Ibid. pag. 1461.

(31) Hist. Eccl. l. V. c. 24.

erant, enumeravit, ut nullam de sancta Virgine mentionem faceret, Ioannem, et Philippi filiam, et Martyres quos ciere poterat, omnes proferret? an vero ne unus quidem ex Ephesinis inventus esset, qui de tanto thesauro urbis suae gloriaretur? vel monumenti illius fama ne ad finitimos quidem pervenisset, ut scriptorum aliquis memoriam posteritati commendaret? praesertim quum et peregrini Ephesum itare solerent, ut Ioannis Apostoli sepulcrum inviserent: quod de Ioanne quodam anachoreta in Moschi Limonario apud Cotelerium (32) leges. *Ην γαρ φιλομαρτυς ὁ γερων, ϗ νυν μεν απιη προς τον ἅγιον Ιωαννην εις Εφεσον, νυν δε εις τον ἅγιον Θεοδωρον εις Ευχαΐτας*. etc. atque hic quidem multo magis ob sepulcrum sanctae Genetricis Dei Ephesum profectus esset, quum idem ibidem eximia erga eam pietate fuisse dicatur.

Nihil hoc loco de Evangelio, quod hodie idem magna ex parte Latini legimus, dicendum superest: alibi enim de eodem egimus. (33) illud tantum hic mihi sumam, ut beatissimae Dominae caelo receptae, quae Servatori generis nostri Deo, quem genuit, adsimilata humanitus adsidet, de tanti honoris magnitudine gratuler, eamque supplex precer atque orem, ut semper qua solet voluntate mortalibus propitia esse velit. Salve, inquam, o caeli terrarumque Domina, salve admiranda Virgo Genetrix Dei! te caeli decus, te columen orbis, te Christiani nominis praesidium agnosco: ac tu quidem aeternum felix ea fruere apud Deum vita, quam et divinus amor exsortem dedit, et tua tibi promerita pepererunt. bene est, te cum Iesu tuo esse totam, ut in materno corpore humanam ille, quam subiit, conditionem respiciat, quique de te natus generis nostri naturam induit, tua nos caussa soletur miseros, audiat supplicantes. verum opem tuam implorantibus praesto tu quoque sis, quae olim apud nos Dei Mater effecta, toto animo mortalium salutem complexa es: tum ille maxime in precibus nobis votisque occurret, quum tu e solio illo aureo, ubi coronata fulges, divinum intuita filium, Ecclesiam ei universam remque publicam commendaveris. quid enim parenti carissimae, quae ipsum genuit, quae aluit, quae fovit, quae unice amavit, negare ille possit?

AD

(32) T. II. Mon. Eccl. Gr. p. 437. *Erat enim senex Martyrum studiosus, et nunc quidem pergebat Ephesum ad sanctum Ioannem. nunc autem Euchaitas ad sanctum Theodorum.*

(33) ad diem VIII. Sept. n. 3.

A D D I E M x v I.

M E N S I S A V G V S T I

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙϚ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟ Υ ΑΓΙΟΥ ΔΙΟ-
ΜΙΔΟΥC
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΜΒ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC, ΕΓΟ ΕΙΜΙ Η ΑΜΠΕΛΟC Η ΑΛΗ-
ΘΙΝΗ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ CΕΠΓΕΜΒΡΙΩ Β, ΚΑΙ ΕΚΕΙ
ΖΗΤΗ)

I. Nicaeae quidem in Bithynia martyrium ſecisse dicitur Diomedes medicus sub Diocletiano: sed Paulli Apostoli civis erat, Tarsi in Cilicia natus. Acta ejus, scripta a Laurentio monacho Rutiensi in Calabria, edidit ac illustravit Pinius. (1) nomen ejusdem in Menologiis Menaeisque hodie passim occurrit, eodemque die a Latinis enunciatur. laudationem a Maximo Planude conscriptam, et alia item sancti hujus Martyris Acta memorat post Lambecium Fabricius. (2)

Martyrii socios nonnulli Latinorum Fasti adscribunt Diomedi Amantium, Mucianum, Alexandrum, Ianuarium, quos Graeci non memorant, et alium his omnibus diem tribuunt, ut apud Florentinium et Sollierum videre licet ad diem v. idus Iunias. de Diomede nostro ibidem sermonem esse, satis indicat urbs Nicaea, in qua et ipse et socii martyrio defuncti esse dicuntur.

II. Templo in urbe regia non caruit Diomedes. opus id fuisse Constantini magni, affirmat Codinus. (3) antiquum certe erat, quippe illud a Basilio refectum, qui Macedo appellatus est, tradit in ejus vita Porphyrogennetes. (4) in Originibus autem Constantinopolitanis scriptum est, Ο δε Βασιλειος ο Μακεδων (4) ανηγειρε τουτον (τον αγιον Διομηδην) και εκαλλωπισε· και απεχαρισατο κτηματα, δια το την οπτασιαν της βασιλειας εκεισε ιδειν αυτον, de qua agit Porphyrogennetes. κτηματα autem illa monasterii caussa data videntur, quod Codinus ab ipso Constantino conditum putavit. ceterum nulla hujus monasterii mentio est in libellis Monacho-

(1) T. III. Aug. p. 268.
(2) Bibl. Gr. T. VIIII. p. 72.
(3) In or. CP. p. p. 51.
(4) cap. 52.
(*) *Hanc aedem restituit Basilius Macedo, et exornavit, possessionibusque locupletavit, quod illic viso imperium sibi portendi intellexisset.*
(5) ibid. c. 7.

rum, qui prolati fuere in Concilio Constantinopolitano sub Mena: ut eo Monachos serius deductos esse, veri mihi similius videatur.

AD DIEM XVIII.

MENSIS AVGVSTI

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΗ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΛΑΥΡΟΥ ΚΑΙ ΦΛΟΡΟΥ
ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΜΕ
ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙϹ, ΟΥΔΕΝ ϹΥΓΚΑΙΚΑΛΥΜΜΕΝΟΝ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΟΚΤΟΒΡΙΩ ΚΕ, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Laurus et Florus, qui *διδυμοι αδελφοι* fuisse dicuntur, *λιθοξοοι την τεχνην*, statuariam Byzantii didicerant sub Proculo et Maximo. magistris pro Christo defunctis, in Illyricum migrantes, parem exitum invenerunt. lauream enim adepti sunt in oppido Vlpiano Dardaniae, quae pars erat Moesiae superioris. Acta eorum exstant, quae illos sub Hadriano Aug. et Licinio Praeside obiisse tradunt. (1) memoria hoc eodem die passim celebratur a Graecis Latinisque: nisi quod serius eos Latini in Fastos suos retulerunt.

II. Reliquias Martyrum horum Constantini magni aetate detectas, et in regiam urbem translatas accepimus. *Επι δε Κωνςαντινȣ τȣ μεγαλȣ*, inquit auctor Menologii Basiliani, *φανερωθεντα τα τιμια αυτων λειψανα επανηχθησαν εις Κωνςαντινȣπολιν· ϗ απετελεσθησαν εν τοπῳ, εν ῳ νυν κατακειντχι.* (*) erat autem horum templum non longe ab aede sancti Philippi, ut ex vita sancti Basilii junioris ostendit Cangius. (2) verum quia binas sancti hujus Apostoli aedes Constantinopoli fuisse vidimus, (3) locum templi illius designare non licet.

Neque illud magis perspicuum est, ab altero ne geminorum Martyrum, an ab alio aliquo nomen monasterio impositum fuerit, quod *Φλωρȣ μονη* appellabatur, cujus in Historia Byzantina non raro fit mentio. Flori Praefecti Augustalis ac Ducis Aegypti sub Marciano Aug. meminit Evagrius, (4) quem quis monasterii illius con-

(1) v. Pin. T. III. Aug. a p. 520.

(*) *At sub Constantino magno venerandae Reliquiae eorum manifestatae, Constantinopolim perductae sunt, et in eo loco compositae fuere, in quo nunc adquiescunt.*

(2) CP. Chr. l. IIII. p. 156. n. 41.

(3) ad diem XIIII. Nov. n. 2.

(4) Hist. Eccl. l. II. c. 5.

conditorem putare posset, quemadmodum alia ab auctoribus potius, quam a proximis templis nominabantur: nisi compertum haberemus, regiam urbem post Flori illius aevum saeculo ipso sexto etiamtum caruisse monasterio, quod ea nomenclatura distingueretur, non secus, ac paullo ante de Diomedeo affirmavimus.

iiI· At ne haec quidem exemplo careant, et habeat denique lector, ubi incerta sibi nomina recognoscere ipse possit. quare, tot jam religiosissimae civitatis monumentis passim commemoratis, nomina quoque monasteriorum simul hic prodeant, quotquot saeculo illo sexto Constantinopoli et in suburbio viciniaque jam stabant: quae sane magna ex parte illustria et maxima, eximium perdiu tantae urbis decus atque ornamentum jure habita sunt. eorum, ut saepe diximus, servata nobis sunt nomina in Actis Concilii, (5) quod sub Mena Patriarcha celebratum est. eo autem digesta ordine series procedat, qui litterarum proprius: ut nomen quisque, quod quaerat, facilius deprehendat.

i. ΜΟΝΗ των ΑΒΙΒΟΥ
iI· τȣ εν ἁγιοις ΑΒΡΑΜΙΟΥ
iiI· των ΑΙΓΥΠΤΙΩΝ
iv. των ΑΚΟΙΜΗΤΩΝ
v. ΑΝΑΣΤΑΣΙΟΥ πλησιον τȣ Αγωγȣ
vI· τȣ ἁγιȣ ΑΝΔΡΕΟΥ πλησιον της Σατȣρνινȣ πορτης
viI· τȣ ἁγιȣ Αποςολȣ ΑΝΔΡΕΟΥ πλησιον τȣ Στυλȣ
viiI· των ΑΣΤΕΡΙΟΥ
viiiI· ΒΑΣΙΑΝΟΥ
x. ἡ λεγομενη ΒΕΝΑΝΤΙΟΥ
xI· των ΒΕΣΣΩΝ
xiI· τȣ ἁγιȣ ΓΕΩΡΓΙΟΥ εν τῳ Ξηροκερκῳ
xiiI· τȣ εν ἁγιοις ΔΑΛΜΑΤΙΟΥ
xiiiI· τȣ της ὁσιας μνημης ΔΑΝΙΗΛ εν τῳ Στυλῳ
xv. τȣ ὁσιȣ ΔΙΟΥ
xvI· τȣ ἁγιȣ Μαρτυρος ΔΟΜΕΤΙΟΥ
xviI· της ἁγιας Μαρτυρος ΕΡΜΙΟΝΗΣ εν τοις Ελεβιχȣ
xviiI· ΕΥΚΡΑΤΑΔΩΝ
xviiiI· τȣ εν ἁγιοις ΕΥΣΕΒΙΟΥ
xx· των ΕΥΦΗΜΙΟΥ
xxI· τȣ ἁγιȣ ΖΗΝΟΒΙΟΥ
xxiI· των ΗΛΙΑ
xxiiI· τȣ της ὁσιας μνημης ΘΑΛΑΣΣΙΟΥ των ανυποδητων
xxiiiI· ΘΕΟΔΟΤΟΥ
xxv. ΘΕΟΔΩΡΟΥ

xxvI· των

(5) apud Hard. Conc. T. II. pag. 1212. 1276. 1293. 1329.

xxvI· των ΘΕΟΔΩΡΟΥ απο Εκσκεπτορων
xxvII· των ΘΕΟΔΩΡΟΥ εν τῃ Πετρᾳ
xxvIII· τȣ ἁγιȣ Αποςολȣ ΘΩΜΑ εν τοις Μοδεςȣ
xxvIIII· ΙΣΑΑΚΙΟΥ
xxx. ἡ διακειμενη εν Καλῳ Αγρῳ τȣ ἁγιȣ Προδρομȣ ϗ Βαπτιςȣ ΙΩΑΝΝΟΥ
xxxI· τȣ ἁγιȣ ΙΩΑΝΝΟΥ εν τῳ μικρῳ βαθει
xxxII· τȣ ἁγιȣ Προδρομȣ ϗ Βαπτιςȣ ΙΩΑΝΝΟΥ τȣ εν τοις Στȣδιȣ
xxxIII· Ουαλεντος τȣ ἁγιȣ ΙΩΑΝΝΟΥ τȣ Βαπτιςȣ
xxxIIII· ΙΩΒ
xxxv. των ΙΩΝΑ πλησιον τȣ Δευτερȣ
xxxvI· των ΚΑΙΟΥΜΑ
xxxvII· τȣ ΚΑΛΑΜΟΥ
xxxvIII· τȣ ἁγιȣ ΚΗΡΥΚΟΥ
xxxvIIII· των ΚΡΗΤΙΚΩΝ
xxxx. των ΚΥΚΛΩΠΩΝ
xxxxI· ΚΥΡΙΑΚΗ
xxxxII· τȣ ἁγιȣ Μαρτυρος ΚΥΡΙΑΚΟΥ
xxxxIII· των ΚΥΡΙΑΚΟΥ
xxxxIIII· των ΚΥΡΟΥ εν τοις Ελεβιχȣ
xxxxv. των ΚΟΝΣΤΑ
xxxxvI· τȣ ἁγιȣ ΛΑΥΡΕΝΤΙΟΥ
xxxxvII· Επικλην των ΛΥΚΑΟΝΩΝ πλησιον των Ματρωνης
xxxxvIII· των ΛΥΚΑΟΝΩΝ πλησιον τȣ ἁγιȣ Λαυρεντιȣ
xxxxvIIII· τȣ ΜΑΞΙΜΙΝΟΥ
L. ΜΑΡΚΟΥ
LI· των ΜΑΝΟΥΗΛΙΟΥ ητοι Ελπιδιȣ
LII· ΜΑΡΑ πλησιον της Αετιȣ κινςερνης
LIII· της ἁγιας ΜΑΡΙΑΣ πλησιον των Βȣκολιων
LIIII· της ἁγιας ΜΑΡΙΑΣ της ȣσης εν τῳ Λιθοςρωτῳ
LV· της ἁγιας Θεοτοκȣ πλησιον των Ιωβ
LVI· της ἁγιας Θεοτοκȣ πλησιον τȣ ἁγιȣ Λȣκα
LVII· της Θεοτοκȣ της εν τῃ πηγῃ
LVIII· των ΜΑΡΩΝΙΟΥ εν Συκαις
LVIIII· τȣ Αρχαγγελȣ ΜΙΧΑΗΛ τȣ εν τῳ Αιθριῳ
LX. τȣ Αρχαγγελȣ ΜΙΧΑΗΛ τȣ εν τοις Πȣσσȣ
LXI· ΝΕΩΝΟΣ
LXII· των ΟΛΥΜΒΡΙΟΥ
LXIII· ΟΛΥΜΠΙΟΥ
LXIIII· ΠΑΥΛΙΝΟΥ
LXV. ΠΕΤΡΟΥ ητοι Ουαλεντος ϗ Δαυδατȣ πλησιον των ἁγιων Αποςολων
LXVI· των ἁγιων ΠΕΤΡΟΥ ϗ Παυλȣ ϗ των ἁγιων Σεργιȣ ϗ Βακχȣ
LXVII· των ΠΡΟΜΟΤΟΥ
LXVIII· ἡ επικλην των ΡΩΜΑΙΩΝ

LXVIIII· των

LXVIIII. των ΡΩΜΑΙΩΝ πλησιον τȣ ἁγιȣ Γεωργιȣ Συκων

LXX. των ΡΩΜΑΙΩΝ εν τῳ Πετριῳ

LXXI. των ΡΩΜΑΙΩΝ πλησιον των Προϊȣ

LXXII. ΣΑΜΟΥΗΛ τȣν εν Συκαις

LXXIII. ΣΑΜΟΥΗΛΙΟΥ κατα τον Σκυθην επικλην Ιερȣσαλημ

LXXIIII. ἡ επικλην ΣΥΜΕΩΝ

LXXV. τȣ ἁγιȣ ΣΥΜΕΩΝΟΣ επικλην Κυρακωνα

LXXVI. των ΣΥΡΩΝ

LXXVII. των ΤΡΥΦΩΝΟΣ

LXXVIII. τȣ ἁγιȣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ τȣ εν τῳ βρεφοτροφειῳ

LXXVIIII. ΦΙΛΙΠΠΟΥ

LXXX. των ΦΩΚΑ

LXXXI. ἡ επικλην των ΧΑΡΙΣΙΟΥ

Ex his praecipua fuere, quae *Dalmatii*, *Dii*, et *Studii* sive sancti Ioannis Studitarum appellabantur. horum certe Hegumenos monasteriorum omnium praefectura functos esse reperio. Theophanes ad annum xxx. Iustiniani Τȣτῳ, inquit, τῳ ετει, μηνι Δεκεμβριῳ (mendum pro Νοεμβριῳ) ϛ εις την μνημην της Κονεως ετελευτησεν ὁ Τιμοθεος Εξαρχος των μοναςηριων, ϗ ἡγȣμενος της Δαλματȣ μονης. tum hujus ipsius monasterii Hegumenus Marianus, qui primus subscripsit libello illi, quem monachi regiae urbis Iustiniano obtulere, eodem honore auctus erat: haec enim ejus subscriptio: Μαριανος ελεῳ Θεȣ πρεσβυτερος ϗ αρχιμανδριτης μονης τȣ εν ἁγιοις Δαλματιȣ, ϗ Εξαρκος των ευαγων μοναςηριων ταυτης της βασιλιδος πολεως. tum libello alteri ex Dii monasterio Alexander subscribens dicitur ελεῳ Θεȣ πρεσβυτερος αρχιμανδριτης μονης τȣ της ὁσιας μνημης Διȣ ϗ Εξαρχος των ευαγων μοναςηριων. demum in Concilio Nicaeno II. primus post Episcopos subscribit Σαββας Αρχιμανδριτης ϗ Ηγȣμενος μονης των Στȣδιων.

Crevisse autem in regia urbe monasteriorum numerum prope ad ducenta, facile ostendere possem, descriptis nominibus, quae apud Cangium et Bandurium prostant. sed quia multorum incerta aetas, multa Kalendario nostro recentiora sunt, parum interesse visum est, ea hic recenseri.

AD

AD DIEM XX.

MENSIS AVGVSTI

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ Κ ΑΘΛΗCΙC ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΠΟCΤΟΛΟΥ ΘΑΔΔΑΙΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΟΘ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΠΡΟCΚΑΛΕCΑΜΕΝΟC Ο ΙΗCΟΥC ΤΟΥC ΜΑΘΗΤΑC ΑΥΤΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ΝΟΕΜΒΡΙΩ Α, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Kalendarii nostri auctoritatem unum hodie, quod sciam, Kalendarium Neapolitanum tuetur, in quo diserte *Natalis sancti Thaddaei Apostoli* enunciatur. nam in ceteris Fastis sive Graecis sive Latinis alii omnino dies memoriae ejus celebrandae adtributi sunt.

Porro Latini, qui Simonis et Iudae Festum agunt v. kal. Nov. Iudam a Thaddaeo distinguere non videntur: nisi velis de Thaddaeo nostro mentionem fieri v. idus Majas in Martyrologio Florentinii et in quibusdam aliis, (1) quo nempe die legimus, *In Asia Natalis sanctorum Demetri et Taddei*: unde tamen, praeter nomen, ediscas nihil. Hieronymus certe eundem hunc facit atque eum, quem cum Simone Zelote coli diximus: de quo sic scribit: (2) *Thaddaeum Apostolum Ecclesiastica tradit Historia missum Edessan ad Abgarum regem Osroenae, qui ab Evangelista Luca Iudas Iacobi dicitur, et alibi appellatur* Lebaeus, *quod interpretatur* Corculum: *credendumque est eum fuisse trinomium, sicut Simon* Petrus, *et filii Zebedaei* Boanerges, *ex firmitate et magnitudine fidei nominati sunt*. mirum autem, rem a Hieronymo Historiae Eusebianae testimonio confirmari, quum Eusebius Thaddaeum ex Apostolorum collegio eximat, et a Thoma Apostolo ad Abgarum missum tradat: (3) *Θωμας των Αποςολων εις των δωδεκα Θαδδαιον εν αριθμω ϗ αυτον των ἑβδομηκοντα τȣ Χριςȣ μαθητων κατειλεγμενον κινησει θειοτερᾳ επι την Εδεσσαν κηρυκα ϗ ευαγγελιςην της περι τȣ Χριςȣ διδασκαλιας εκπεμπει.*

Exinde, opinor, alius apud Graecos Iudas, alius Thaddaeus sem-

(1) apud eund. p. 524.

(2) comm. in Matth. l. 1. c. 10. n. 4.

(3) Hist. Eccl. l. 1. c. 13. *Thomas unus e duodecim Apostolis divino quodam impetu impulsus, Thaddaeum unum e septuaginta Christi discipulorum numero Edessam misit, ut Christi doctrinam illis gentibus nunciaret.*

semper habitus est. *Non est dubium*, inquit Mazochius, (4) *quin quantum est Graeciae Ecclesiasticae, Iudam sive Thaddaeum Apostolum a Thaddaeo uno e* LXXII. *distinxerit*. in Kalendario quidem nostro nulla est Iudae Zelotis mentio, quemadmodum neque Apostolorum quorundam, nec Iacobi majoris aut minoris, non Barptolemaei, non Simonis, non Matthiae: quippe nondum, ut arbitror, Constantinopolitani Reliquias eorum nacti fuerant. at in Menologio Basiliano Iudae Thaddaei, qui Edessam excoluit, memoria celebratur die XVIIII. mensis Iunii, Iudae vero Apostoli die XXII. mensis Maii: versaque vice in Menaeis occurrit Thaddaeus die XXI. Augusti, Iudas die XVIIII. Iunii: esto quae de his traduntur, non adeo explicata distinctaque sint, uti jam animadvertit Tillemontius. (5)

II. Nec vero ambigendum est, hodie in Kalendario nostro Thaddaeum Discipulum Domini unice memorari; quum in Kalendario Neapolitano, in quo Iudas colitur die XXVI. mensis Maii, Thaddaeum hodierno die recenseri videamus. quamquam id ipse titulus luculentius demonstrat, quo martyrium ejus significatur, Αϑλησις τυ ἁγιυ Αποςολυ Θαδδαιυ. nam de Iuda Apostolo alius exitus traditur: haec enim in Menologio Basiliano invenies: (6) Ουτω δε διδαξας ϗ πολλυς των απιςων βαπτιςας, εν ειρηνῃ προς Κυριον εξεδημησεν.

De ipsa Thaddaei legatione, quam, Tabularii Edesseni Acta scrutatus, descripsit Eusebius, vide, si vacat, quae a Cave in primis (7) et Grabe adnotata sunt. (8) Thaddaei est praeclara illa sententia, aurum ab Abgaro oblatum recusantis, (*) Ει τα ἡμετερα καταλελοιπαμεν, πως τα αλλοτρια ληψομεϑα; de ejus miraculis deque Edessenorum cultura et Ecclesiae illius primordiis rursum Eusebius: (9) Ο δε τοις τοποις επιςας, τον τε Αγβαρον ιαται τῳ Χριςυ λογῳ, ϗ τυς αυτοϑι παντας τοις των ϑαυματων παραδοξοις εκπληττει· ἱκανως τε αὐτυς τοις εργοις διαϑεις, ϗ επι σεβας αγαγων

(4) In Kal. Neap. p. 429.
(5) Mem. Eccl. T. I. p. 617.
(6) ad diem XXII. Maji. *Sic multis infidelium edoctis et baptismo ablutis, in pace abiit ad Dominum.*
(7) Script. Eccl. saec. Ap. Init.
(8) Spicil. PP. T. I. p. I.
(*) *Si nostra dereliquimus, quomodo aliena sumemus!*
(9) Ibid. lib. II. cap. I. *Hic, quum ad ea loca pervenisset, et Agbarum in Christi sanavit nomine, et omnes ejus regionis incolas miraculorum novitate perculit. quumque illos hujusmodi admirandis operibus satis praeparasset, et ad cultum venerationemque divinae Christi potentiae perduxisset, tandem salutaris doctrinae auditures reddidit.*

Digitized by Google

της τȣ Χριςȣ δυναμεως, μαθητας της σωτηριȣ διδασκαλιας κατεςησατο. at nec de reliqua Thaddaei vita, nec de martyrio quidquam adjecit. Acta quaedam memorat Lambecius, et ex hoc Fabricius, (10) quorum initium est, Ο μακαριος Λεββαιος, ὁ ϗ Θαδδαιος. in Menologio autem Basiliano, post Abgarum veteri morbo liberatum, dicitur is Arat profectus esse, et illic martyrii lauream invenisse. Ειτα καταλαβων Αρατ την πολιν, ϗ ςαυρωθεις ϗ τοξευθεις, ετελειωθη. verum haec unde hausta, quis dixerit? tum ipsa urbs Arat ubi fuerit; haud satis liquet. erat Aratha ad Margum fluvium in Margiana ultra Hyrcaniam: erat et Arathos in finibus Arabiae Felicis ad sinum Persicum, quae oppida apud Cellarium recognoscere possis. sed quam ex his urbem adierit Thaddaeus, eo difficilius quis definierit, quod illud quoque incertum est, num idem in eas unquam regiones pervenerit.

III. Praeter commune Apostolorum templum, propriam Thaddaeo aedem in urbe regia dicatam fuisse non invenio. at sacrarium fortasse in uno aliquo e templis habebat, quae numero quinque Thomae Apostolo sacra erant, (11) cujus laborum socius in vita fuerat.

(10) Bibl. Gr. T. VIII. p. 145. (11) v. comm. die VI. Oct. n. 2.

AD DIEM XXII.

MENSIS AVGVSTI

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΒ ΕΙC ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΓΑΘΟΝΙΚΟΥ.

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΡΛΗ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟC ΤΟΙC ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙC, ΤΑΥΤΑ ΕΝΤΕΛΛΟΜΑΙ ΥΜΙΝ, ΙΝΑ ΑΓΑΠΑΤΕ ΑΛΛΗΛΟΥC (ΠΡΟΕΓΡΑΓΗ CΑ. ΤΗC Γ ΕΒΔΟΜΑΔ. ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Sero hic Martyr a Latinis in Fastos receptus cum sociis, e quibus nominatim cietur Zoticus: sed apud Graecos jamdiu illustris erat, numerabanturque martyrii socii sex, Zoticus, Princeps, Zeno, Theoprepius, Acindynus, Severianus, qui sub Maximiano palmam tulerunt. Acta edidit Pinius, (1) quorum et summaria in Me-

(1) T. IIII. Aug. a p. 522.

Digitized by Google

Menologiis habemus. porro Agathonicus Nicomediae quidem comprehensus est, at Byzantii flagellis caesus, et Selymbriae demum ad Propontidem, capite damnatus, martyrium consummavit. itaque nec in Martyrologio Romano recte scriptum est, *Nicomediae Passio sanctorum Agathonici, Zotici et sociorum Martyrum*: nec bene in Menologio Sirletino *Lilybaei* martyrium id fuisse dicitur: quamobrem ne Cajetanus quidem Agathonicum Siculis Martyribus adnumeravit.

II. Claram Martyris hujus memoriam apud Constantinopolitanos prima ejus confessio fecerat, verberibus ibidem pro Christi nomine toleratis. eam mox, templi honore delato, illustriorem reddidit Constantinus magnus, quemadmodum Cedrenus aliique tradidere. (2) unde apparet, ab ipso prope martyrio inter *Vindicatos Martyres*, ut Optatus Milevitanus appellat, (2) eum habitum esse. neque enim in eo colendo pie se facere Augustus ille existimasset, nisi antea de martyrio legitimo ab Ecclesia pronunciatum fuisset. sic enim Optati locum clarissimi interpretes explicarunt, ubi Lucillam a Caeciliano Archidiacono correptam narrat, quod *ante spiritalem cibum et potum os nescio cujus Martyris, sed necdum vindicati libaret*, id est oscularetur.

Addit Codinus, (4) templum Agathonici, quod *δρομικον* erat, sive quadrata et oblonga forma, (5) ab Anastasio Aug. primum restitutum esse: deinde a Iustiniano refectum a solo, minore ambitu: idque demum a Tiberio Mauricii socero intra Palatii fines receptum inclusumque, quod in ejus vicinia conditum esset. illa vero templi magnitudinem declarant, quae idem scribit, Patriarchas eo usos pro honoris sui sede annos quinquaginta septem, ibidemque quatuor Imperatores sollemni ritu Augustorum insignia sumpsisse.

De statua Verinae Aug. quae prope Agathonici templum erat, et a Suida memoratur, (6) dixi superius. (7) locum autem statuae collocandae delectum *μετα την ανοδον των εκειϛε βαθμιδων* idcirco putaverim, quod Verina quoque Martyris studiosa esset, atque in templi ejus ornamenta aliquid contulisset.

(2) p. 284. et Niceph. ad Codin.
(3) de Schism. Don. l. 1. c. 16.
(4) p. 85. Proc. de aed. l. 1. c. 5.
(5) v. Cang. CP. Chr. l. III. p. 7.
(6) v. Βηρινα
(7) ad diem III. Dec. n. 2.

AD DIEM XXV.

MENSIS AVGVSTI

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΕ ΕΙΣ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ ΤΙΤΟΥ.

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΛΒ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟΣ ΤΟΙΣ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙΣ, ΥΜΕΙΣ ΕΣΤΕ ΤΟ ΦΩΣ ΤΟΥ ΚΟΣΜΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΣΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Β, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I. Diem hunc sancti Titi Apostoli memoriae sacrum Graeci adhuc servant, quem Neapolitani sancto Barptolemaeo tribuerunt, Titi sollemnibus in diem hesternum rejectis, ut Kalendarium eorum demonstrat. at Romani a saeculo VIII. Titum honorant pridie nonas Ianuarias: Martyrologium enim Romanum vetus a Rosvueido editum eo die habet, *apud Cretam Titi Apostolorum discipuli*, nec jam post praeclaras Sollieri vindicias (1) in ambiguo quis jure servet, Martyrologium illud, Romanum, nec ne, sit, et octavo ne saeculo, an serius scriptum fuerit.

Praeter ea, quae de Tito sacris in litteris habemus, Episcopum eum *των επι* Κρητης Εκκλησιων appellat Eusebius: (2) quod in epistolae Paulli ad Titum subscriptione, quam Latina exempla non reddunt, pariter legimus: (*) Προς Τιτον της Κρητων Εκκλησιας *πρωτον* Επισκοπον *χειροτονηθεντα εγραφη απο* Νικοπολεως *της* Μακεδονιας. eundem amplissime laudat Chrysostomus, laudant ceteri Patres, qui commentarium in eam Paulli epistolam scripsere. atque horum dictis contentos nos esse oportet. nam quae de patria ejus et prima institutione in Menologiis Menaeisque leguntur, fabulosa videntur. (3) Corinthium potius, quam e Creta, eum facit Chrysostomus in homilia I. ad epistolam Paulli ad eum missam. Οιμαι δε, inquit, *αυτου και εν ταις* Πραξεσιν *ειναι μνειαν*, id est capite XVIII. n. 7. ubi de Paullo scriptum est, Και *μεταβας εκειθεν*, *ηλθεν εις οικιαν τινος ονοματι* Τιτου Ιουστου. quamquam vulgata Exemplaria Graeca non habent Τιτου, sed tantum Ιουστου, quum in Latinis sit *nomine Titi Iusti*, et Τιτου Ιουστου etiam legerit in aliquibus Grae-

(1) Praef. ad Usuard. c. 2.

(2) Hist. Eccl. lib. c. 4.

(*) *Ad Titum primum Cretensium Ecclesiae ordinatum Episcopum scripta est Nicopoli Macedoniae.*

(3) v. Bolland. T. I. Ian. p. 163. Tillem. T. II. p. 141.

Graecis Valesius et Stefanus. pergit autem Chrysostomus, *ταχα ϗ Κορινθιος ην, ει μη τις ἑτερος ην ὁμωνυμος αυτῳ.* (*)

II. In insula Creta defunctum Titum placido exitu, docet nos Graecus Interpres operis Hieronymiani *de Viris Illustribus*, sive Sophronius is, sive alius fuerit: nam quum alia quaedam de aliis, tum haec de Tito in veteri codice reperit Erasmus, quae in exemplari Latino Hieronymi desiderantur: (4) Τιτος Επισκοπος Κρητης εν αυτῃ ϗ ταις περιξ νησοις εκηρυξε το Ευαγγελιον τȣ Χριςȣ· εκει ϗ εκοιμηθη ϗ εταφη εν Κρητῃ. Gortynae etiam sepultum putare licet. nam successor ejus Andreas Cretensis, Archiepiscopus Gortynae in oratione, quam hodie habuit εις τον ἁγιον ϗ μακαριον ϗ πανευφημον τȣ Χριςȣ Αποςολον Τιτον, sepulcrum ejus tamquam praesens sic memorat: (5) Ταυτα Τιτος ἡμιν δι' ἡμων των ευτελων ὑποκινυριζων εκ Ταφȣ διδασκει τῳ πνευματι. et sub finem gratam ei orationem suam sperare se dicit fore, οἱον τι μικρον Επιταφιον. in Menologio autem Basiliano aetas ei tribuitur εννενηκοντατεσσαρων ετων.

In urbe, quae nunc Candia dicitur, at olim vel Cytoeum vel Matium fuisse creditur, exstare adhuc templum Titi memoriae dicatum, auctor est Bollandus, (6) qui et sacrum ejus Caput ibidem adservari tradit. at de honoribus Titi in urbe regia, nihil mihi in numerato est. valere tamen Kalendarii nostri auctoritas debet, ut sacrarium illi suum, praeter commune Apostolorum templum, alicubi fuisse statuamus. caussa quippe aliqua et ratio esse debuit, cur prae aliis sive Apostolis sive Apostolorum discipulis, quos omissos videmus, Titi nomen in Kalendarium referretur. aliquid certe de sacris pignoribus ejus, petentibus Constantinopolitanis, eo vel inviti submisisse Cretenses putandi sunt, qui imperio parebant, quorumque intererat Apostoli sui templum sacrariumve in regia urbe exstare, quo ipsius insulae dignitas commendaretur. fuisse ibidem monasterium των Κρητικων, apparet ex albo monasteriorum, quod superius edidimus: huic aedem Tito sacram adstructam fuisse, nemo veri dissimile esse jure affirmaverit.

AD

(*) *Existimo autem de eo in Actis quoque Apostolorum mentionem fieri. fortasse et Corinthius erat, nisi alter quispiam eodem fuit nomine.*

(4) Append. 1. n. 9. post Hieron. de V. I. *Titus Episcopus Cretae in ipsa, et quae circa sunt, insulis Evangelium Christi praedicavit: ibidemque obdormivit, et in Creta sepultus est.*

(5) apud Combef. Auct. T. 1. p. 171. *Haec Titus, voce e sepulcro submissa, nos spiritu edocet, tenuitate nostra usus.*

(6) Ibid. p. 164. §. 15.

AD DIEM XXVIIII·

MENSIS AVGVSTI

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΘ ΕΙC ΤΗΝ ΑΠΟΤΟΜΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΠΡΟΔΡΟΜΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΡΚΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΝΖ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΗΚΟΥCΕΝ Ο ΒΑCΙΛΕΥC ΗΡΩΔΗC ΤΗΝ ΑΚΟΗΝ ΙΗCΟΥ κ· τ· λ·

I· Titulus diei hodierni in Kalendario Neapolitano est *Paſſio sancti Ioannis Baptiſtae*: quae formula Mazochio diem emortualem ſignificat, uti ſaepe in commentario ſuo admonet atque inculcat. verum ipſe Evangelicus rerum ordo declarat, Ioannem ab Herode ſublatum eſſe non multo ante Feſtum Paſchae, quemadmodum et ſacri Interpretes adnotant, et Baronius ac Florentinius in Martyrologiis ad hunc diem explicarunt. neque id inobſervatum antiquis fuit. nam in Martyrologio Romano veteri ſic Feſtum hoc ènunciatur, ut adſcitum agnoſcas. haec enim verba ipſa ſunt: IIII· *kal· Romae ad arcum Fauſtini Sabinae Martyris. eo die veneratur Decollatio sancti Ioannis Baptiſtae.* in Hieronymiano Florentinii non *Paſſio* ſcriptum, ſed *Natalis*: in Vſuardo vero, *Decollatio, vel potius Inventio Capitis beatiſſimi Ioannis Baptiſtae: ſiquidem Decollationem ejus circa ſollemnitatem Paſchalem eveniſſe, ex Evangelica comprobatur lectione: quae tamen hic feſtiva recolitur, quando Caput ejuſdem ſecundo receptum eſt in Emeſſa civitate, atque in Eccleſia conditum.* ſed de his plura Leſleus, (1) plura alii.

Ceterum quid Graeci Latinique ſequuti ſint, quum diem hunc miro conſenſu Ioannis Baptiſtae martyrio honorando tribuerunt, minime compertum exploratumque duxerim. nam quum alii hunc diem delectum eſſe putent, quod hoc die ſacrum ejus Caput inventum eſſet, alii quod hoc die Templum Alexandriae, honori Ioannis a Theodoſio magno conditum, a Theophilo Patriarcha ſollemni ritu dedicatum eſſet; neutrum hoc die peractum invenio. ac geminae quidem Inventionis ſollemnitatem diei XXIIII· menſis Februarii adſignatam vidimus: nec ſtat Paciaudi ſententia exiſtimantis, alteram ad hunc diem pertinere, et ob hujus memoriam hodie

(1) ad Miſſ· Mozar· p· 589· vide comment· diei XXIIII· Febr·

hodie *Decollationem* celebrari, quae quadragenarii jejunii diebus, ex Concilii Laodiceni praescripto recoli non posset. Dedicatio autem templi Alexandrini pertinere videtur ad diem XXVII. mensis Maii, quo die Theophanes Reliquias sancti Ioannis Alexandriam translatas scribit. (2) in hac certe opinione Tillemontius est: (3) quamquam fieri sane potuit, ut alio die Reliquiae inferrentur, alio Dedicatio perageretur. nec illud suspicari licet, hodiernam celebritatem a tertia sacri Capitis Translatione esse repetendam. nam haec ad saeculum nonum atque ad Ignatii Patriarchae Constantinopolitani tempora pertinet, (4) quae Beda et plerique alii, qui hodiernam sollemnitatem memorant, non viderunt.

II. Porro quaecumque hujus celebritatis origo fuerit, hanc apud Graecos potissimum et antiquam et sollemnem esse constat. quid enim aliud designant tot veterum Patrum orationes hoc die pronunciatae, quas Fabricius recensuit? (5) earum quaedam Photii aetate Chrysostomo tribuebantur, quamquam infra ejus eloquentiam visae: (6) et ante Photium tamquam Chrysostomi opus habita ab Anastasio Sinaita, quae incipit Παλιν Ηρωδιας μαινεται, (7) cujus initium Socrates et Sozomenus commemorarunt. (8) Martyr certe non semel a Chrysostomo praedicatur Ioannes, atque etiam Martyrum primus, ϗ Μαρτυς ϗ Μαρτυρων ὁ πρωτος: (9) ut jamtum et praeclari martyrii memoria in honore fuisse putanda sit.

Sepulcrum autem Ioannis, aevo Hieronymi, (10) visebatur Samariae, sive, uti jam ab Herodis magni temporibus nominabant, Sebastae: hic enim, Iudaeis jamdiu graecissantibus, urbium quoque nomina pleraque Graeca fecit. an illuc primum a discipulis truncum sancti Praecursoris corpus translatum fuerit, non satis liquet. (11) Caput contra Hierosolymis abditum creditur, ubi et primo repertum accepimus: (12) quamquam Ioannem Machaerunte interfectum fuisse, plerique cum Iosepho (13) censent, quae urbs trans Iordanem sita Herodi Antipae parebat, (14) et Ioannis natale solum a quibusdam habita est.

III. De

(2) In Chronogr. p. 68.
(3) Mem. Eccl. T. I. p. 494.
(4) v. Tillem. ibid. p. 503.
(5) Bibl. Gr. T. VIIII. p. 100.
(6) Bibl. cod. 274. p. 1521.
(7) Montf. Op. Chrys. T. VIII. in spur. pag. 1.
(8) Hist. Eccl. l. VI. c. 18. l. VIII. c. 20.
(9) Op. T. III. p. 526.
(10) Epist. 46. et 108.
(11) v. Tillem. T. I. p. 102.
(12) id. ibid. p. 104.
(13) Ant. Iud. l. XVIII. c. 7.
(14) Tillem. ibid. pag. 101. v. et Papebr. T. III. Iun. a p. 705.

III· De templis in regia urbe sancto Ioanni Baptistae dicatis non semel egimus. sollemnia hodie in Hebdomo potissimum acta crediderim, ubi templum a Theodosio magno conditum, in quo sacrum Ioannis Caput ab eodem repositum esse, Sozomenus scripsit: (15) cui tamen non omnes fidem habent. (16) idem templum appellat *μεγιϛον κ̧ περικαλλεϛατον*: Codinus forma rotunda fuisse tradit. (17) Ο δὲ Προδρομος ὁ ϛρογγυλοϛερος εκτισθη παρα Θεοδοσιȣ τȣ μεγαλȣ. quod autem addit Cangius, (18) id ipsum a Socrate (19) *Μαρτυριον τȣ Βαπτιϛȣ Ιωαννȣ* appellari, *μνημονικον αμαρτημα* est: Socrates enim Ioannis Apostoli templum sic vocavit, scripsitque *Μαρτυριον τȣ Αποϛολȣ Ιωαννȣ*, ut Valesius edidit. quare minus certum haberi debet, quod inde argumentabatur, *Μαρτυριον τȣ Εβδομȣ* a Palladio in vita Chrysostomi commemoratum, ipsum esse templum Ioannis Baptistae, quod Theodosius in Hebdomo sive in Campo aedificarat.

Evangelium hodie idem ex Marco Latini legimus, nisi quod tres priores numeros omittimus.

(15) Hist· Eccl· l· vII· c· 21·
(16) v· Tillem· T· 1· p· 494· &c·
(17) pag· 55·
(18) CP· Chr· l· IIII· p· 101·
(19) lib· vI· c· 6·

A D D I E M XXXI·

M E N S I S A V G V S T I

ΜΗΝΗ ΤΩ ΑΥΤΩ ΛΑ ΤΑ ΚΑΤΑΘΕϹΙΑ ΤΗϹ ΖΩΝΗϹ ΤΗϹ ΑΓΙΑϹ ΘΕΟΤΟΚΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΝΚΕ

ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΕΚΕΙΝΩ ΔΙΗΡΧΕΤΟ Ο ΙΗϹΟΥϹ ΤΗΝ ΙΕΡΙΚΩ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΚΥΡ· ΙΕ ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

ΤΗ ΑΥΤΗ ΗΜΕΡΑ ΕΙϹ ΤΗΝ ΜΝΗΜΗΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΠΑΤΡΙΑΡΧΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, ΙΩΑΝΝΟΥ ΚΑΙ ΠΑΥΛΟΥ ΤΟΥ ΝΕΟΥ

ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΛΒ

ΕΙΠΕΝ Ο ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΕΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΤΑΙϹ, ΥΜΕΙϹ ΕϹΤΕ ΤΟ ΦΩϹ ΤΟΥ ΚΟϹΜΟΥ (ΠΡΟΕΓΡΑΦΗ ΜΗΝΗ ϹΕΠΤΕΜΒΡΙΩ Β, ΚΑΙ ΕΚΕΙ ΖΗΤΗ)

I· Nullum, opinor, hodiernae sollemnitatis testimonium Kalendario nostro antiquius habemus. nam quae de hoc argumento ex-

Digitized by Google

exstant Germani Patriarchae orationes, non ad primum, sed ad ad alterum Germanum pertinere putantur, qui saeculo XIII. Ecclesiam Constantinopolitanam administravit. enimvero non levis inde auctoritas accedit iis, quae in Menologio Basiliano narrantur, his verbis: Ο τȣ μεγαλȣ Θεοδοσιȣ ὑιος Αρκαδιος την τιμιαν Ζωνην της ὑπεραγιας Θεοτοκȣ εξ Ιεροσολυμων εξαγαγων, φυλαττομενην εκεισε μεχρι τȣ τοτε καιρȣ, μετα ϗ της τιμιας εσθητος, ὑπο παρθενȣ γυναικος τινος. ϗ εν Κωνςαντινȣπολει αποκομισας, καταθετο εν λαμπρᾳ θηκῃ, ἡν ϗ εκαλεσεν ἁγιαν σορον. (*) atque huc trahenda sunt quae habet Nicephorus, (1) sacram scilicet Zonam in Chalcopratiis (2) a Pulcheria Augusta esse repositam: facile enim utrumque componitur, si eam ab Arcadio quidem primum Hierosolymis receptam putemus, quod non negat Nicephorus; templo autem Chalcopratiano a Pulcheria exaedificato, eandem demum, sive λαμπραν θηκην, quam pater paraverat, a filia novum in templum inlatam esse dicamus.

Hinc jam contemnere licet hodiernum vulgarium Menaeorum titulum, qui est hujusmodi: Η Αναμνησις της εν τῃ ἁγιᾳ σορῳ καταθεσεως της τιμιας Ζωνης ὑπεραγιας Θεοτοκȣ εν τῳ σεβασμιῳ αυτης οικῳ εν τοις Χαλκοπρατειοις απο της επισκοπης Ζηλας επι Ιȣςινιανȣ τȣ βασιλεως. (*) Zela in Ponto erat, in finibus Armeniae minoris, cujus urbis Episcopi pluribus Conciliis interfuerunt. inde sacram illam Zonam Costantinopolim adlatam esse, sine bono auctore quis credat? nec vero a Iustiniano quidquam in Chalcopratiis aedificatum accepimus: contraque Sacrarium ibidem conditum novum, et templum ipsum restitutum a Iustino et Sophia Augg. qui Iustinianum proxime consequuti sunt, auctor est Codinus: (3) Την δε ἁγιαν σορον τα Χαλκοπρατεια Ιȣςινος ϗ Σοφια εκτισε, ϗ τον ναον ανοικοδομησαντες . . . . . . ὁπȣ ϗ αποκειται ἡ Ζωνη της ὑπεραγιας Θεοτοκȣ.

11. Addit auctor Menologii Basiliani, quadringentis decem

post

(*) *Arcadius magni Theodosii filius venerandam sanctissimae Genetricis Dei Zonam Hierosolymis educens, ubi usque ad illa tempora una cum pretiosa Veste fuerat a quadam virgine adservata, eamque Constantinopolim transferens, deposuit in eleganti theca, quae sancta Arca fuit appellata.*

(1) Hist. Eccl. l. XV. c. 2. et 14.

(2) v. comment. dici 1. Sept. n. 4.

(*) *Memoria depositae in sancta Arca venerandae Zonae sanctissimae Deiparae, in venerabili ipsius aede Chalcopratiana, ex Episcopatu Zelae sub Iustiniano Aug.*

(3) ex Orig. CP. p. 56. *Aedem sanctae Arcae Chalcopratianam Iustinus et Sophia condidere, ac templum refecerunt . . . . ubi et servatur Zona sanctissimae Deiparae.*

post annis apertam esse venerandam illam Arcam, Leone Imperatore, qui nempe cognomento *Sapiens* dictus est, ut sacra Zona imponeretur Zoe uxori ejus a malo daemone vexatae; quam et sanatam illico fuisse affirmat. simul autem, qualis inventa fuerit Zona, sic scribit: Ευρεθη ουν ἡ τιμια Ζωνη ὡς νεουφαντος, αποςιλβουσα, σφραγιδα εχουσα δια χρυσινης βουλλης, και κωδικελλον εμφαινοντα λεπτομερως και τον τε χρονον, την ινδικτιωνα και την ἡμεραν, καθ' ἡν εν Κωνςαντινουπολει προσεκομισθη ἡ ἁγια Ζωνη. (*) ceterum vel mendum in annorum numero est, vel ad Leonem Armenum res spectat, qui administrare imperium coepit anno DCCCVIII· sive anno CCCCV. post Arcadii mortem; quum hic obierit anno CCCCVIII· Leo enim Sapiens imperium suscepit anno DCCCCLXXXVI· itaque pro Zoe inducenda erit Theodora, quae Leonis Armeni uxor habetur: vel refingendi numeri, scribendumque Χρονων δε διελθοντων τετρακοσιων ογδοηκοντα. at quomodocumque haec se habeant, Kalendarii nostri aevo recentiora sunt.

Quadrat autem Evangelii lectio ex Luca, in qua de Zacchaei domo dictum est, Οτι σημερον σωτηρια τῳ οικῳ τουτῳ εγενετο. quippe indicabatur, Constantinopolitanos, sacro illo thesauro intra urbem recepto, magnum sibi ad omnia pericula praesidium comparasse. ea certe lectio apud Graecos ad templorum Dedicationem non pertinebat, quemadmodum a Latinis usurpatur. nam illi quum Encaenia celebrabant, binas habebant lectiones ejus sollemnitatis proprias, quae in codice nostro post Kalendarium designantur, alteram ex Evangelio Ioannis, κεφαλαιον ΥΙΒ, Τῳ καιρῳ εκεινῳ εγενετο τα εγκαινια εν Ιεροσολυμοις, και χειμων ην, κ. τ. λ. ut legimus cap. x. a n. XXII· alteram ex Evangelio Matthaei, κεφαλαιον ΡΞΕ, τῳ καιρῳ εκεινῳ ελθων ὁ Ιησους εις τα μερη Καισαριας της Φιλιππου, κ. τ. λ. ut legimus cap. XVI· a n. XIII·

III· Tres denique Patriarchae agmen claudunt, Alexander, Ioannes, Paullus, de quibus in Menologio Sirletino mentio fit pridie hujus diei, in Basiliano vel nusquam, vel de uno Ioanne ad diem XXV. mensis hujus. Kalendarium vero Neapolitanum hoc ipso die Alexandri unius meminit, quem et Martyrologium Romanum v. kal· Sept. memorat, ceteris omissis, quos Graeci solum et qui hos sequuntur, Mosci in Fastos suos retulerunt.

Iam

(*) *Itaque reperta fuit adoranda Zona perinde ac si recens contexta, refulgens, aurea signata bulla, et codicillo adamussim indicante annum, indictionem et diem, quo Constantinopolim sacra Zona adlata fuerat.*

Digitized by Google

Iam vero clara omnino et illustris est Alexandri memoria ob laudes in primis, quibus eum veteres Patres Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Theodoretus cumularunt. quo anno pontificatum regiae urbis susceperit, minus liquet: nisi quod veri plane similis videtur opinio Cuperi (4) annos xiiI· ab eo in pontificatu exactos statuentis, ut initium duxerint anno cccxxvI· aut proximo posteriore, et anno cccxxxx. desierint. hujus precibus, pestem illam Ecclesiae, Arium sublatum esse, et impietatis suae poenas dedisse, legimus in Actis Metrophanis et Alexandri: (5) quo etiam pertinent Gregorii Nazianzeni verba ad Constantinopolitanos: (6) *Μεμνησθε γαρ της Αποςολικης εκεινης ευχης, ἡ τον αρχηγον της ασεβειας κατελυσεν εν τοποις αξιοις των της γλωσσης αμαρτηματων, ἱν᾽ ὑβρις ὑβριν αμυνηται, ϗ ςηλιτευθη θανατῳ δικαιῳ θανατος ψυχων αδικος*. hinc autem Latini veteres rem eandem in Martyrologiis suis consignarunt. cetera de Alexandro, quaecumque congeri potuere, habes a Stiltingo; (7) nam in Actis, quae memoravi, et pauca ad Alexandrum spectant, et pleraque parum certa videntur.

IIII· Ioannes Alexandro additur, qui Scholasticus dictus est, et tertius quoque appellatur, de quo Evagrius, (8) *Ιωαννης δε τῳ θρονῳ της Κωνςαντινȣπολεως Εκκλησιας αντεισαγεται, ὁ εκ τȣ Σηρημιος· κωμη δε αυτη* [illegible] *τῃ Κυνηγικῃ κειμενη της Αντιοχεων χωρας*. Menaea quidem ad diem xxI· Februarii meminere his verbis: *Τῃ αυτῃ ἡμερᾳ ὁ εν ἁγιοις πατηρ ἡμων Ιωαννης Πατριαρχης Κωνςαντινȣπολεως ὁ απο Σχολαςικων εν ειρηνῃ τελευται*. verum praeterquam quod Bollandus Cappadocem potius eo die coli duxit, (9) qui Ioannes iI· est, de quo egimus ad diem iI. Septemb. num. iiI· jam Theophanis testimonio, ut ibidem indicavimus, constat, Ioannem Scholasticum hoc die obiisse. cognomen autem is a professione invenerat, quod aliquando causidicus fuisset. nam perdiu quos Advocatos appellamus, Scholastici dicti sunt. in Actis sanctae Mariae Martyris, quae vulgavit Baluzius, Nigagores quidam, qui Tertullum defendebat, modo *Scholasticus*, modo

(4) Hist· Chron· Patr· CP· a n· 58·

(5) apud Phot· Cod· 256· p· 1417·

(6) Orat· 27· pag· 464· *Neque enim memoria vobis excidit Apostolica illa precatio, quae impietatis ducem in locis impurissima lingua dignis oppressit: ut nimirum contumelia contumeliam ulcisceretur, atque animarum injusta mors justa morte ad aeternam infamiam plecteretur*·

(7) T· vI· Aug· a p· 195·

(8) l· IIII· c· 38· *Ioannes vero in ejus locum subrogatus· ortus hic erat ex Seremi, qui vicus est Cynegicae regionis in agro Antiochensi*·

(9) T· iI· Febr· p· 234·

modo *Advocatus* audit. idque aliis exemplis confirmat Zirardinus ad Novellam alteram Theodosii junioris.

Sed de Ioannis potius sanctitate inquirendum est. eum primus pessime habuit Baronius, nec satis benigne, Raderum sequutus, de eodem sensit Cuperus. hic ego de Baronii judicio quid dicam? quum is animum potius et consilium, quam Ioannis facta vituperet. commemorato enim sancti Eutychii exsilio, *Continuo*, inquit, (10) *de successore eligendo actum, delectusque fuit Ioannes cognomento Scholasticus, ex Apocrisiario Ecclesiae Antiochenae, homo plane servus gloriae et nundinator rerum sacrarum, quique pretio adulationis eam mercatus est dignitatem*. haeresis quidem tum eruperat Aphthartodocetarum, quam Iustinianus fovebat impensius, cui edicto etiam patrocinatus fuerat. fautorem tamen habuisse Ioannem non videtur, etsi omnes ille Episcopos in sententiam suam adducere conatus esset. nam ut fraudem simul et periculum declinarent, consilium ejusmodi inierunt Episcopi, ut de ea controversia sententiam sanctissimi viri Anastasii Archiepiscopi Antiocheni rogandam dicerent. sic enim Evagrius, (11) *Οις συναινειν τȣς εκαςαχη ἱερεας κατηναγκαζε* (Iustinianus). *παντες μεν ȣν ες Αναςασιον τον Αντιοχειας Επισκοπον καραδοκειν ειποντες, την πρωτην πειραν απεκρȣσαντο*. cujus ego consilii auctorem Ioannem nostrum facile crediderim, quippe qui ex ea Ecclesia prodierat, ejusque Apocrisiarius fuerat; nec ignorabat, quam tuto ea res Anastasii fidei et doctrinae committeretur. sapiens autem consilium felix rerum exitus comprobavit. nam et Anastasius edictum Iustiniani constantissime refutavit, et Iustinianum ipsum subsequuta mors meliora sentire coëgit.

Quid deinde Raderus, cujus verba e scriptis ejus a Cupero referuntur? (12) *In nullis*, inquit, *Latinorum tabulis hunc Scholasticum lego*. hoc damus; sed plerique alii a Latinis omissi, quos Graeci merito venerabantur. pergit vero idem Raderus: *Nec in Menologio est ulla ejus mentio, meritoque ab omnibus praeteritus*. at hoc plane falsum: non modo enim hunc memorat Menologium Sirletinum, sed Kalendarium quoque nostrum recenset, annis prope

(10) in Ann. ad ann. 564. n. 14.

(11) ibid. c. 39. *Porro Iustinianus omnes ubique Episcopos per vim cogere instituit, ut huic opinioni adsentirentur. sed quum universi sententiam Anastasii Antiochensis Episcopi expectare se respondissent, primum Imperatoris impetum declinarunt*. v. Nic. Riegels. in Tentam. de doct. publ. Eccl. Gr. saec. VI. Chilonii edito, p. 74.

(12) ibid. n. 375.

pe trecentis antiquius. *Nusquam*, addit, *hunc Ioannem haereticum fuisse lego, quamvis haereticis praefuerit.* haereticos ne appellabimus, qui Anastasii Antiocheni judicium expectandum censuerunt? *Sed Iustiniano tamen*, inquit, *Aphthartodocianis faventi non. restitit.* imo quod ipse frustra se facturum videbat, ut fortior se utiliter faceret, consilio effecit. denique *Nulla*, ait, *hujus sanctitatis vestigia deprehendo, nec Baronius in Iustiniano Ioannem laudat. a sacris ergo Fastis exesto.* atqui Radero et Baronio antiquiores Graeci, qui Ioannem in Kalendarium retulerunt, plura de illo, quam ipsi nossent, scire potuere, et vestigia illa persequi, quae vetustas oculis nostris subducta delevit. nemo igitur Ioannem e Fastis expungat, qui ante annos mille eo honore dignus habitus est. suffragatur porro Kalendario nostro Photius, qui cod. LXXV. mentionem facit *τȣ εν ἁγιοις Ιωαννȣ αρχιεπισκοπȣ Κωνςαντινȣπολεως τȣ απο Σχολαςικων*, et scriptorum ejus, *των ενθεως δογματισθεντων περι της ἁγιας ϗ ὁμοȣσιȣ Τριαδος*: quique cod. xxIII. Acta memorat disputationis coram eo habitae ab haereticis, quo quidem judice certare illi noluissent, si alterutrius partis fautor creditus esset.

V. Tertio loco est Paullus *ὁ νεος*, hujus nominis tertius Patriarcha, de quo plura diximus ad diem II. mensis Septembris n. I. hunc iterum hoc die coli, ut credam, movet me etiam Pinius, (13) qui Paulli III. memoriam celebrari putat die xx. Augusti, diemque hodiernum Paullo huic nostro *τῳ νεῳ* vacuum relinquit. nisi quod mihi in comperto non est, cur ejus hodie iterata memoria sit. sedenim contemnenda Papebrochii opinio non videtur existimantis, (14) diem hunc trium Patriarcharum Translatione insignem fuisse. hoc certe extra controversiam est, quum eos, ut mos ferebat, in templo Apostolorum primitus sepultos fuisse ambigendum non sit, Festum tamen eorum hodie in templo Sophiano actum esse, quo die unum Ioannem decessisse scimus. docet hoc nos vetus codex Parisiensis, quem apud Dominicianos descripsit Papebrochius, quod Menaeum complecteretur. in eo ad diem xxx. hujus mensis scriptum est, (15) *Μνημη των ἁγιων πατερων ἡμων ϗ Αρχιεπισκοπων Κωνςαντινȣπολεως Αλεξανδρȣ ϗ Ιωαννȣ ϗ Παυλȣ τȣ νεȣ. τελειται δε ἡ τȣτων Συναξις εν τῃ ἁγιωτατῃ μεγαλῃ Εκκλησιᾳ.* itaque et corpora eorum illuc hodie translata fuisse, non immerito statuemus, eam-

(13) T. III. Aug. p. 96.
(14) ad Ephem. Mosc. fig. die xxx. Aug.
(15) Cuper. ibid. n. 594.

eamque esse caussam, cur Paulli τȣ νεȣ memoria rursum hodie in Kalendario recurrat.

Hic porro omnium Patriarcharum, quos hactenus recensuimus, ut loco, sic tempore novissimus est. inde liquet, apud Constantinopolitanos quandoque ne Patriarchis quidem sanctitate claris honores caelestes decretos esse, nisi multis post annis, quam vitam caelestem mortali hac et misera commutassent. decessit enim Paullus hic noster junior an. DCLXXXXIII. at Kalendarium exaratum diximus post annum DCCXXXX. intra hoc septem et quadraginta annorum spatium virtute claruere Callinicus, Cyrus, Germanus Patriarchae, quos Graeci subinde inter sanctos Caelites habuerunt. eorum autem ultimus mortuus erat anno DCCXXX. secundus anno DCCXI. primus anno DCCV. itaque ab hujus morte saltem anni XXXV. elapsi erant, quum Kalendarium in lucem emissum est, nec tamen Callinicus etiamtum in Fastos relatus fuerat, quem utique postea in Menologiis Menaeisque omnibus celebratum invenies die mensis hujus XXIII. aut XXIIII.

VI. Ceterum illud mihi dissimulandum non est, aliis etiam multo antiquioribus caelestes hic honores tributos non esse, qui aeque Patriarchae fuerant regiae urbis, et sepulcra ibidem ex vetere instituto habebant: quum eos tamen hodie non modo Graeca, sed Latina quoque Ecclesia plerosque colat ac veneretur. ii sunt Evagrius, Flavianus, Anatolius, Macedonius II. Menas, Constantinus, Georgius: qui omnes ante Paullum illum tertium floruerunt. atque id me quidem diutius suspensum animi habuit; quum nullam plane probabilem caussam reperirem, quare serius eorum nomina sacros in Fastos relata dicerem. neque enim expedita illa Mazochii ratio placebat, qui de Kalendario Neapolitano quum ageret, et pari difficultate premeretur, quod nempe quidam, qui domi, ante Kalendarii aevum, sanctitate clari fuerant, in eo tamen non legerentur; eam esse caussam ait, quia de eorum cultu serius actum esset. (16) hoc quippe ipsum hic mihi quaerendum videbatur, quare de talium virorum honore Ecclesia Constantinopolitana sileri tamdiu passa esset. nec magis in eo adquiescebam, quod plerique ex illis in exsilium acti, peregre defuncti essent. nam hoc et Paullo I. et Ioanni Chrysostomo acciderat, quorum tamen amborum memoria in Kalendario nostro bis celebratur: tum si

(16) in Diatr. p. XXXVI.

si quid illud valeret, non idem de reliquis dici posset, qui in ipsa urbe mortui erant.

At ubi me ad Patriarcharum Historiam Chronologicam Cuperianam retuli, veram tandem praetermissionis hujus caussam in ea quodammodo prodi, aut certe aliquatenus significari deprehendi. nam illud passim animadvertere licuit, Patriarchas, quos in Kalendario omissos esse miramur, singulos in recta doctrina retinenda, atque in haereticis profligandis enituisse: simul vero singulis fere proximos successisse, aut certe adversatos esse homines haereticos, et factionis dominatione ac Principis favore potentes. nimirum sanctus Evagrius anno CCCLXX. in exsilium ejectus, Demophilum successorem habuit, Arianum hominem et Valentis Aug. gratia subnixum. subinde Flavianum et Anatolium, uno Gennadio intermedio, excepit Acacius, fautor ille partium Eutychianarum, quem etiam sequutus est Phravitas Mongi studiosus, ambitu et fraude infamis. sancto Macedonio II. ob Concilii Chalcedonensis patrocinium deturbato, factus est Patriarcha Timotheus homo perditus et in Anastasii Aug. studia pronus. felicior quidem Menas, qui sanctos viros successores habuit; at eo tempore, quo multi etiamtum pro tribus Capitulis, quae ille ante alios damnarat, strenue pugnabant. nec Constantinus ac Georgius, flagrante Monotheletarum bello, vel sine malo successore, adversariis caruerunt: loco enim moti feruntur: quod factionis vim potentiamque declarat.

Haec mihi argumento sunt, honores eorum ideo retardatos esse, quod vel qui proxime iis successerant, vel qui tum plus poterant, alieno ab iis animo essent, ac diversa sentirent: ceteris autem, qui memoriam eorum caram habebant, parum tutum videretur de cultu eorum decreta fieri; quum in dissidio illo animorum prave sentientium, quibus Imperatores plerumque faces addebant, novum excitari incendium repente posset. idcirco non ante illorum memoria revixisse videtur, quam exstinctis hominum odiis, discordiisque vetustate deletis, Ecclesia Constantinopolitana sub Concilii Nicaeni II. tempora paullulum respirasset: tumque primum bonis instantibus, Augustisque faventibus institutum puto, ut cum aliorum multorum sollemnitates, tum dies quoque eorum anniversarii festa recordatione celebrarentur.

VII. Tot demum regiae urbis Patriarchis passim commemora-

ratis, commode, opinor, hoc loco seriem eorum subjectam esse, omnes putaverint, quo tempora cujusque, ubi opus sit, cognoscere quisque aut conferre facile possit. nihil autem planius post Cuperi et Quieni curas, quos sane mihi omnino sequendos arbitror et jure arbitror; sic tamen, ut Patriarchas, qui ad Kalendarii nostri aevum non spectant, vel eos certe, qui post saeculum VIII· Ecclesiae illi praefuere, minime attingam.

SERIES PATRIARCHARVM CONSTANTINOP·

S· METROPHANES	ab anno CCCXV.	ad CCCXXV.
S· ALEXANDER	ab anno CCCXXV.	ad CCCXXXX.
S· PAVLLVS I·	ab anno CCCXXXX.	paullo post expulsus.
EVSEBIVS (17)	ab anno CCCXXXX.	ad CCCXXXXI·
MACEDONIVS I· (18)	ab anno CCCXXXXI·	ad CCCLX.
S· PAVLLVS I· iterum,	anno CCCXXXXII·	
et tertio	ab anno CCCXXXXVII.	ad CCCL.
EVDOXIVS (19)	ab anno CCCLX.	ad CCCLXX.
S· EVAGRIVS	ab anno CCCLXX.	paullo post expulsus.
DEMOPHILVS (20)	ab anno CCCLXX.	ad CCCLXXX.
S· GREGORIVS I· (21)	ab anno CCCLXXXI·	qui mox abdicavit.
S· NECTARIVS (22)	ab anno CCCLXXXI·	ad CCCLXXXXVII·
S· IOANNES I·	ab anno CCCLXXXXVIII·	ad CCCCIIII·
S· ARSACIVS	ab anno CCCCIIII·	ad CCCCV.
S· ATTICVS (23)	ab anno CCCCVI·	ad CCCCXXV.
S· SISINNIVS	ab anno CCCCXXVI.	ad CCCCXXVII·
NESTORIVS	ab anno CCCCXXVIII·	ad CCCCXXXI·
S· MAXIMIANVS	ab anno CCCCXXXI·	ad CCCCXXXIII·

S· PRO-

(17) hic intrusus et haereticus fuit, Arianarum partium dux·

(18) intrusus et haereticus Arianus·

(19) haereticus Arianus·

(20) haereticus Arianus·

(21) huic Quienus apponit Maximum Cynicum, Marinum et Dorotheum, quos Ariani Episcopos sibi deinceps adsciverunt·

(22) Sanctum appello, Kalendarium nostrum sequutus, et Bollandianos, qui nuper eundem inter Sanctos receperunt· sic porro et ceteros nominabo, quos in Kalendario eandem nomenclaturam sortitos videam·

(23) huic adscribit Quienus Bardam, qui post Dorotheum Arianis praefuit·

Digitized by Google

S· PROCLVS	ab anno ccccxxxiiI·	ad ccccxxxxvI·
S· FLAVIANVS I·	ab anno ccccxxxxvI·	ad ccccxxxxviiI·
S· ANATOLIVS	ab anno ccccxxxxviiI·	ad ccccLviiI·
S· GENNADIVS I·	ab anno ccccLviiI·	ad ccccLxxI·
ACACIVS	ab anno ccccLxxI·	ad ccccLxxxviiI·
PHRAVITAS vel *Flavitas*, aliis FLAVIANVS iI·	ab anno ccccLxxxviiI·	ad ccccLxxxx.
EVPHEMIVS	ab anno ccccLxxxx.	ad ccccLxxxxvI·
S· MACEDONIVS iI·	ab anno ccccLxxxxvI·	ad dxI·
TIMOTHEVS I· (24)	ab anno dxI·	ad dxviiI·
S· IOANNES iI·	ab anno dxviiI·	ad dxx.
EPIPHANIVS	ab anno dxx.	ad dxxxv.
ANTHIMVS I· (25)	ab anno dxxxv.	ad dxxxvI·
S· MENAS	ab anno dxxxvI·	ad dLiI·
S· EVTYCHIVS	ab anno dLiI·	ad dLxv.
S· IOANNES iiI·	ab anno dLxv.	ad dLxxiI·
S· EVTYCHIVS iterum	ab anno dLxxviI·	ad dLxxxiI·
S· IOANNES iiiI·	ab anno dLxxxiI·	ad dLxxxxv.
S· KYRIACVS	ab anno dLxxxxv.	ad dcvI·
S· THOMAS I·	ab anno dcviI·	ad dcx.
SERGIVS I· (26)	ab anno dcx.	ad dcxxxviiI·
PYRRHVS (27)	ab anno dcxxxviiI·	ad dcxxxxI·
PAVLLVS iI· (28)	ab anno dcxxxxI·	ad dcLiiiI· aut v.
PYRRHVS iterum	ab anno dcLx.	ad dcLv.
PETRVS (29)	ab anno dcLv.	ad dcLxvI·
S· THOMAS iI·	ab anno dcLxviI·	ad dcLxviiiI·
IOANNES V·	ab anno dcLxviiiI·	ad dcLxxiiiI·
S· CONSTANTINVS I·	ab anno dcLxxiiiI·	ad dcLxxvI·

(24) haereticus obtrectator Synodi Chalcedonensis.

(25) haereticus, Severi adsecta, Monophysites.

(26) haereticus Monotheleta.

(27) haereticus Monotheleta.

(28) haereticus Monotheleta.

(29) haereticus Monotheleta.

S· THEODORVS I·	ab anno DCLXXVI·	ad DCLXXVIII·
S· GEORGIVS I·	ab anno DCLXXVIII·	ad DCLXXXIII·
S· THEODORVS I· iterum	ab anno DCLXXXIII·	ad DCLXXXVI·
S· PAVLLVS III·	ab anno DCLXXXVI·	ad DCLXXXXIII·
CALLINICVS I·	ab anno DCLXXXXIII·	ad DCCV.
S· CYRVS	ab anno DCCV.	ad DCCXI· vel XII·
IOANNES VI·	ab anno DCCXI· vel XII·	ad DCCXV.
S· GERMANVS I·	ab anno DCCXV.	ad DCCXXX.
ANASTASIVS (30)	ab anno DCCXXX.	ad DCCLIII·
CONSTANTINVS II· (31)	ab anno DCCLIIII·	ad DCCLXVI·
NICETAS I· (32)	ab anno DCCLXVI·	ad DCCLXXX.
S· PAVLLVS IIII·	ab anno DCCLXXX.	ad DCCLXXXIIII·
S· TARASIVS	ab anno DCCLXXXIIII·	ad DCCCVI·

Si jejune haec atque exiliter prolata censes, patent fontes, unde plura haurias. hic quidem nil opus erat multa de singulis Patriarchis afferri; praesertim quum de his, quos Kalendarium ciet, fusius a nobis loco actum sit.

(30) haereticus Iconoclasta·
(31) haereticus Iconoclasta·
(32) haereticus Iconoclasta·

C O-

Digitized by Google

COROLLARIVM

DE

AVCTORITATE FASTORVM ECCLESIAE CONSTANTINOPOLITANAE

QVod bene vertat, diurnos commentarios nostros exegimus: parce tamen et restricte, ut adlevasse potius lectorem, quam onerasse videamur. nemo igitur aegre ferat, si corollarium nunc addimus alterum non longae orationis, qua Kalendarii nostri praestantiam commendemus. hanc nimirum a nobis quaedam prope necessitas exprimit; quum pleraque omnia Graeciae monumenta, quae minus antiqua sunt, contemni soleant: male jam audientibus Graecis omnibus sequiorum aetatum, quod mira magis, quam vera sectati, patriae decora, quacumque ratione possent, augere voluerint. qua quidem culpa Graecos ego omnes non libero, vereque multos eorum reprehendi arbitror, quod potissimum in sacram historiam plurimas induxerint fabulas, et nova nomina resque falsas non temere solum, sed vafre etiam et malitiose intermiscere ausi sint. illud tantum contendo, ut ut Graeci vix unquam a fabulis alieni fuerint, Ecclesiam tamen eorum perdiu labis istius immunem fuisse: ostendamque commenta illa, quae deinde passim recepta sacram historiam ipsamque divinorum officiorum seriem deturparunt, minus antiqua esse, quam feruntur: quippe quae ea primum aetate latius obtinuerint, quae Kalendarii nostri editionem consequuta est. sic hujus jam auctoritas in tuto erit, neque quisquam diffitebitur ea inter monumenta numerandum, quae ponderis plurimum historiae sacrae hactenus attulerunt.

II. Hoc igitur statuo, nullam esse suspicandi caussam, ab Ecclesia Graeca, quae Patriarchae Constantinopolitano parebat, Fastos sacros ante saeculum nonum ullis vel ignotorum vel indignorum hominum nominibus oneratos fuisse, aut historias sive Martyrum sive Confessorum data opera confictas, et tamquam germanas publice esse propositas.

Primum autem animadvertas, velim, quinam identidem, ab

Digitized by Google

ipso saeculi v. initio, siquidem inde etiam oriri suspicio possit, Ecclesiam Constantinopolitanam administrarint. neque ego eos commemorabo, quos Latina Ecclesia non colit: viros licet cum doctrina excultos, tum pietate insignes, qui profecto, si forte quidquam haereticorum vitio in rem sacram irrepsisset, non minus cognovisse, quam emendasse putandi sint. enimvero eorum, qui a nobis anniversario honore celebrantur, agmen ducit Ioannes Chrysostomus, egregius ille Ecclesiae suae et magister et parens, qui sane, qua fuit eruditione ac vigilantia, quidquid ad religiosum cultum pertineret, neque parum diligenter explorasse, neque minus ordinatum posteris reliquisse judicabitur. exinde inter successores ejus Ecclesia Romana sanctos aeque appellat recolitque quotannis Atticum, Proclum, Flavianum, Menam, sive, ut Latini vocant, Mennam, Germanum, Tarasium, quorum ea quoque laus fuit, ut sapientia etiam et doctrina praestarent.

Tales porro viros, quibus sacra omnia commissa erant, et quorum auctoritate populi nitebantur, quis aequo animo tulisse dixerit, ut in Ecclesia sua caelestium honores iis tribuerentur, quos vel haeresi aliqua infectos, vel pravis moribus dehonestatos obiisse constaret? quis credat, ullo ex his vel connivente vel ignorante effici potuisse, ut illorum ossa sacris altaribus supponerentur, annua eorundem sollemnitas ageretur, sacrum ipsum, certis precationibus lectionibusque destinatis, memoriae celebrandae caussa quotannis fieret? comprobat haec atque confirmat praeclara illa de Ecclesia Constantinopolitana magnoque ejus Patriarcha opinio, quae apud nostros quoque ea tempestate vigebat: quam et in Alcimi Aviti epistola VII. apud Sirmondum recognoscere licet. primum enim Viennensis ille Episcopus Ioannem Cappadocem regiae urbis Patriarcham, cui scribit, *Papam Constantinopolitanum* appellat. tum de redintegrata Orientalium pace se litteras accepisse, ac didicisse addit, *eam cum Romano Antistite vos habere concordiam, quam velut geminos Apostolorum principes mundo adsignare conveniat. quis enim, qui vel Catholicus dici potest, de tantarum ac talium Ecclesiarum pace non gaudeat, quas velut in caelo positum religionis signum pro gemino sidere mundus expectat? . . . . . custodite igitur quasi Patres traditam vobis etiam super nos Ecclesiae disciplinam. concordiae vestrae tantum opus est magisterio, quantum et exemplo.*

II. Quid,

11. Quid, quod per ea tempora Pontificis Romani auctoritas plurimum Constantinopoli etiamtum valebat? nam praeterquam quod parens idem et magister Ecclesiae sine controversia habebatur, nomenque ejus jamtum ad communionis Catholicae significationem in sanctis Mysteriis cieri solebat, quemadmodum nostra aetate Antonellius Cardinalis senior in Appendice ad *Vetus Missale Romanum* egregie declaravit: Synodicas etiam epistolas et mittebat et accipiebat: habebatque suos in urbe regia Apocrisiarios, quorum ea maxima cura erat, ut caverent, ne quid religio detrimenti caperet: quique, si contra Patrum scita quempiam moliri aliquid suspicati essent, de ea re ad Pontificem maximum litteras quam accuratissimas perscribebant. notiora haec sunt, quam ut exemplis confirmanda esse videantur: et manent adhuc epistolae Innocentii, Caelestini, Leonis, Simplicii, Felicis III., Gelasii, Hormisdae, Ioannis, Vigilii, Gregorii, Theodori, Agathonis, Leonis II., Gregorii II., Hadriani, aliorum, unde utrumque discimus, et de rebus Constantinopolitanis opportune illos plerumque ac diligenter edoctos esse, et quae officii ratio atque Ecclesiae dignitas posceret, ibidem pro potestate exegisse. quod etiam Augustorum nos epistolae docent: ut quum Iustinus senior Hormisdae scripsit: (1) *Quin etiam omni intentione ordinavimus, ut venerabilis Ecclesia Constantinopolitana, nec non complures aliae vota suscipiant vestra, non solum in ceteris, sed in auferendis etiam nominibus ex sacris Diptychis, quae removenda maxime postulastis*.

Quod si Pontifices Romani ad ceteras curas de iis etiam, qui contra fas sacris e Diptychis deleti fuerant, aut quos immerito in ea relatos audierant, tantopere laborarunt: unusque olim Acacius, quem expungendum censuerant, multorum annorum dissidium invexit: an existimare liceat, facile eos passuros fuisse, ut impune honor caelestium viris haereticis aut improbis tribueretur? praesertim quum gravior etiam caussa haec esset; quippe, ut alio loco monui, horum, qui in Diptychis legebantur, par honor non erat, atque eorum, qui in Kalendarium relati essent. porro ex Pontificis maximi consilio fere praeceptove Patriarchas ipsos nihilo minorem in eo operam posuisse constat, ut pro cujusque meritis alios quidem in Diptyca revocarent, alios inde amoverent. sic Atticus nomen Ioannis Chrysostomi recepit, sive, ut So-

(1) apud Hard. Conc. T. II. p. 1024.

Socrates ait, (2) *μνειαν Ιωαννȣ εν ταις ευχαις εκελευσε ποιεισθαι*: sic Ioannes Cappadox nomen Acacii delevit, (3) Euphemii ac Macedonii II. restituit: (4) sic in Concilio Constantinopolitano III. Actione XIII. (5) in Diptycha referri placuit nomina Patriarcharum Thomae I. Ioannis V. Constantini: *εν τοις ἱεροις διπτυχοις αναφερεσθαι των ἁγιωτατων εκκλησιων*. quare si tanta fuit ad defendendam Diptychorum integritatem conspiratio Antistitum atque consensus; pari, imo majori studio cautum Constantinopoli credendum est, ne cui unquam cultus caelestium proprius exhiberetur, quem eo indignum facta aut scripta testarentur.

Neque vero argumentum elevari, minusque valere existimes, quod Ecclesia Romana multos ex iis Patriarchis, quos Constantinopolitani non modo sacris Diptychis, sed veneratione etiam et annua memoria dignos putarunt, in tabulis suis antiquitus non habuerit, nec ullo unquam honore prosequuta sit. nam pro Ecclesiae Catholicae, cui praeerat, sanctimonia et dignitate, pertinebat quidem ad Pontificem maximum advigilare, ne uspiam indigni inter Sanctos adlegerentur: at nulla eum lex, nullum officium adigebat, ut quos Ecclesia Constantinopolitana coleret, eosdem ipse Ecclesiae quoque suae colendos proponeret. tum perdiu ea consuetudo viguit, ut urbes atque provinciae indigenas potissimum sive Martyres sive Confessores venerarentur: quorum praeterea ingens Romae numerus quum esset, vix locum aliis ullum relinquebat.

III. Sed tamen, inquies, apud Graecos falsa jamtum Acta, Martyrum quoque, vulgata fuerant, quae facile admissa, et in Ecclesiarum Menologia relata cernimus. verissimum illud profecto est, mature admodum, atque ab ipsis Apostolorum temporibus exstitisse, qui ficta martyria et commentitias historias perscriberent, de quibus saepe in Commentariis diurnis actum est. neque illud alterum omnino falsum, quaedam in Menologiis legi, quae illis e fontibus prodierunt. serius haec tamen inde hausta, nec ante saeculum nonum in Ecclesiarum Menaeis esse coeperunt. ostendi jam, quae Synaxaria appellantur, et summaria illa martyriorum vita-

(2) Hist. Eccl. l. VII. c. 25.

(3) Epist. ad Hormisd. apud Hard. Conc. T. II. p. 1017.

(4) ibid. p. 1339.

(5) ibid. T. III. p. 1352. plura de his, si tibi operae fuerit, quaere apud Saligum *de Diptychis veterum*, cap. VI. cujus titulus est *De nominibus Pontificum, Patriarcharum, Episcoporum et Presbyterorum in Diptychis*: item cap. XX. in quo agitur *de communione per Diptycha*.

vitarumque illustrium continent, inventum jure haberi aetatis recentioris, vel certe non ita antiquae, quam est Kalendarium nostrum. (6) deinde initiis illis consentaneum verique simile est, quae primum collecta fuere Martyrum Acta, ut in Ecclesiis legerentur, ea et pauca fuisse, et proba optimaeque notae singula: neque enim defuerant, qui Gelasium nostrum imitati, monerent, ne temere scriptoribus quibuscumque fides haberetur, neve corrupta aut falsa pro sinceris verisque reciperentur. canon est LXIII. Concilii Trullani, quod saeculo VIII. ineunte coactum fuit, quo in canone praescribitur, ut ejus generis historias non modo Ecclesia quaeque rejiciat, sed etiam igni tradat. (7) *τα ψευδως ὑπο των της αληθειας εχθρων συμπλασθεντα μαρτυρολογια, ὡς αν τους του Χριστου Μαρτυρας ατιμαζοιεν, και προς απιστιαν εναγοιεν τους ακουοντας, μη επι εκκλησιας δημοσιευεσθαι προσταττομεν, αλλα ταυτα πυρι παραδιδοσθαι· τους δε ταυτα παραδεχομενους, η ὡς αληθεσι τουτοις προσεχοντας αναθεματιζομεν*. unde item, opinor, apparet, inaudita etiamtum nomina fuisse *Μενολογιον*, *Μηναιον*, *Συναξαριον*, quum eorum usurpandorum locus hic esset maxime proprius.

Sume etiam, si libet, in manus Acta Concilii Nicaeni II. in quibus multa sane e Martyrum et Confessorum historiis petita in medium proferuntur: nihil tu illic fere sine certo auctore depromi videas; interdum vero qua etiam e bibliotheca libri prodiissent, et quis eos attulisset, indicatum reperias. ibidem libellus *ψευδεπιγραφων περιοδων των ἁγιων Αποστολων* (8) rejicitur ac damnatur: ibidem praeterea, quod Patrum diligentiam in tuendo Martyrum honore declarat, canone VII. sancitur, si qua forte templa sine sacris Reliquiis dedicata fuerint, ut ex veteri more in iisdem Reliquiae collocentur. (9) *Οσοι ουν σεπτοι ναοι καθιερωθησαν εκτος ἁγιων λειψανων Μαρτυρων, ὁριζομεν εν αυτοις καταθεσιν γενεσθαι λειψανων μετα και της συνηθους ευχης*. nondum igitur caeca quadam et temeraria cupiditate probabantur, quaecumque ante illam aetatem edita fuissent, non historia quaevis, non anonymi cujusque libri in pretio erant: de sacris quoque aedibus scire intererat, cui dicatae

(6) v. praef. §. II.

(7) apud Hard. Conc. T. III. pag. 1685. *Quae a veritatis hostibus falso confictae sunt Martyrum historiae, ut Dei Martyres ignominia afficerent, et qui eas audituri essent, ad infidelitatem deducerent, in Ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi. qui eas autem admittunt, vel tamquam veris iis mentem adhibent, anatematizamus.*

(8) Act. V. ibid. T. III. p. 297.

(9) ibid. p. 492. *Quotquot ergo venerabilia templa consecrata sunt absque sanctis Reliquiis Martyrum, definimus, ut eis Reliquiarum una cum solita ratione fieri positionem.*

tae fuissent, quae ex iis Martyrum Reliquiis carerent.

Atque haec in urbe regia multo magis obtinuisse fatendum est, in qua semper doctorum virorum copia fuit: ubi bibliothecae plures erant, et facile comparari inter se codices poterant, quo vera a falsis dijudicarentur: ubi denique tribunal Patriarchae, ubi judices, ubi monachi nunquam desiderati sunt, qui de controversiis hujusmodi cognoscerent, et de jure officioque responderent.

III. Quae quum ita sint, nemo jam opponat, prioribus quoque saeculis in Ecclesia Constantinopolitana Patriarchas ipsos haeresum auctores fuisse, resque sacras eorum improbitate saepe esse turbatas. serpere quidem morbus identidem visus est, sed per ea tempora nunquam omnes corripuit: bonis autem ac vigilantibus viris, qui malos excipiebant, sedulo adnitentibus recreabatur Ecclesia, viresque recuperabat: quae eversa fuerant, restituebantur, quae intermissa revocabantur, ut mersata fluctibus, pulcrior interdum evenisse videretur. ac veterum quidem Patrum nunquam intermortua auctoritas, quae scriptis eorum nitebatur, adeo valebat, ut in omnibus controversiis, quid illi sensissent, quidve docuissent, maxime quaereretur. nihil hoc magis declarat quam ille Phocae Aug. conatus adnitentis, ut militibus, qui in bello adversus Christiani nominis hostes concidissent, honores Martyrum decernerentur. nam re ad Episcopos delata, *Restiterunt*, inquit Baronius, (10) *tunc magna laude Constantinopolitanus, et alii qui cum eo ibi erant Antistites, utentes potissimum sancti Basilii, cujus esset ad Amphilochium canon poenitentialis de iis, qui in bello fecissent homicidium, ut non impertiretur eis sacra communio absque praevia poenitentia*. atque idem de Phoca subdit: *Quum audivisset ille tanti Patris sententiam, ejus cessit auctoritati, ab instituto penitus cessans*.

His utique institutis Ecclesia Costantinopolitana novitates repudiabat, et dignitatem suam tuebatur: his vires perculsa recepit mansitque ad saeculum usque nonum, cujus etiam initia jure probantur, Nicephoro Confessore res sacras moderante, cujus adhuc Canones habemus, qui eum et de Actis Martyrum parum germanis quandoque cognovisse, apocryphosque libros notasse testantur. nam quartus eorum, qui nomen ejus praeferunt, hujusmodi est: (11)

Tην

(10) ad an. DCX. ex Theod. Balsam. ad can. 13. Basil. Ep. ad Amphil.

(11) apud Hard. Ibid. p. 1052. *Apocalypsim Esdrae et Zosimae, et duo sancti Gregorii Marty-*

Την αποκαλυψιν Εσδρα ϗ Ζωσιμα, ϗ τα δυο μαρτυρια τȣ ἁγιȣ Γεωργιȣ ϗ των ἁγιων Μαρτυρων Κηρυκȣ ϗ Ιȣλιττης, ϗ τον βιβλον Μαρκȣ ϗ διαδοχȣ ȣ χρη δεχεσθαι· αποβλητα γαρ ϗ ȣ δεκτα. sed Nicephorum Patriarcham integerrimum haeretici tres continuata serie consequuti sunt, Theodotus, Antonius, Ioannes, novi Iconoclastarum antesignani, quorum scelere magnam Ecclesia illa jacturam fecit. neque hanc compensare diu potuerunt, qui proxime successere, sancti viri Methodius et Ignatius. Ecclesiae scilicet vix confirmatae securim mox inflixit Photius, schismatis illius auctor primus, quod deinde a Cerulario prolatum, Graecos adhuc misere perdit.

Sub Photio potissimum, quem Nicolaus Pontifex maximus loco moverat, animis jam a Latina Ecclesia alienatis, opinio disseminari illa coepit, Pontificis Romani auctoritatem dignitatemque cum ipso Vrbis imperio concidisse: quamdiu enim Episcopus Romae imperantis fuisset, tamdiu jure usum privilegiis, quae illi antiqui Patres tribuissent; at ex quo urbs Roma in barbarorum potestatem venisset, non jam Romanum, sed Constantinopolitanum Patriarcham summum omnium Antistitum principem esse, unumque Oecumenicum. quam in rem canonem XXVIII. Concilii Chalcedonensis afferebant, quem et Leo magnus rejecit, et Latini omnes repudiarunt, eumque ad libidinem explicabant. audi enim, quid Nilus Doxopatrius ad regem Siciliae Rogerium scribere ausus sit, in tractatu illo suo de quinque Thronis: (*) Ορας, inquit, ὁπως απο τȣ παροντος κανονος προφανως ελεγχοιντο ληρȣντες οἱ λεγοντες προτιμηθηναι την Ρωμην δια τον ἁγιον Πετρον. ιδȣ γαρ προφανως ὁ κανων ȣτος της ἁγιας συνοδȣ φησι, Δια το ειναι την Ρωμην βασιλισσαν, εχειν την προτιμησιν. μεχρι γαρ τοτε ϗ επι πολλοις χρονοις βασιλευς εκειϛε απο τȣ Κωνϛαντινȣπολεως βασιλεως επεμπετο. επει δε επαυθη τȣ ειναι βασιλισσα δια το ὑπο αλλοφυλων αιχμαλωτισθηναι ϗ βαρβαρων εθνων Γοτθικων, ϗ νυν ὑπ᾽ εκεινων κατεχεσθαι· δηθεν

tyria. (lege Georgii) et sanctorum Martyrum Cerycì et Iulittae, librumque Marci et successoris suscipere non oportet. rejicienda haec, non admittenda.

(*) *Vides, ut ex hoc canone palam redargui nugatores possint, dicentes, honoris primatum Romam propter sanctum Petrum consequutam: ecce enim aperte canon hic sanctae Synodi dicit, Romam, quoniam sit imperatrix, honores habere primos. ad illud enim tempus et multa post tempora Imperator eo a Constantinopolitano Imperatore mittebatur. quoniam vero cessavit esse imperatrix, et in servitutem redacta fuit ab exteris et barbaris gentibus Gothicis, et nunc sub illis est, certe, sicut amisit imperium, sic amisit etiam primatum. nam primatum ut imperans possidebat, et remansit primus vere imperantis Constantinopolis thronus, quum primus thronus imperare cessaverit.*

ὡς εκπεσουσα της βασιλειας εκεινης εκπιπτει ϗ των πρωτειων. ὡς γαρ βασιλευουσα ταυτα ειχε, ϗ εμεινε πρωτος ὁ της αληθως βασιλευουσης Κωνσταντινουπολεως θρονος, του πρωτου θρονου παυθεντος βασιλευειν. quo quidem argumento hodie nemo Graecorum utatur, si Patriarchae sui auctoritatem tueri velint: qui superbiae suae graves omnino poenas dederunt, non imperio solum amisso, sed ad eos quoque delato, sub quibus nullam prope libertatis usuram sibi relictam esse sentiant.

Eodem autem tempore, quo haec Photius spargebat in vulgus, Notitia etiam illa edita est Ecclesiarum, sive ἡ γεγονυια Υποτυπωσις παρα του βασιλεως Λεοντος του Σοφου, ὁπως εχουσι ταξεως οἱ θρονοι των εκκλησιων των ὑποκειμενων τῳ Πατριαρχῃ Κωνσταντινουπολεως, (*) qua Patriarchae Romano eripiebantur Illyricum, Achaja, Sicilia, et provinciae repente fiebant Dioeceseos Constantinopolitanae.

Quia tamen norant, Pontificis Romani primatum a Coryphaeo Apostolorum certam originem habere, eamque summo Ecclesiarum consensu testatam ac manifestam; illud quoque excogitatum est, quo pacto originem illam quadantenus admitterent, et Patriarcham Constantinopolitanum nihilo minus Romano anteferrent. tum quippe historia illa conficta, cujus non semel memini, (12) Dorotheum fuisse quemdam Tyriorum sive Episcopum sive Presbyterum, eundemque sub Diocletiano Confessorem, sub Iuliano Martyrem, qui multa Graece Latineque scripserit, et Latinos in primis commentarios reliquerit sive *Synopsin de vita et morte Prophetarum, Apostolorum et Discipulorum Domini*: (13) hanc a Procopio quodam Presbytero inventam et Graece redditam esse Probo et Philoxeno Cos. id est anno DXXV. in eaque de Byzantio haec a Dorotheo tradita: Andream Apostolum de Byzantinorum institutione primum laborasse, primumque eo appulisse, ac prope urbem biennium esse versatum non longe ab Argyropoli (quod suburbium erat Constantinopolis, nomenque Dorothei aevo nulli cognitum: quum Socrates scribat, (14) nomen loco illi *Argyropolim* ab Attico Patriar-

(*) *Ordo dispositus per Imperatorem Leonem Sapientem, quem locum et seriem habeant Throni Ecclesiarum Patriarchae Constantinopolitano subjectarum.*

(12) ad diem XXX. Nov. et IIII. Iun.

(13) in Bibl. PP. T. III. et in Chron. Pasch. Cangii etc. Dorotheum tamen istum, quicumque is fuerit vel non fuerit, nec veterum scriptorum quisquam celebrat, nec Photius ipse in Bibliotheca, quam ante adceptum Pontificatum composuit, usquam nominavit.

(14) Hist. Eccl. l. VII. c. 25.

triarcha impositum esse.) Andream ibidem, discipulis ad duo millia Christiana doctrina eruditis, altare Christo constituisse, et Episcopum Byzantinis praefecisse Stachyn, unum e septuaginta discipulis, (quorum tamen seriem a nemine perscriptam esse, affirmat (15) Eusebius.) porro Stachyi Episcopo successisse Onesimum, de quo Paullus Apostolus ad Philemonem scripsit: Onesimo Polycarpum: post hunc eandem ordine Ecclesiam rexisse Plutarchum, Sedecionem, Diogenem, Eleutherium, Felicem, Polycarpum alterum, Athenodorum sive Athenogenem, Euzoium, Laurentium, Alypium, Pertinacem, Olympianum, Marcum, Cyrillianum vel Cyriacum, Castinum, Titum, Dometium, Probum, Metrophanem: (qui scilicet unus antiquis notus est, et primus Byzantii Episcopus habetur.)

Haec nimirum eo omnia spectabant, ut Thronum Constantinopolitanum non modo Apostolicum esse ostenderent, sed etiam ab eo Apostolo, qui primus a Christo vocatus adscitusque fuerat: cui propterea Petrus ipse primas quodammodo concedere deberet, atque adeo Pontifex Romanus Pontifici Constantinopolitano, praesertim quum prius Andreas Byzantium venisset, quam Petrus Romam. hisce artibus via ad schisma atque ad facinus quodlibet munita est. in tanta enim rerum perversione Romana contemnebatur auctoritas, non pudor, non metus quemquam continebat: quae vero Latinis molesta fore et gravia viderent, ea Graeci impudentius etiam aggrediebantur. (*)

V. Itaque liquet jam, quónam a saeculo initium repetendum sit ejus licentiae, qua sacri Ecclesiae illius Fasti violari caepti sunt. neque enim cum Cave, uti monui ad diem III. Iunii, existimare possum, Synopsin Dorotheanam a Procopio illo, qui ejus interpres dicitur, tum esse confictam, quum Ioannes Pontifex maximus Constantinopolim venit, et controversia de primatu orta fertur; sed fabulosum esse ipsum Procopium censeo, et litem ipsam commentitiam; quippe quae unius Synopseos testimonio comprobetur, unde recentiores Graeci hausere, quidquid de ea retulerunt. histôriae autem confictae tempus in Kalendario nostro

 agno-

(15) Hist. Eccl. l. 1. c. 12.

(*) Quanta rerum conversio Constantinopoli subsequuta sit, ex quo Photius honores Ecclesiae ambire coepit, apud Hankium in primis legisse juvetit; (de Byzantin. rer. script. Gr. a pag. 274.) quamquam is rem totam *quanto perversius confusiusque eum vetustiores tum etiam recentiores scriptores plerique narrant, tanto se sincerius distinctiusque* commemoraturum professus, promissi fidem minus praestitit, et Photii se fautorem defensoremque non uno in loco palam ostendit.

agnoscere plane licet, siquidem ipsum cum Basiliano Menologio comparemus. Photianum utique saeculum medium est inter octavum et decimum: quare si in Kalendario nostro, quod ad saeculum octavum pertinet, Heroes illi Dorotheani non apparent; contra in Basiliano Menologio cientur, laudantur; profecto fatendum est, a Photii aevo in sacros Fastos irrepsisse, quum illud Photianis jam dominantibus sine ulla controversia perscriptum fuerit, saeculo ipso decimo.

Atqui neminem plane ex illis Kalendarium nostrum recenset: quin et Martyr ipse Hadrianus deest, cujus Corpus in Pseudodorotheo conditum dicitur a Tito Episcopo prope Argyropolim; nec de Natalia uxore illius aut de aliis martyrii sociis fit mentio, quos idem apud Hadrianum composuisse perhibetur. (16) ignoti igitur etiamtum erant saeculo octavo, nec Synopsis illa prodierat, quae Ecclesiam Constantinopolitanam nova sanctorum virorum accessione illustraret. nam quosdam ex illis a virtute obiter atque a templorum aedificatione laudat Dorotheus, quos in Kalendarium referri par erat, Stachyn in primis atque Onesimum vel una Apostolorum societate venerabiles: praesertim quum ibidem corpora eorum quiescerent in spelunca, ubi Andreae altare stabat, et tredecim Martyrum reliquiae erant. haec enim in Synopsi singula item legimus.

Age vero, Menologium Basilianum in manus sumas, in quo tanta jam seges est nominum, ut numerus ipse facilitatem scriptoris arguat, atque aliquam non bene servatae fidei suspicionem injiciat. mitto, singulas in eo appellationes proferri septuaginta Discipulorum, quae Eusebii, ut diximus, aevo ignotae erant, primumque in Synopsi Dorothei lectae sunt; ecce tibi ad diem xxxI. mensis Octobris primus ille Episcopus Stachys, et Andreas Ecclesiae conditor, et duo millia Christianorum aedem Argyropoli dedicatam celebrantium, quae in Synopsi memorantur: (*) Ο ἅγιος Απο-

(16) apud Cavem de Script. Eccl. T. 1. in Dorotheo, et apud Quien. Or. Chr. T. 1. pag. 199.

(*) *Sanctus Apostolus Stachys ab Andrea sanctissimo Apostolo Episcopus Byzantii ordinatur, quum Ecclesiam Argyropoli aedificasset, in quam Christianorum duo millia conveniebant.* quem quidem Stachyn, si in Episcoporum numero habendus sit, των ἰδίων Επισκοπων fuisse dixerim, qualem et Cajum illum Presbyterum sub Victore et Zephyrino Pontificibus maximis exstitisse ferunt, quod Photius cod. xxxxvIII. scripsit. id enim tum Ecclesiae vicatim dispersae utilitas postulare videbatur: quippe nusquam civitatem reperire etiamtum fas erat, quae maxima ex parte Christiana esset; contraque non pauci ubique gentium Christiani numerabantur, qui et alios atque alios

Αποςολος Σταχυς, Επισκοπος προχειριζεται τȣ Βυζαντιȣ παρα Ανδρεȣ τȣ άγιωτατȣ Αποςολȣ, κτισαντος εκκλησιαν περαν εν Αγρυροπολει· εν ῷ κ̀ συνηθροιζοντο Χριςιανοι τον αριθμον δυσχιλιοι. ad diem xv. mensis Februarii occurrit Onesimus μαθητης τȣ άγιȣ Αποςολȣ Παυλȣ, qui quidem Episcopus Byzantinorum non dicitur, at neque Ephesiorum, quibus revera eum praefuisse, et Ignatius Martyr (17) et Eusebius testantur. (18) ad diem xxvI. mensis Augusti celebratur Αθλησις των άγιων Μαρτυρων Αδριανȣ κ̀ Ναταλιας, et uterque εν Αργυροπολει sepultus enunciatur. quin eodem die de altero quoque Martyre Hadriano, quem Synopsis commemorat, mentio facta est iisdem prope verbis: nisi quod in Synopsi scribitur, Reliquias ejus a Metrophane Nicomediam profecto asportatas esse, in Menologio, nomen siletur: Το δε λειψανον αυτȣ ανακομισθεν ετεθη, ενθα το τȣ άγιȣ Αδριανȣ κ̀ των λοιπων άγιων, κ̀ Σταχυος τȣ Αποςολȣ. (*) ibidem autem traditur, Hadrianum hunc filium fuisse Probi Imperatoris, fratrem Dometii illius, qui fuit post Titum Byzantii Episcopus, patrem vero Probi et Metrophanis, qui postea ejusdem urbis pontificatum gesserunt: ubi hoc unum a Synopsi discrepat, quod Dometium fratrem Hadriani atque adeo filium Probi faciat: quum in illa Dometius Probi Imperatoris frater appelletur: cetera sic respondent, ut inde omnino sumpta videantur.

vI. Enimvero temeratis hoc modo Fastis, et aditu ignotis semel aperto, licentia facile studio partium crevit. quippe cornicum, credo, oculos configere volebant, et Latinos, si possent, magnorum Martyrum et Confessorum numero obruere. itaque locum postea iis quoque in eorum Menaeis datum videmus, qui ne Catholicae quidem professionis tesseram haberent: quorum non exiguum numerum apud Bollandianos in *Praetermissis* quos vocant, reperies. quin etiam, quod mirari satis non possum, ne ii quidem displicuere, quos sacrae litterae aperte reprehendunt, celebratique in Menaeis sunt ad diem xvIII. Decembris non Salomon modo, de cujus exitu quidam gravius sentire non audent, sed Roboam quoque et Abias et Ioram et Ochozias et Achaz aliique, quo-

alios identidem in vitae societatem et sacrorum communionem pertrahebant: quos utique Episcoporum cura instituti confirmatique maxime intererat.

(17) In epist. ad Ephes. sub init.

(18) Hist. Eccl. l. III. c. 36.

(*) *Ejus autem Reliquiae translatae, eodem in loco repositae sunt, ubi sancti Hadriani ceterorumque Sanctorum et Stachyis Apostoli Reliquiae jacent.*

quorum vita multis contaminata probris, mors aeque mala nec ullo animi poenitentis indicio probabilis videatur. audax sane facinus, ex quo facile intelligas, quales doctrina et judicio et fide fuisse putandi sint, qui deinceps Ecclesiae illi praefuerunt: quos tamen infelix illa natio in sanctorum virorum numero plerosque habere pergit: nec videt, quam a Patribus illis germanis diversi fuerint, quos Orbis universus miratur et colit.

Haec porro apud eruditos omnes Graecorum Fastorum auctoritatem plane elevarunt, librisque hujusmodi Ecclesiasticis fidem omnem ac pretium ademerunt: ut vix jam sit, qui Menaea ejusque generis commentarios sine contemptu commemoret. in quo tamen, si bene disserui, nepotum pravitas avis innocentibus male tribuitur, et omnium culpa habetur, quae tota juniorum fuit. melius sane Allatii judicium, qui Graeciam apprime novit, et in libris eorum examinandis cognoscendisque egregiam operam atque utilem posuit. is, quum alios jam libros Grecorum Ecclesiasticos ad trutinam revocasset, et de Pentecostario dicere inciperet, quid de eorum auctoribus sentiret, sic exposuit: (19) *Pentecostarii, quemadmodum de Triodio supra diximus, varii fuere auctores antiqui et recentiores. Antiqui sua vetustate et modestia venerandi: Recentiores ex schismate, audacia atque omnia attentandi libidine contemnendi*. eodem quippe gradu impudentia scribendi progreditur, quo agendi perversitas antevertit: ut quo tempore Graecos in deterius prolapsos factioni maxime studuisse, ac vitiis diutius inhaesisse reperiamus, tum potissimum veritatis hostes factos, ineptiis commentisque delectatos esse, rectissime arbitremur.

Atque id ipsum valere, quum de Fastis Ecclesiae Constantinopolitanae sermo est, huc usque ostendisse mihi videor: quique diversa tempora inter se comparaverit, nihil Allatii dicto verius et castigatius esse fateatur. quod si satis apparet, in saeculo nono prima exstare vestigia violatae integritatis; nulla jam caussa restat, cur antiquiorem aetatem in suspicionem vocemus. planum igitur est, Kalendario nostro locum deberi inter illa Ecclesiae Graecae monumenta, quibus maxime fides habenda auctoritasque tribuenda sit.

VIII. Quid vero nunc restat, nisi ut, quidquid etiam compendii factura inde historia sit, indicantes, Kalendarii hujus aucto-

(19) de libr. Eccl. Graec. Diss. II. 229.

Digitized by Google

ctoritatem otiosam atque inutilem non esse demonstremus ? quod quidem, quantum opus erat, loco praestitimus: sed ita, ut dispersae res ac solitariae percellere vix possent: quae nunc conjunctae oculisque subjectae vocem quodammodo simul mittent, et monumenti utilitatem omnibus testabuntur. sine fuco autem singula colligam, quemadmodum in serie mensium exhibentur, quam quisque, si velit, percurrere nullo labore possit: iis consulto praetermissis, quae nos ipsi extudisse nobis videmur, ne commentarios potius nostros extollere, quam egregii Codicis pretium usumque demonstrare credamur.

Primum igitur discere hinc licet, saeculo VIII. apud Constantinopolitanos initium anni sive diem Indictionis cujusque primum in Ecclesia ipsa religiose observatum, festumque habitum esse. (20) subinde Ioannes ille Iejunator nobis se offert, de cujus sanctitate diu in utramque partem disputatum est: isque jam majoris antiquitatis testimonio fretus, potiori quodam jure caelestes sibi honores videtur adserere. (21) simul etiam prodeunt Paullus II. et Ioannes II. Patriarchae regiae urbis, quorum antea virtus levioribus argumentis nitebatur. (22) Babylas Martyr non exiguo sociorum numero palmam se Antiochiae adeptum declarat. (23) sollemnia demum Natalis D. N. Mariae ante Nicaenam Synodum secundam celebrata, et parentum ejus Ioachimi et Annae nomina sacris adscripta Fastis edocemur. (24)

Octobri mense *Iustam* nuncupari videmus, quae aliis *Iustina* est, et *Mamelechtham*, quae deinde *Mamelchtha* aut *Mamelta* audit: cujus item nomen totidem hic litteris in Iunio recurrit. (25) tum inter sanctos viros cum Attico et Sisinnio numeratos apparet Nectarium atque Arsacium Patriarchas ejusdem urbis, quos aetas recentior minus reverita est. Nazarium Martyrem nondum Constantinopolitanis notum, sanctos autem Notarios Marcianum atque Martyrium minime solos catholicae professionis caussa sublatos agnoscimus. (26)

Exinde November mensis Cosmam nobis et Damianum sic exhibet, ut ex eorundem commemoratione, quae mense Iunio iterum fit, (27) unum tantum Anargyrorum par exstitisse intelli-

(20) v. comm. diei 1. Sept.
(21) v. comm. diei 2. Sept.
(22) v. comm. ibid.
(23) v. comm. diei 4. Sept.
(24) v. comm. diei 8. et 6. Sept.
(25) v. comm. diei 1. et 5. Oct.
(26) v. comm. diei 11. 14. 25. Oct.
(27) v. comm. diei 1. Nov.

Digitized by Google

ligamus: opinionemque de terno illo pari, quam quidem recepe- runt, saeculo octavo ignotam fuisse constet. Cineris autem Ve- suviani memoriam Dominico die ante diem vI. ejusdem mensis celebratam quotannis traditur. (28) ignotus hactenus Confessor emergit Carteresius. (29) Iustiniani praeterea et Theodorae Augg. anniversarium diem in Ecclesia actum ediscimus, aut certe cla- rius addocemur. (30)

December Barbaram Martyrem jamtum Fastis adscriptam osten- dit. (31) Victoriae Heraclianae de Chosroe sollemnitatem ab Exaltatae Crucis festo diversum declarat. (32) Theodorum Pa- triarcham male a multis habitum vindicat. (33)

Mense Ianuario Polyeuctus Martyr jam tum die nono cultus perhibetur, id est multo ante id tempus, quod Tillemontius de- signaverat. (34) Catenae Petri Ap. Herodianae Constantinopoli ambae anniversario festo honoratae dicuntur. (35) Athanasii sol- lemnia extraordinaria die xvIII. consignata, de quibus multa mul- ti opinati sunt, nemo vera dispexit, instituta tandem deprehen- dimus, ut Reditus ejus ab exsilio festa recordatione coleretur. (36) sanctos monachos Cyrillum et Alexandrum eodem die ibidem ce- lebratos admonemur. (37)

Februarius Auxentium nobis Thaumaturgum prodit, Caesaream Palaestinae patriam Pamphili Martyris *Martyropolin* cognominatam nos edocet. (38)

Martius et Aprilis Festorum paucitate prope vigentem etiam- tum consuetudinem ob oculos ponit, ut jejunii quadragenarii tem- pore Commemorationes Martyrum fere omitterentur. (39) binos tamen Confessores exhibent, alter Thomam I. alter Eutychium, utrumque regiae urbis Patriarcham: unde intelligas, veterem il- lam legem quadantenus interpretatione esse mollitam, et Confes- soribus locum quandoque datum.

Mense Majo Natalem regiae urbis, sacro jamdiu ritu ab Ec- clesia illa actum esse comperimus: (40) ac subinde cum Epipha- nio ceteros Cypri Archiepiscopos ibidem rite honoratos. prodit se Eleu-

(28) v. comm. diei 6. Nov.
(29) v. comm. diei 8. Nov.
(30) v. comm. diei 14. Nov.
(31) v. comm. diei 4. Dec.
(32) v. comm. diei 12. Dec.
(33) v. comm. diei 28. Dec.
(34) v. comm. diei 9. Ian.
(35) v. comm. diei 16. Ian.
(36) v. comm. diei 18. Ian.
(37) v. comm. ibid. in in fine.
(38) v. comm. diei 16. Febr.
(39) v. praef. ad Febr.
(40) v. comm. diei 11. Maii et diei 12.

Eleutherius eodem illo die, quo apud Teatinos jamdiu colitur, ut hi ab regia urbe et Reliquias ejus accepisse, et de anniversario die edocti esse videantur. (41) Basiliscus Martyr non sine sociis martyrium se fecisse manifestat, (42) caussamque praebet, ut geminum eodem nomine Martyrem, alterum quidem militem, alterum Episcopum fuisse luculentius comprobemus.

Iunio Metrophanes nobis tamquam primus regiae urbis Episcopus haud obscure repraesentatur, et priorem Episcoporum seriem a Stachye ductam commentitiam agnoscimus. (43) eodem mense nondum institutum festum duodecim Apostolorum, patet: (44) at jam celebratam sollemnitatem omnium Martyrum die 1. Dominico post Pentecosten, sive hoc sive superiore mense, ut Paschatis vices ferebant, perspicuum fit. (45)

Iulius festum Blachernarum cujus rei caussa ageretur probe indicat, nodumque expedit, quem Menologia reddebant inextricabilem. (46) idem Euphemiae in Concilio Chalcedonensi suffragantis sollemnia antiquiora demonstrat, quam ferebantur. (47) memoriam subinde Conciliorum quatuor primorum simul antiquitus omnium praescriptam et diei uni adsignatam testatur. tum etiam ignotum diem effert, quo primitus acta memoria Synodi, quae in regiam urbem sub Mena Patriarcha adversus Severum vocata fuerat. Simeonis *ad Mandram* festum ad Stylitam pertinere, evincit: (48) diem mensis postremum sanctae Cruci adorandae destinatum nos addocet. (49)

Augustus denique septem pueros Ephesi martyrio defunctos enunciat. (50) festum ob Zonam D. N. Mariae Constantinopolim adlatam vetustius facit, quam haberetur. (51) Ioannem Scholasticum sanctis Patriarchis adnumerat. (52)

VIII. Haec potissimum sunt, quae Kalendarium nostrum ignota hactenus, et historiam merito auctura in apricum profert. sed ne ipsius quidem silentium, id est eorum nominum, quae in Menologiis Menaeisque sequioris aetatis legimus, praetermissio, aetate ejus definita, inutilis erit. facile enim hinc de festorum dierum

 insti-

(41) v. comm. diei 21. Maii.
(42) v. comm. diei 22. Maii.
(43) v. comm. diei 4. Iun.
(44) v. comm. diei 29. Iun.
(45) v. comm. ibid. sub fin.
(46) v. comm. diei 2. Iul.
(47) v. comm. diei 11. Iul.
(48) v. comm. diei 26. Iul.
(49) v. comm. diei 31. Iul.
(50) v. comm. diei 2. Aug.
(51) v. comm. diei 31. Aug.
(52) v. comm. ibid. sub fin.

Digitized by Google

institutione cognoscere quis possit, et de cultus vetustate dijudicare, quemadmodum non semel admonuimus. facile etiam de homiliarum veterum auctoribus Constantinopolitanis judicium quis ferat, quotquot ante saeculum nonum vixisse noverimus; siquidem eos celebrare ferantur, quos Ecclesia illa vel alio die venerabatur, vel suis nondum Fastis adscripserat. sic Procli Patriarchae non esse orationem, quae illi adtributa est, de sancto Stephano Protomartyre, inde planum fieri indicavimus, (53) 'quia festum ejus postridie Natalem Christi designat, quod Constantinopoli tertio die agebatur. sic ellogium s. Andreae *δια Χριϛȣ σαλȣ*, de quo nondum in Kalendario mentio fiebat, non bene quis tribuat Nicephoro Presbytero magnae Ecclesiae Sophianae, qui saeculo quinto scribebat. eadem de caussa Tarasii saeculo VIII. florentis habenda non videtur oratio in s. Mariam, (54) *ὁτι προσηνεχθη εν τῳ ναῳ τριετιζȣσα*: neque enim festum id, quod in Menologio Basiliano appellatur *τα Εισοδια της Θεοτοκȣ*, in Kalendario nostro locum habet: esto, id apud Graecos non multo post institutum fateri debeamus; sero licet, nec ante annum MCCCLXXII. Latini agere coeperint, uti jam Papebrochius ad diem XXI. Novembris in commentario Ephemeridum adnotavit.

Quin opiniones etiam quasdam recentiorum scriptorum merito repudiare liceat: ut quum Mazochius scripsit, (55) veri esse simile Reliquias sanctae Martyris Febroniae Ioviani Aug. temporibus Constantinopolim perlatas esse, quo nempe tempore Nisibim, ubi corpus erat Martyris, redimendae pacis caussa Persis concessit. Febroniae quippe in Menologio Basiliano, non item in Kalendario nostro mentionem factam videmus. eodem modo Barptolemaei nomen et Festum serius apud Constantinopolitanos receptum ostenditur, quod ante Barnabam adscitum putabatur. (56) similia his sunt, quae superius de Stachye ceterisque regiae urbis Episcopis prioribus diximus. tum alia hujusmodi plura Kalendarii nostri ope rata aut germana nec ne sint, cognosci posse manifestum est: quod iis omnibus, qui veritatem inquirunt, perjucundum, ipsi autem historiae utilissimum fore, nemo non videt.

Haud obscurum igitur est, operae nos pretium fecisse, quî praeclarum hoc *κειμηλιον* diutius latere noluerimus. erat quidem optan-

(53) v. comm. diei 27. Dec.
(54) apud Labb. Bibl. mss. p. 80.
(55) in Kal. Neap. T. III. p. 715.
(56) v. comm. diei 11. Iun.

optandum, ut id in eorum manus veniret, qui tot res ac tantas tamque varias acutius subtiliusque pertractare, iidemque uberius ac latius exponere possent. at hoc ipsum, si quis praestare voluerit, integrum cuique esse putamus; nec ea illi obfutura sunt, quae nos exilia et pauca sive e scriniis nostris sive ex nostro sensu deprompsimus. ceteri interea, quibus potiora ab aliis expectare molestum sit, his quamdiu commodum est, benevolo animo utantur, ac nobiscum Deo gratias agant, cujus munere opus hoc, qualecumque sit, ad finem usque deduximus.

CAELICOLAE MAGNI, VIRTVS SI VESTRA LABORE
A NOSTRO, ET TENVI CREVIT AB ELOQVIO:
AVRIBVS VT LATE POSTHAC AVDITA LATINIS,
ORBI ADEO TOTI PVLCRIOR ENITEAT;
VOS GEMINA EXTREMOS SERVATE VOLVMINA IN ANNOS,
TEMPORA NE LAVDES OBTERERE VLLA QVEANT.
AT MIHI, NAMQVE HOC POSSE DATVM, PROPE CVLMINA VESTRA,
EFFICITE, ORO, ILLIC ANGVLVS OBVENIAT.
SVMMA PETO, MERITIS, FATEOR, NEC DEBITA: VOBIS
SED MAIORA ITIDEM SVNT DATA PROMERITIS.

ΠΑΡΕΡΓΟΝ

STVDIOSIS SACRORVM BIBLIORVM

I. NIhil nunc quidem Latinis expeditius, quam Ecclesiae ritus et tota sacrorum peragendorum ratio; quum uno in volumine, quod *Missale* dicimus, et singulas sacrificii partes descriptas habeamus, et cetera item, quo quaeque loco quibusque diebus legenda sint, facile ibidem reperire atque ordinare possimus. at olim alius erat librorum Liturgicorum et numerus et usus, ut quaedam ex uno, alia ex alio petenda forent. si te ad vetera Sacramentaria conferas Leonis, Gelasii et Gregorii, statas quidem in iis preces, ac sollemnes praefationes invenias, at nullum Epistolarum, nullum Evangeliorum vestigium reperias. illud tantum initio Gregoriani, ubi totus sacrificii ordo describitur, adnotatum videmus, *Postmodum dicitur Oratio*, *deinde sequitur Apostolus*, *item Gradalis seu Alleluja*. *postmodum legitur Evangelium*. sed haec ibidem descripta non erant: primumque apparent in libro Sacramentorum Ecclesiae Gallicanae, quem Mabillonius et Muratorius e codice Bobiensi ediderunt. itaque ex ipsis sacrorum Bibliorum codicibus recitata primitus fuisse videntur, Capitularibus, quae vocant, indicantibus, quid quoque die legendum esset. nam in his scriptum erat, exempli caussa, *In natale Domini ad sanctam Mariam*, *secundum Lucam cap.* II. „ *In illo tempore exiit edictum a Caesare Augusto* „, *usque* „ *Pax hominibus bonae voluntatis* „ commodum deinde visum est fore, si, ut proprius erat precationum codex, ita Epistolarum quoque et Evangeliorum discreti codices conficerentur, adnotatis diebus, ad quos singula referrentur: quorum voluminum

multa

multa adhuc in magnis Bibliothecis exempla exstant, variis distincta nominibus; nam aliud *Liber Lectionarius* aut *Epistolare* aut *Apostolus* aut *Liber Comitis* appellatum est: aliud vero *Liber Evangeliorum*, *Evangeliarium*, *Evangelium* et hujusmodi.

Iamvero par Graecorum consuetudo fuit, ut veteres eorum Liturgiae a Goare atque ab aliis vulgatae declarant. neque enim in iis nisi precum formulae et praefationes et Canon Sacrificalis continentur. atque ipsi etiam eorum, quae e sacris litteris legenda erant, indices suos habuerunt, quos *Αποςολοευαγγελα* nominabant: cujusmodi est, quem in fine Euchologii recognoscere potes, persimilem *Libro Comitis* Latinorum, qui ab antiquissimis temporibus Hieronymo tribuitur. ex eo specimen esto quod legitur mense Septembri, die VIII. (1) *Τῳ αυτῳ μηνι* Η, *εις τον γενεσιον της ὑπεραγιας* Θεοτοκου, *εν τῳ* Ορθρῳ Ευαγγελιον *εκ του κατα* Λουκαν. „ Εν *ταις ἡμεραις εκειναις*, Αναςασα Μαριαμ *επορευθη εις την ορινην μετα σπουδης εις πολιν* Ιουδα „ Τελος „ Εμεινε *δε* Μαριαμ *συν αυτῃ ὡσει μηνας τρεις* ϗ *ὑπεςρεψεν εις τον οικον αυτης*. „ Εις *την λειτουργιαν*, Προκειμενον *του* Αποςολου, *ηχος γ*. „ Μεγαλυνει *ἡ ψυχη μου τον* Κυριον „ Στιχος „ Οτι *επεβλεψεν επι την ταπεινωσιν* „ Προς Φιλιππησιους Επιςολης „ Αδελφοι, *τουτο φρονεισθω εν ὑμιν, ὁ* ϗ *εν* Χριςῳ Ιησου „ Τελος „ Και *πασα γλωσσα εξομολογησεται*, *ὁτι* Κυριος Ιησους Χριςος *εις δοξαν* Θεου Πατρος. „ Αλληλουια. *ηχος πλ. δ.* „ Ακουσον *θυγατερ* ϗ *ιδε* „ Στιχος „ Το *προσωπον σου λιτανευσουσι*. „ Ευαγγελιον *εκ του κατα* Λουκαν „ Τῳ *καιρῳ εκεινῳ, εισηλθεν ὁ* Ιησους *εις κωμην τινα. γυνη δε τις ονοματι* Μαρθα „ Τελος „ Μαρια *δε την αγαθην μεριδα εξελεξατο, ἡτις ουκ αφαιρεθησεται απ' αυτης*. „ Κινωνικον „ Ποτηριον *σωτηριου ληψομαι*. „

Porro Graecos quoque utilitas ac prope necessitas ipsa admonuit, ut varias sacrae Liturgiae partes diversos in libros tribuerent, unde exstiterunt qui apud eos appellantur *Αναγνωσεις*, *Αποςολος*, *Πραξαποςολος*, *Ευαγγελιον*. ex hoc autem genere est Codex noster, in quo Lectiones Evangeliorum descriptae sunt, quae statis totius anni sacris respondebant. atque is est Codex, quem in Episcoporum manibus picturae nobis veteres repraesentant: hic idem est, qui in Patrum Conciliis e throno proponebatur, quem Cyrillus Alexandrinus in Synodo Ephesina sublimem prostitisse scribit: (2) et quem item in aliis Conciliis mensae impositum exhibent

(1) Goar. p. 504.

(2) apud Hard. Conc. T. I. p. 1441. et alibi.

bent antiquae tabulae templorum, de quibus fuſe egit Ciampinus: (3) qui et de eorum ornamentis ex auro et gemma diſſeruit.

II. Hujuſmodi Codices, qui vetuſtatem pertulerunt, quanti ab iis faciendi ſint, qui germanum divinorum librorum contextum indagare atque adſequi volunt, auctoritas eorum uſusque perdocet. neque enim codicum privatorum inſtar erant, qui in cujusque Bibliothecis adſervati, haereticorum fraude ſaepe vitiati ſunt: (4) verum eos Eccleſia cuſtodiebat, proponebatque, ut coram Epiſcopis et Clero et populo legerentur. quare item, quum in publicis conventibus quotannis, ac ſaepius quaedam eodem anno, plurimi audirent, vix credibile eſt, ſi quid a contextu divinorum librorum diſcreparet, id auditorum omnium auribus judicioque inobſervatum, in ſcripto manſiſſe mendoſum.

Ceterum laus haec codicum ſacrorum eſt communis omnium, quotquot in Eccleſiarum cenſu aliquando fuere. illa Codicis noſtri tota propria eſt, quod ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam pertinuerit, atque adeo merito putari poſſit ab ipſis codicibus deſcriptus eſſe, quos Caeſarienſis Euſebius Conſtantini magni juſſu deſcribendos curaverat, et deſcriptos Conſtantinopolim per Diaconum ſuum miſerat. exſtat adhuc epiſtola, (5) quam pientiſſimus Imperator Euſebio ſcripſit, eaque omnino digna eſt, quae hic legatur:

Νικητης Κωνςαντινος Μεγιςος Σεβαςος Ευσεβιῳ

Κατα την επωνυμον ὑμιν πολιν της τȣ Σωτηρος Θεȣ συναιρομενης προνοιας, μεγιςον πληθος ανθρωπων τῃ αγιωτατῃ Εκκλησιᾳ ανατεθεικεν ἑαυτο· ὡς παντων εκεισε πολλην λαμβανοντων αυξησιν, σφοδρα αξιον καταφαινεσθαι, ϗ Εκκλησιας εν αυτῃ κατασκευασθηναι πλειȣς. τοιγαρ τοι δεδεξο προθυμοτατα το δοξαν τῃ ἡμετερᾳ προαιρεσει. πρεπον

Victor Conſtantinus Maximus Auguſtus Euſebio

In ea urbe, quae a nobis nomen ſortita eſt, divina Servatoris noſtri adjuvante providentia, maxima hominum multitudo ad ſanctiſſimam Eccleſiam ſeſe adjunxit. itaque quum cuncta illic maximum incrementum capiant, conſentaneum in primis videtur, ut plures quoque in ea conſtituantur Eccleſiae. accipe igitur libenti

(3) Vet. Monim. P. I. c. 16. Gor. Theſ. vet. Diptych. T. III. a p. 94.

(4) v. Germon. de Haeret. ſacr. Cod. corrupt. c. 6. 8. 13.

(5) de vit. Conſt. l. III. c. 36.

πον γαρ κατεφαιη το δηλωσαι τη σῃ συνεσει, ὁπως αν πεντηκοντα σωματια εν διφθεραις εγκατασκευοις, ευαναγνωςα τε ϗ προς την χρησιν ευμετακομιςα, ὑπο τεχνιτων καλλιγραφων, ϗ ακριβως την τεχνην επιςαμενων, γραφηναι κελευσειας· των θειων δηλαδη γραφων, ὠν μαλιςα την τ'επισκευην ϗ τεν χρησιν τῳ της Εκκλησιας λογῳ αναγκαιαν ειναι γινωσκεις. ωπεςαλη δε γραμματα παρα της ἡμετερας ἡμεροτητος προς τον της Διοικησεως Καθολικον, ὁπως ἁπαντα τα προς επισκευην αυτων επιτηδεια παρασχειν φροντισειεν. ἱνα γαρ ὡς ταχιςα τα γραφεντα σωματια κατασκευασθειη, της σης επιμελιας εργον τουτο γενησεται. ϗ γαρ δυο δημοσιων οχηματων εξουσιαν εις διακομιδην, εκ της αυθεντιας του γραμματος ἡμων τουτου λαβειν σε προσηκει. ὑτω γαρ αν μαλιςα τα καλως γραφεντα, ϗ μεχρι των ἡμετερων οψεων ῥαςα διακομισθησεται· ἑνος δηλαδη τουτο πληρουντος των εκ της σης Εκκλησιας διακονων· ὁς επειδαν αφικηται προς ἡμας, της ἡμετερας πειραθησεται φιλανθρωπιας. ὁ Θεος σε διαφυλαξοι, αδελφε αγαπητε.

ti animo id, quod facere decrevi. visum est enim id significare prudentiae tuae, ut quinquaginta codices divinarum scripturarum, quarum apparatum et usum maxime necessarium Ecclesiae esse intelligis, in membranis probe expolitis, ab artificibus antiquariis venuste scribendi peritissimis describi facias: qui et legi facile, et ad omnem usum circumferri possint. litterae porro a nostra clementia missae sunt ad Rationalem Dioecesis, ut cuncta ad eorum codicum confectionem necessaria praeberi curet. tuae erit diligentiae, ut scripti codices quantocius apparentur. ceterum duorum publicorum vehiculorum usum auctoritate hujus epistolae accipies. sic enim, quae eleganter descripta sunt ad conspectum nostrum commodissime perferentur; uno scilicet ex Ecclesiae tuae Diaconis id ministerium obeunte: qui quidem, ubi ad nos pervenerit, humanitatis nostrae experimentum capiet. Divinitas te servet, frater carissime.

Enimvero Constantini studiis se statim obsequutum esse, testatur Eusebius: (6) Αυτικα δ' εργον επηκολουθει τῳ λογῳ, εν πολυτελως ησκημενοις τευχεσι τρισσα ϗ τετρασσα διαπεμψαντων ἡμων. apparet autem, codices illos, quales Constantinus petierat, ab Eusebio missos, e membranis confectos fuisse, εν διφθεραις, non e pa-

(6) ibid. c. 37. *Ejus porro dicta continuo opus ipsum excepit, atque in voluminibus magnifice exornatis terniones et quaterniones misimus.*

papyro, quae aetatem minus ferebat: tum quinquaginta illa exemplaria, *πεντηκοντα σωματια*, ita singula compacta esse, ut scapus quisque vel ternionem sive paginas duodecim, vel quaternionem sive paginas sedecim haberet: *εν τευχεσι τρισσα ϗ τετρασσα*, quod per enallagen dictum pro *τευχη εν τρισσοις ϗ τετρασσοις*, ut a Valesio jam animadversum est.

Denique ne illud quidem ambiguum esse arbitror, volumina illa, quibus *σωματιον* quodlibet constabat, quum Ecclesiae usui accommodata esse deberent, *των θειων δηλαδη γραφων, ὧν μαλιϛα την τ᾽επισκευην ϗ την χρησιν τῳ της Εκκλησιας λογῳ αναγκαιαν ειναι γινωσκεις*, idcirco terna saltem fuisse, ut in primo quidem *Αναγνωσεις* essent, in altero *Αποϛολος*, in tertio *Ευαγγελιον*. totidem enim erant Ecclesiarum libri, qui eas sacrarum litterarum partes continebant, quae ante sacrificium legebantur. primus quippe Lectiones complectebatur e veteri Testamento desumptas, secundus eas, quas novum suppeditabat, cui *Αποϛολος* aut *Πραξαποϛολος* nomen inditum, quia potior pars Apostoli Paulli erat, aut ex Actis Apostolorum et Paulli potissimum epistolis constabat. tertius Lectiones exhibebat e quatuor Evangeliis apte delectas, quae cuique diei et statis sollemnitatibus quam maxime convenirent.

